DISQUISITIONES
SCHOLASTICO-DOGMATICAE.

VOL. I.



C262

DISQUISITIONES
SCHOLASTICO-DOGMATICAE

QUAS LEGEBAT

VALENTINUS CASAJOANA, S. J.

PLURIBUS IN ACADEMIIS HISPANIS
ET EXTERIS ET NUPER UNIVERSITATE PONTIF. GREGORIANA

COLLEGII ROMANI

Theologiae Dogmaticae Lector

FATHERS' LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, CAL.

VOL. I.

DE FUNDAMENTALIBUS.

DISQUISITIONES TRES

I. PROLEGOMENA. — II. DE RELIGIONE REVELATA. — III. DE ECCLESIA.

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
C262
Alma, California

SUPERIORUM PERMISSU.

BARCINONE.
APUD VIDUAM ET FILIOS J. SUBIRANA, EDITORES.
IN VIA DICTA PUERTA FERRISA, 16.
1888.

260

PROPRIETATIS JURA SIBI RESERVANT EDITORES.

Typis Viduae et Filiorum J. Subirana.

APPROBATIO

Ego Joannes Florit, Societatis Jesu presbyter, ex commissione A. I. D. Francisci de Pol, Vicarii Generalis Dioeceseos Barcinonensis, legi librum, cui titulus, «*Disquisitiones Scholastico-Dogmaticae, quas legebat Valentinus Casajoana, S. J., pluribus in Academiis hispanis et exteris, et nuper Universitate Pontificia Gregoriana Collegii Romani Theologiae Dogmaticae Lector, vol. I.*» nihilque in eo quod catholicae fidei pietatique absonum sit inspexi, imo auctor tractatum de fundamentalibus in tres disquisitiones dispartitum clare, concise ac nervose agit, simulque ad praecipuos hujus temporis errores in subjecta materia late vagantes funditus evertendos praebet argumenta, quocirca dignum existimo ut prelo excudatur.

In Collegio Maximo Dertusano Societatis Jesu, idibus Februarii, anno Dni. MDCCCLXXXVIII.

Joannes Florit, S. J.

Barchinon. 3 Martii 1888

Imprimatur

Dr. Jacobus Brugueras, *Vic. Gen. Subst.*



ST. JOSEPH'S CHURCH
SAN JOSE, CAL.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Eduntur in lucem Disquisitiones Scholastico-Dogmaticae, quas pluribus in Academiis, tum nostratibus, tum exteris, non vulgari fama legebat Valentinus Casajoana Societatis Jesu Sacerdos Professus, qui non multis abhinc annis publice sacram Theologiam in Gregoriana Pontificia docebat Universitate. Emittitur nunc volumen primum, ubi, Disquisitiones tres de principiis fundamentalibus circa Theologiam explanantur, servata ab auctore Scholasticorum antiquorum methodo, tam veritatibus in tuto collocandis, quam erroribus profligandis peropportuna, minime tamen sobria illa neglecta eruditione, quae a multis in deliciis hodierna die aestimatur.

Non est cur, amice lector, in opere commendando immoremur; operae enim melioris pretium esse ducimus, si judicium de ipso tibi integrum permittamus. Ast certe rem pluribus exoptatam diu, diuque conquisitam fore existimamus, cum multi fuerint discipuli sub tanti magistri edocti, qui quod in scholis audierant, ante oculos ponere summis in desideriis habebant. Hinc utili dulcedine, dulcique utilitate, librum, prius in prolixiorum studiorum fervore, et in schola publica regenda excultum, ac nuper in pacato secessus maturatum, pervolutabunt; quin etiam, si spes non fallit, novi alii discipuli opus solerter elimatum, et quasi denuo recusum perscrutabuntur, armisque instructi intellectualibus ad praelia Domini dimicanda se accingent. Eoque fidentius id perficient, quo Angelici praesertim et Eximii Doctorum asseclam strenuum, non verbo tenus, sed opere, deprehendent.

AD LECTOREM.

Sacrorum dogmatum quae Spiritus Sanctus Ecclesiae commisit; sententiarum quibus ea SS. Patres testati sunt nobisque tradiderunt; disquisitionum quibus summi theologi et scholarum principes eadem perscrutati fuere; errorum quoque vel opinationum, illis dissonantium, Summam prae manibus habere, in votis plurimorum est. Id quidem, non solum sacrae scientiae lectoribus, quibus tot, tamque ingentia volumina in promptu non sunt, vel ea percurrere non vacat; nec non tironibus, qui brevi tempore longam debent theologiae conficere viam, percommodum efficitur, sed etiam iis rerum sacrarum cultoribus, qui, memoriae juvandae causa, vel conciones sacras salubri doctrina nutriendi, cupiunt ea, quae multo labore didicere, ad pauca revocare. Cum ad id assequendum non pauca, longo annorum decursu, sacrae Theologiae legendae addictus mihi collegissem; visum est iis, quibus obsequi religio est, alios etiam utilitatem aliquam forsan ex annotatis reportaturos.

Quare, benigne Lector, naevos omnes, quos in hisce deprehenderis Exquisitionibus, ad me referendos, pro ingenii exiguitate, noveris; quae autem recte dicta videantur, ad eos referas insignes Doctores, Angelicum, Eximium, et alios, quos meos agnosco Magistros et studiose interrogavi.

In Angelico autem, quem ducem et magistrum, tum in addiscenda, tum in exponenda scientia sacra, habui, magna latitudo et profunditas conceptuum conspiciuntur; unde difficultas genuinam ipsius mentem explicandi procedit, et legitimas inferendi conclusiones. Qua de causa saepe experieris, ab invicem esse discordes Sancti Doctoris etiam insigniores interpretes, et ex vulgo auctorum non paucos suas, nomine Angelici, commendare opinationes, vel errores etiam, ab eo prorsus dissentientes. Hujusce rei, cum plurima possemus exhibere exempla, specimen habeas, (ne ulli odium movere videamur) in re notissima; in quinque scilicet Jansenii propositionibus, sub nota haereseos tandem ab Ecclesia con-

fixis, post longam moram, plurimorum theologorum auctoritate illas defendentium, inductam. Nam simul atque exorta est janseniana doctrina, conspicuos nacta est defensores et adversarios; inter quos duo eminebant religiosi ordines, qui cum in Belgio et Germania, tum Romae, ex adverso in ea re dimicabant. Id autem miraberis, et difficultatem recte mentem sancti Thomae assequendi inferes; scilicet quam jansenianorum errorum patroni jurabant esse Doctoris Angelici doctrinam proindeque a schola thomistica communiter profiteri, eamdem, ex adverso, alii jure negabant, et Sancti Doctoris sententiis errores illos explodebant.

Hinc rectissime ad ejusmodi declinanda incommoda, et verum D. Thomae assequendum intellectum, insignis Interpretis alicujus commendatur studium et consultatio; quemadmodum ad sacrarum Litterarum lectionem, SS. Patrum et catholicorum interpretum consulenda commentaria. A qua methodo abhorrent nonnulli: scilicet, majorem exoptant opinandi licentiam et Sanctum Doctorem propriarum opinationum facilius patronum sibi fingunt dictitantes: «D. Thomam per D. Thomam explicandum»: quemadmodum et protestantes, «Scripturas SS. per Scripturas SS.» interpretandas contendunt.

In deligendo autem optimo Angelici D. interprete, duobus hunc fulgentem ornamentis volo, eruditione non vulgari, praeclaroque mentis acumine atque claritate; et insuper, ad Angelici doctrinam sincere propensum, ac in scholae cujusvis placita nullatenus jurantem. Amice Lector, vale.

PATRISTIC LIBRARY
ST. JOSEPH'S CHURCH

INDEX GENERALIS

juxta Disquisitionum ordinem (1).

DISQUISITIO I.

Sacrae Scientiae Prolegomena.

CAPUT I.

DEFINITIO. ORTUS AC NECESSITAS SCIENTIAE THEOLOGICAE.

Pag.

Articulus I.—Sacrae scientiae definitio.. 1
» II.—Sacrae scientiae exordium.. 4
» III.—Theologiae necessitas. 5

CAPUT II.

QUO PACTO S. THEOLOGIA EST SCIENTIA. ET MULTIMODE DIVIDITUR.

Articulus I.—Theologia est vere ac proprie scientia. . . . 7
» II.—Tum pro rerum varietate, tum ratione methodi, scientia sacra multipliciter dividitur. 10

CAPUT III.

DE IIS QUAE SACRA SCIENTIA COMPREHENDIT.

Dico I. Non tantum revelata dogmata debet Theologia illustrare, sed plura quoque, non exigui momenti, quae cum illis connectuntur. 11

(1) Quaerentibus peculiarem ac praefinitam quaestionem adest ad calcem voluminis index alphabeticus.

Pag.

Dico II. Theologia Positiva, sive Biblica, sive Patristica et Conciliaris diligenter excolenda est. 14
Dico. III. Theologia polemica a scientiae sacrae cultoribus nullatenus est negligenda. 14
Dico IV. Theologiae Scholasticae in primis vacare debet sacrae disciplinae alumnus. 14
Dico V. Theologia Moralis, ascetica et mystica necessaria est ad sacram scientiam. 16

CAPUT IV.

DE ARGUMENTIS THEOLOGICIS ET EORUM FONTIBUS.

Articulus I. Argumenta scientiae sacrae. 16
» II. Genera et varietas argumentorum Theologiae. 17
Dico I. Fidei veritates sunt argumenta theologica immediata et intrinseca. 18
Dico II. Definitiones Ecclesiae sunt argumenta theologica intrinseca, sed mediata. 18
Dico III. Definitiones Romani Pontificis eadem donantur auctoritate. 19
Dico IV. Definitiones Concilii Oecumenici eamdem vim ad probandum habent. 19
Dico V. Sanctorum Patrum sententiae argumenta praebent intrinseca et mediata ad sacram scientiam. 19
Dico VI. Recentiorum Doctorum sententiae non levia etiam exhibent intrinseca et mediata argumenta pro sacra scientia. 19
Dico VII. Naturalis rationis dictamina ad sacram doctrinam possunt argumenta extrinseca subministrare. 20
Dico VIII. Historiographorum, maxime ecclesiasticorum, narrationes saepe etiam confirmant theologicam doctrinam. 20
Scholion. 20
Articulus III.—De sedibus, seu locis argumentorum theologicorum. 21
Dico I. Scripturae sacrae sedem exhibent argumentorum, quae Theologiae intrinseca sunt et immediata. 21
Dico II. Sacrae Traditiones, ex ore Christi et Apostolorum procedentes, argumentorum etiam sunt sedes, quae intrinsece et immediate ad Theologiam spectant. 21
Dico III. Argumenta theologica mediata et intrinseca sedem

Pag

habent in definitionibus Conciliorum generalium et Summorum Pontificum, et in fide universalis Ecclesiae, nec non in Sanctorum Patrum et Doctorum doctrina. . . . 22

Dico IV. Scientiae naturales, maxime Philosophorum, Historiographorum et Rei Antiquariae peritorum scripta, plurium argumentorum externorum sedem theologo comparant. 22

CAPUT V.

CANONES AD USUM ARGUMENTORUM THEOLOGICORUM.

§ I. Ad rectum argumentorum ex sacra Scriptura usum regulae. 22
§ II. Pro usu argumentorum ex Traditione. 23
§ III. Ex auctoritate Ecclesiae. 23
§ IV. Pro argumentis quae a Conciliis depromuntur. . . . 23
§ V. Pro sententiis Rom. Pontificum. 24
§ VI. Ad argumentandum ex sanctis Patribus. 24
§ VII. Ex auctoritate Theologorum et Canonistarum.. . . 24
§ VIII. Ad arguendum ex ratione. 25
§ IX. Pro Historiae usu in Theologia. 25

CAPUT VI.

METHODUS DISSERENDI ADVERSUS HAERETICOS.

Articulus I.—Quomodo repellendi haeretici. 26
§ I. **Dico I.** Haeretici Ecclesiam accusantes non sunt audiendi sed repellendi. 26
§ II. Quo pacto revincendi sunt haeretici. Primum exemplum disputationis. 29, 30
Alterum disputationis exemplum. 30
Articulus II.—De ratione doctrinam catholicam confirmandi. 32

CAPUT VII.

DE METHODO ADHIBENDA IN THEOLOGIAE STUDIO ET DISCIPLINA.

Articulus I.—Alumnis quae expediat methodus. 34
Articulus II.—Quibus poterunt industriis Professores alumnos juvare. 36

Pag.

APPENDIX.

Distinctiones praecipuae quae in disceptationibus scholasticis adhiberi solent. 38

DISQUISITIO II.

De Religione Revelata.

Praenotandum. 43
Divisio generalis totius Disquisitionis. 44

CAPUT I.

NONNULLA QUAE DISQUISITIONI DE REVELATA RELIGIONE PRAEMITTERE OPORTET.

Articulus I.—De Religione universim. 44
§ I. *Dei existentia, et attributa.* **Dico I.** In primis illud ponendum; Deum existere, et esse ens necessarium, etc. . . 44
§ II. *Cultus Deo tribuendus.* **Dico II.** Deinde ponimus: summam esse Deo reverentiam exhibendam, et supremum tribuendum honorem. 44
§ III. *De cultu Dei externo.* **Dico III.** Non interno tantum animi affectu, sed externo quoque corporis habitu Deus colendus est. 48
§ IV. *Quod Deus sit socialiter colendus.* **Dico IV.** Hominum societas, quatenus persona quaedam moralis est, ad Deo obsequium praebendum constricta existit. 50
§ V. *Jura Religionis tueri debet societas.* **Dico V.** Tenentur societatis moderatores ea Religionis jura et officia tueri quae lege naturali, vel potestate legitima sive divina, sive humana sunt constituta; ideoque adversa omnia repellere et proscribere. 55
§ VI. *Quid et quotuplex sit Religio pressius definitur.* . . . 57
Articulus II. Idea et natura divinae revelationis. 59
§ I. *Quid sit revelatio universim elucidatur.* 59
§ II. *Revelationis fit analysis.* 60
§ III. *Conjunctio summae veritatis cum objecto revelato.* . 61

Pag.

Dico VI. Conjunctio ista primae veritatis cum secunda sita est in verbo seu testimonio Dei. 61
Dico VII. Verbum ac testimonium Dei pertinet ad formalem rationem objecti revelati. 61
§ IV. *De actione ipsa divinae testificationis.* 62
Dico VIII. Verbum Dei et formalis revelatio est aliquid Deo externum et passivum. 64
Articulus III. De cognitione divinae revelationis. 64
§ I. *Quod certo revelatio cognosci potest.* 65
Dico IX. Dantur argumenta moraliter certa, quae morali evidentia suadere possunt, aliquas veritates fuisse a Deo revelatas: unde possibilis est revelatio. 65
§ II. *Quod evidenter revelatio cognosci potest...* 66
Dico X. Dantur argumenta evidentia, quibus etiam evidenter innotescere potest, Deum revelare aliquam veritatem. 66
§ III. *Actus fidei analysis.* 68
Dico XI. Revelatio probabilis ad actum fidei non sufficit, sed debet esse certa. 69
§ IV. *Expenditur gravis difficultas.* 71
Dico XII. Ut credat intellectus, debet assensus attingere revelationem et auctoritatem Dei. 72
Corollar. Actus fidei movetur a divina auctoritate et revelatione. 73
§ V. *Proposita difficultas explicatur.* 74
Scholion. De consensu rationis cum fide. 77

CAPUT II

DE IIS QUAE DUCUNT AD DIGNOSCENDAM REVELATIONIS EXISTENTIAM

Prooemium. 79
Articulus I. De iis quae remote ostendunt dari revelationem. 81
§ I. *De revelationis objecto.* 81
Thesis I. Quaedam in Deo sunt ad captum humanae rationis; quaedam vero ejus facultatem excedunt. 81
§ II. *Quantum hominibus prossit revelatio.* 83
Thesis II. Est admodum conveniens quod ea de Deo revelentur quae non sunt rationi impervia. 83
Thesis III. Non parum prodest, si etiam de rebus divinis revelentur quae rationis captum superant. 85

Pag.

Thesis IV. Multum expedit homines divina edoceri revelatione finem suum agnoscere et honeste vitam ducere. . . 87
Corollaria. 89
Thesis V. Summe conveniens est veram hominibus revelari Religionem. 90
§ III. *Quod societati expediat revelatio.* 91
Thesis VI. Societati civili multum confert revelatio. . . . 91
§ IV. *Universim revelatio convenientissima.* 93
Thesis VII. Revelatio divina Deo gloriosissima, hominibus honorificentissima atque utilissima existit. 93
Articulus II.—De iis quibus proxime, et quasi a posteriori, arguitur revelationem a Deo factam. 94
Praenotanda. 94
§ I. *De miraculi possibilitate.* 95
Thesis VIII. Duplex est in rebus ordo; generalis et particularis: non potest Deus praeter ordinem facere generalem; valet autem praeter particulares agere naturae ordines. . 95
§ II. *De miraculi natura.* 99
Thesis IX. Non est reponendum miraculum in operatione sensibili, quae excedens spectatoris captum, cursui naturae creditur contraria, ac proinde divina. 99
Thesis X. Miraculum, absolute dictum, opus est cognoscibile, a Deo factum praeter ordinem naturae. 102
Thesis XI. Opera illa, quae ordinem sensibilem et corporeum virtute superant, Deo adscribenda sunt, seu Dei sunt sigillum; quodcumque igitur Deus hisce operibus commendaverit, erit adprobandum. 105
Corollarium. Objecta dilucidantur. 107
§ III. *De causa miraculorum instrumentali.* 108
Thesis XII. Potest Deus etiam uti opera daemonis ad miracula efficienda. 108
Thesis XIII. Per pravos homines potest Deus miracula efficere. 108
Thesis XIV. Nequeunt daemonia, proinde neque scelerati homines, subvertendo naturae ordinem, hominibus nocere, nisi facultatem a Deo suscipiant. 109
Scholion. Quo pacto nomine utendum miraculi. 112
§ IV. *De miraculorum causa finali.* 114
Thesis XV. Miraculorum finis generalis ac praecipuus est Dei gloria; particularis autem multiplex. 114
Thesis XVI. Etiamsi daemones et magi iis ministrantes, cum illis datur portenta efficiendi facultas, turpem prose-

Pag.

quantur scopum. tamen ad honestum aliquem finem ejusmodi miracula a Deo ducuntur.. 116
§ V. *De veris dignoscendis miraculis.* 118
Thesis XVII. Vera miracula a falsis secernenda sunt. ad idque certae suppetunt regulae. 118
Scholion. Nonnullae miraculorum differentiae. 121
§ VI. *De praestantia miraculorum.* 122
Thesis XVIII. Divina ostenditur esse religio, pro qua confirmanda fiunt miracula. 122
Objectiones. 123
§ VII. *De prophetiae natura.* 125
Thesis XIX. Rerum. quae nequeunt ab homine naturaliter cognosci, triplex est gradus.. 125
§ VIII. *De prophetiae praestantia.*. 127
Thesis XX. Prophetia est Divinitatis sigillum. seu praerogativa. 127
Scholion. De prophetia naturalis ordinis. 128
§ IX. *De veris discernendis prophetiis.* 129
Thesis XXI. Pro cognitione et usu prophetiarum Regulae nonnullae prae oculis habendae. 129
§ X. *De doctrinae veritate ac sanctitate.* 130
Thesis XXII. Doctrinae complexus de Deo, de homine, de mundi origine, nec non de officiis hominum erga Deum, erga se ipsos. erga ceteros agens. ac nihil turpe ac rationi repugnans prae se ferens. argumentum exhibet validissimum divinae revelationis. 130

CAPUT II.

DE RELIGIONIS REVELATAE EXISTENTIA.

Articulus I.—De Religione Mosayca. 133
Thesis XXIII. Religio Mosayca vera atque divina fuit. . . 133
Scholion. De auctoritate et veritate librorum Pentateuchi. . 125
Dico I. Pentateuchum authenticum esse. atque Moysen habere auctorem, non est dubitandum. 135
Dico II. De veritate historica librorum Pentateuchi non est ambigendum.. 139
Articulus II.—De Religione christiana. 140
Thesis XXIV. Religio christiana est divinitus revelata. . . 140
Thesis XXV. Religionis christianae propagatio miraculis

Pag.

est adscribenda; ideoque divina existit Christi religio. . . 142
Thesis XXVI. Resurrectio D. N. Jesu Christi veram divinamque ostendit Religionem Christianam. 145
Thesis XXVII. Sola Religio christiana vera et salvifica est. 150
Thesis XXVIII. Post veterem illam Judaicam, novam debuisse succedere Religionem, et quidem pro omnibus gentibus, ab antiquis praenuntiatum erat Prophetis. . . . 151
Thesis XXIX. (Ex Augustino). «Nulla mens avida salutis aeternae potest Religionem christianam non amplecti.» . 153
Scholion. De librorum N. Testamenti authentia. 154

CAPUT IV.

DE SUPERSTITIONIBUS FICTE REVELATIS.

Articulus I.—De Paganismo, ... 156
Tesis XXX. Paganismus in dogmatibus absurdus, in ritibus impurus dicendus. 156
Articulus II.—Brahmanismus et Buddhismus. 158
Tesis XXXI. Brahmanismus et Buddhismus licet non paucas ex primaeva traditione veritates retinuerint, pluribus tamen erroribus, tum speculativis, tum practicis eas foedarunt. 158
Corollarium. 163
Articulus III.—De Islamismo. 163
Thesis XXXII. Mahumetismus falsa est religio, id est, misere errantium superstitio. 163
Thesis eadem confirmatur. 165
Scholia. Quam vana et turpis sit Mahumetis superstitio. . 169
§ I. *De Mahumetismi turpitudine*. 170
Dico I. Mahumetana secta turpissima est. 170
§ II. *Quam stulta sit mahumetana secta*. 174
Dico II. Mahumae superstitio suis se stultitiis prodit et damnat. . . . . .
§ III. *Unde procedat Mahumetanorum pertinacia*. 180
§ IV. *Quis Mahumae scopus*. 181
§ V. *Quales Mahumae sectatores*. 182
§ VI. *Mahumeticae superstitionis caeremoniae*. 183

COROLLARIUM.

De Liberalismo. 184

DISQUISITIO III.

De Ecclesia Christi.

Pag.

Prooemium. 189
Divisio Generalis. 191

CAPUT I.

DE PRINCIPIIS ECCLESIAE.

Articulus I.—De Principiis intrinsecis Ecclesiae. 192
Thesis I. Divina Christi religio pro omnibus hominibus, et in perpetuum fuit instituta. 192
Thesis II. Christus D. suam instituit religionem ut omnes in eum credentes in unam coalescerent societatem. . . 194
Thesis III. Constituit Christus Ecclesiam, seu societatem credentium in Illum, convenire inter se in ejusdem fidei professione, et in eodem Baptismo. 196
Articulus II.—De Principiis causalibus Ecclesiae. 199
Thesis IV. Finis christianae societatis, seu Ecclesiae est, perfectiori Deum cultu honorare, et vitae justitiam ac sanctitatem homines edocere, eosque ad vitam perducere aeternam. 199
Thesis V. Christus D. Ecclesiam suam praedicatione et testimonio ministrorum suorum, id est, Apostolorum, horumque successorum, conservandam propagandamque statuit. 201
Objectiones. 204
Thesis VI. Jesus Christus sub hierarchico ordine duci et gubernari Ecclesiam constituit: ideoque jure divino plebs a hierarchia distinguitur ecclesiastica. 206
Objectiones. 208
Thesis VII. Ecclesiae Christianae hierarchicus ordo non est multiplex, sed unicus; id est, ad unum supremum caput ductus. 210
Objectiones. 213
Thesis VIII. Hierarchiae christianae centrum et culmen sunt Romani Pontifices. 217

Pag.
Objectiones. 221
Corollarium. Definitio Ecclesiae. 222

CAPUT II.

PROPRIETATES ECCLESIAE CHRISTI.

Articulus I. De proprietatibus Ecclesiam intrinsecus perficientibus. 223
Thesis IX. Ecclesia Christi ad omnes gentes est dilatanda; ita ut, tamquam totum ex iis coalescat, quasi homogeneis et ejusdem naturae partibus; quo fit ut illa in istis sit, et istae in illa: seu, Christi vera Ecclesia est Catholica. 223
Objectiones. 229
Corollarium. 231
Thesis X. In Christi Ecclesia deficere non potest fides charitate, imo ceteris quoque S. Spiritus charismatibus, ornata. 232
Objectiones. 238
Articulus II. De proprietatibus Ecclesiae causaliter inspectae. 239
Thesis XI. Ecclesia Christi, non solum quatenus est societas credentium, sed etiam qua universale exercet magisterium a Christo susceptum, est infallibilis, seu errare non potest in fide et moribus. 239
Objectiones. 241
Scholion. *De factis dogmaticis.* 242
Dico. Ecclesia infallibilis est in factis dogmaticis dijudicandis. 243
Objectiones. 244
Thesis XII. Quam accepit Ecclesia docens et hierarchica ad docendum et regendum auctoritatem, eamdem habent Concilia universalia. 246
Objectiones. 248
Scholia. De Conciliis. 249
§ I. *A quo convocandum generale Concilium.* . . . . . 249.
§ II. *A quo confirmandum Conc. generale.* 250
§ III. *A quo praesidendum Conc. generale.* 251
§ IV. *Quinam convocandi ad generale Conc.* 251
§ V. *Quae sit conciliorum particularium auctoritas.* . . . 252
Thesis XIII. Romani Pontifices potestatem habent regendi et gubernandi universam Christi Ecclesiam, etiam collec-

Pag.

tim sumptam; proinde primatus ille quo donantur, quatenus centrum existunt et culmen christianae hierarchiae, non est solius honoris primatus, et veluti signum tantum unionis; sed primatus jurisdictionis, et una ac personalis suprema potestas. 254
Objectiones. 257
Thesis XIV. Romanus Pontifex cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab Ecclesia universa tenendam definit, ea infallibilitate pollet, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. 261
Objectiones. 266
Scholion. De censuris theologicis. 270
Articulus III.—De Ecclesiae proprietatibus extrinsecis, seu de Notis Ecclesiae. 272
Thesis XV. Christi Ecclesia est necessario visibilis, id est, potest certo ac permanenter ab hominibus cognosci tamquam vera Christi Ecclesia. 272
Thesis XVI. Vera Christi Ecclesia a quavis ficti nominis christiana secta hisce notis discerni potest; quod sit nempe, *Una, Sancta, Catholica et Apostolica*. 274
Objectiones. 278
Scholion. Discrimen inter Notas et Proprietates.. 281

CAPUT III.

DE ECCLESIA CHRISTI SINGULARITER COGNOSCENDA.

Articulus I.—De vera Christi Ecclesia positive cognita. . . 282
Thesis XVII. Ecclesia Catholico-Romana, id est, quae in quinque mundi plagas dilatatur, et Romano Episcopo tamquam centro et capiti adhaeret, est vera Christi Ecclesia. . 282
Objectiones. 284
Articulus II.—De christiana Ecclesia negative cognita, seu de iis qui ad Christi Ecclesiam non pertinent.. 288
Thesis XVIII. Schismatici Constantinopolitano episcopo adhaerentes nequeunt Christi esse Ecclesia. 288
Corollarium. Orientales ecclesiae, quae vel Russiarum Imperatori, vel aliis subduntur, ad veram Christi Ecclesiam non pertinent.. 289

Pag.

Thesis XIX. Protestantium innumerae sectae, sive simul sumptae, sive singillatim, non pertinent ad veram Christi Ecclesiam. 289
Thesis XX. Anglicana secta ab Henrico VIII inducta, ab Elisabetha regina instaurata, non potest Christi vera esse Ecclesia.. 291

CAPUT IV.

DE ECCLESIAE FILIIS, SEU VERIS CHRISTIANIS DIGNOSCENDIS.

Thesis XXI. Quidam ad Christi Ecclesiam spectant interne et externe, seu et quoad illius animam et quoad corpus: alii autem vel quoad animam tantum, vel quoad corpus: quidam denique nullo modo actualiter pertinent, sed in potentia seu ex debito solum. 292
Thesis XXII. Ecclesia non coalescit ex solis praedestinatis. 293
Thesis XXIII. Catholicus, etiamsi peccator, absolute intra Ecclesiam existit, licet imperfecte.. 294
Thesis XXIV. Excommunicati removentur partim ab Ecclesiae corpore, non autem ab anima. 295

CAPUT V.

DE SACRO DEPOSITO, SEU FONTIBUS UNDE ECCLESIA SACRAM HAURIT DOCTRINAM.

Articulus I.—De Traditione. 296
Thesis XXV. Scripturae sacrae non amplectuntur exclusive universam fidei christianae doctrinam, sed a traditione est etiam desumenda. 296
Objectiones. 298
Thesis XXVI. Per se priores et magis necessariae sunt Ecclesiae Traditiones, quam Scripturae sacrae. 299
Thesis XXVII. Traditio sacra, ex qua veluti é fonte Ecclesia fidei et morum haurit doctrinam, effulget, praeterquam quae actuali et communi ipsius Ecclesiae revelatur sensu, in antiquis sacrorum Conciliorum et sanctorum Patrum monumentis. 301
Scholion. De iis qui sub nomine PATRUM veniunt; deque Theologorum et Canonistarum munere.. 303

Pag.

Articulus II.—De Scriptura Sacra. 304
§ I. *De Scripturae sacrae existentia.* 304
Thesis XXVIII. Habet etiam Ecclesia Scripturas sacras, seu divinitus inspiratas, unde fidei haurit doctrinam. . . . 304
Thesis XXIX. Libri sacri christianorum sunt qui in Canone a Tridentino tradito continentur. 306
§ II. *De S. Scripturae inspiratione.* 310
Praenotanda. 310
Thesis XXX. Ad divinitatem alicujus Scripturae non sufficit Dei assistentia ne scribens erret. 311
Thesis XXXI. Non sufficit ad hoc ut locutio et scriptura sint verbum Dei, ut quomodolibet a Deo fiant. 311
Thesis XXXII. Deus scriptores sacros ad scribendas saltem res, seu veritates et sententias in libris sacris expressas specialiter impulit. 311
Scholion. De verborum et phrasis inspiratione. 313
§ III. *De authentia SS. Librorum.* 316
Thesis XXXIII. Vulgata versio latina SS. Scripturarum est authentica. 317
§ IV. *De sacrae Scripturae interpretatione.* 318
Thesis XXXIV. Scriptura sacra in multis est intrinsece et absolute obscura. 318
Thesis XXXV. In dubiis sacrae scripturae solvendis et obscuris declarandis, sola S. Scriptura non sufficit. . . . 320
Scholion. Regula SS. Scripturas authentice interpretandi. . 321
Appendix I. Constitutio *Quanta cura* Pii PP. IX. 323
Syllabus complectens errores praecipuos nostrae aetatis. . 331
Appendix II. Summorum Pontificum ordo chronologicus. . 342
Appendix III. Concilia generalia et particularia. 349
Index alphabeticus rerum notabilium. 364

FINIS INDICIS GENERALIS TOMI I.

DISQUISITIO I.

Sacrae scientiae idea et prolegomena.

1. Doctorum Scholasticorum, duce eorum principe Doctore Angelico, exemplum sequentes theologicae scientiae ideam ac prolegomena aliqua reliquis disquisitionibus praemittenda censemus. Tironibus enim ad hanc accedentibus facultatem non exigua difficultas, tum ex rei novitate, tum ex scientiae hujus supra ceteras eminentia, tum ex argumentorum natura et varietate, objici solet: huic obviam ibimus incommodo, si paucis exponamus lectionibus, quae sit Theologiae natura, quae methodus, quae propria ipsius argumenta et quanta illorum efficacia; his enim expositis, noscent, veluti uno conspectu, disciplinam hanc aggredientes, quem scopum attingere, et qua via prosequi oporteat.

DIVISIO GENERALIS.

Caput I. Definitio, ortus, ac necessitas scientiae theologicae.
— II. Sacra Theologia quo pacto est scientia et multipliciter dividitur.
— III. De rerum comprehensione ad sacram scientiam necessaria.
— IV. De argumentis theologicis et eorum fontibus.
— V. Canones ad usum argumentorum in Sacra scientia.
— VI. Methodus disserendi adversus haereticos a Theologo adhibenda.
— VII. In Theologiae studio et disciplina quae methodus seligenda.

CAPUT I.

Definitio, ortus ac necessitas scientiae theologicae.

ARTICULUS I.

Sacrae scientiae definitio.

2. Vi nominis inspecta, Theologia definiri debet: de Deo sermo, seu, notitia: τοῦ θεοῦ Λόγια. Dionysius Areopagita Christi Apostolos, quod veri Dei notitiam hominibus tradidissent, theologos appellavit: «Petrus, supremum decus et antiquissi-

mum Theologorum culmen (1).» Gregorius Nazianzenus, ob insignem qua praefulsit de Deo scientiam, Theologus fuit nuncupatus; et orationes, quas de SS. Trinitate scripsit, theologicas ipse vocavit. Imo et Joannes Evangelista, qui prae ceteris Apostolis divini Verbi aeternam generationem ac divinitatem praeclarius enuntiavit, Theologus a primaevis Patribus dicitur.

3. Si autem quoad rem ipsam velimus Theologiam definire, haec videtur propria ejusdem definitio: Scientia de rebus divinis, quatenus ex principiis fide divina cognitis nobis illucescunt.

Dicimus de rebus divinis; ut intelligamus Theologiam non de iis solum agere, quae intrinsecus ad Deum spectant, sed de iis quoque, quae extrinsecus ad divinitatem referuntur. Reliqua autem, quae huic adjicimus definitioni, proximam constituunt differentiam: de rebus namque divinis agere possumus, vel prout ex principiis nobis innotescunt naturalibus, unde naturalis seu philosophica profluit Thelogia; vel quatenus ex desuper infuso lumine eas intelligimus, et ita sacra haec, de qua disserimus, exsurgit Theologia.

4. Cur autem definire hoc modo scientiam istam debeamus, perspicuum videtur. Ut enim scientiam Dei assequamur, opus est eum mente attingere prout nobis objicitur et manifestatur: atqui per ea, quae extrinsecus ad Deum referuntur, dignosci Ipse a rationalibus creaturis voluit; *invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus et divinitas* (2): ad Ephesios autem: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut det vobis... Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati et fundati: ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo et longitudo, et sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei* (3). Necesse est igitur ut Scientia theologica res quoque illas, quae extrinsecus Deum attingunt, tractet. Propterea Augustinus (4) Sacrae Scientiae latitudinem supra omnem hominum esse elocutionem et intellectum testatur. «Commemorare quaedam de Domino Deo auctore et formatore et ordinatore rerum omnium, quae ad saluberrimam fidem pertineant, et quibus lactens atque a terrenis in coelestia sese attollere incipiens utiliter adminiculetur attentio, et factu facillimum, et a plerisque jam factitatum est: pertractare autem istam totam, atque ita versare quaestionem, ut perspicuae rationi, quan-

(1) De divinis nominibus.—(2) Ad Rom. I. 20.—(3) Ephes. III, 14.—(4) De liber. arbitr. l. 3, c. 23.

tum in hac vita datur, omnis humana intelligentia subjugetur, non modo eloquio, sed ne cogitatione quidem, vel cuiquam hominum, vel certe nobis, satis expeditum et facile aggrediendum videri potest. Nunc ergo ut quod instituimus, quantum adiuvamur et quantum sinimur, peragamus; quaecumque nobis vel narrantur praeterita, vel praenuntiantur futura, quae ad commendandam valeant integram religionem, excitando nos ad sincerissimam dilectionem Dei et proximi, sine dubitatione credenda sunt; adversus incredulos autem hactenus defendenda, ut...»

5. Proprium tamen ac praecipuum Theologiae objectum est Deus, seu ea omnia quae intrinsecus ad Deum pertinent; quia «Omnia, ait D. Thomas (1), pertractantur in sacra doctrina sub ratione Dei; vel quia sunt ipse Deus, vel quia habent ordinem ad Deum, ut ad principium et finem. Unde sequitur quod Deus vere sit subjectum hujus scientiae.»

6. Quoad alteram definitionis propositae constitutivam differentiam, quod, scilicet, ex fide divina certitudinem suam sacra haec hauriat disciplina, facile patet ex eo, quod aliter nullatenus differret a philosophica. Praeterquam quod, auctoritate sua apostolica, id Gregorius IX confirmavit (2): «Auctoritate mandamus et districte praecipimus, quatenus... sine fermento humanae scientiae doceatis Theologicam puritatem, non adulterantes Verbum Dei philosophorum commentis... sed contenti terminis a Patribus institutis, mentes auditorum vestrorum fructu coelestis eloquii saginetis, ut limpidas aquas, tendentes ad hoc principialiter, ut quae vel fidem adstruunt vel mores informant, hauriant *de fontibus Salvatoris*.»

7. Objic. 1.° Theologia, seu disciplina illa in scholis theologicis communiter tradita, nihil aliud est quam quidam thesium, definitionum, argumentorum et obiectionum complexus: sed hoc merum est humanumque mentis artificium; ergo nullo modo scientia sacra vel supernaturalis dicenda, sed potius umbra quaedam Philosophiae atque ancilla.

Resp. dist. *mai.* Theologia... est quidam thesium... complexus, si forma tantum et methodus inspiciatur; conc. Ratione materiae, quam versat, et principiorum quibus ducitur; nego. Ideoque concessa *min.* negatur *consequentia.* Non enim secundum externam formam de re ulla judicandum, sed secundum ea, quae ad ejus spectant substantiam.

8. Obiic. 2.° Sacra Theologia dicenda tantum, superna illa reve-

(1) Summ. theol. I. q. 1, a. 7. — (2) Epist. ad magistros Theologiae Parisienses.

velatio in sacris tradita litteris, aut traditione suscepta; et verus ille est theologus qui veritates a Deo revelatas didicit: ergo quae ex veritatibus fide cognitis fluunt et illucescunt ad Theologiam non pertinent.

Resp. dist. *antec.* Sacra Theologia *inadaequate* sumpta, id est, quoad ea, quae proxime et immediate attingit, dicenda tantum... Conc. *Adaequate* accepta, scilicet, quatenus in scientiam explicatur secundum humanae mentis processum, dicenda tantum... Nego antecedens.

ARTICULUS II.

Sacrae scientiae exordium.

9. Exposita Sacrae Theologiae notione, ortum ejus ac progressum intelligere facillimum evadit. Simul atque, nempe, coepit Deus hominis rationem, revelatis superne veritatibus, excolere et perficere, sacrae scientiae fundamenta, seu principia, jacta sunt. Quia vero homo, rationis suae instinctu, necessario fertur ad ratiocinandum, ad abstractionem scilicet et analysim, ad synthesim, ad veritates invicem conferendas, ad conclusiones ex iis educendas, ad difficultatum umbras dissipandas (quemadmodum circa veritates, vi naturali acceptas, eum id praestare conspicimus); inde etiam necessario ducti sunt homines, intimo sciendi et philosophandi desiderio, ut veritates illas supernaturali modo, docente Deo, acceptas, excolerent et ad scientiae modum ordinarent: *non enim ex solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei* (1).

10. Unde nullatenus dubitandum ab Adamo, omnium hominum primo institutore, ortum perfectionemque eximiam sacram duxisse Theologiam iis innixam revelationibus, quae hominis et totius mundi conditionem, originalem iustitiam, aeternam beatitudinem, universalem ruinam, et futuram respiciebant redemptionem. Deinde, cum Deus per Patriarchas et Prophetas vel novas edocebat, vel priores veritates clariori luce perfundebat, scientia proficiebat Theologica, ut in sapientissimis viris Moyse et Job praeclara habemus exempla. Denique, edocente exterius Filio Dei carnem induto, et interius illustrante Spiritu Sancto, *repleta est terra scientia Domini* (2), missis ubique terrarum Apostolis Sacrae Scientiae magistris.

11. Postea, hisce illustrati fulgoribus SS. Patres, Apostolicam

(1) Matth. IV, 4.—(2) Isai. XI, 9.

intendentes traditionem, in eadem illustranda scientia et excolenda versati sunt, ut ad captum omnium eam aptarent, vel, ut ad omnes vitae usus ex ea documenta depromerent, vel, ut errantibus lumen praeberent, vel, ut illam depravantes expugnarent. Ex hoc multorum Ecclesiae Patrum indefesso labore claritas major effulsit, et intrinsecus veritatum supernaturalium nexus ac ordo in lucem prodiit, ita ut tandem sacri Doctores, Ecclesiae lumina, uti Damascenus, Magister Sententiarum, Albertus Magnus, Doctor Angelicus, Doctor Seraphicus, Doctorque Eximius, etc., miro ordine, claritate, unitate ac plenitudine Scientiam theologicam nobis facilius addiscendam traderent.

ARTICULUS III.

S. Theologiae necessitas.

12. Quod ad necessitatem spectat scientiae theologicae, facile cuivis evadet ex praecedentibus eam eruere et intelligere.

Primo enim Gregorius IX in illa ad Parisienses Magistros epistola (n. 6.), gravissimis verbis necessariam esse sacram scientiam docuit: «Dicant huiusmodi naturalium sectatores; quod Verbum caro factum est et habitavit in nobis, estne gratiae, an naturae?... Auctoritate mandamus et districte praecipimus quatenus... doceatis theologicam puritatem... ut limpidas aquas hauriant de fontibus salvatoris.»

13. Secundo patet, quia ordinatur homo, in praesenti rerum ordine, ad finem supernaturalem per eiusdem ordinis media, nempe, supernaturalia: atqui ad eiusmodi finem atque media non potest homo per disciplinam mere naturalem sat institui; alia igitur adhibenda est superioris ordinis. *Maior* ex sacris litteris aperta est: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* (1).

14. Neque sola assequendi finem sibi a Deo praestitutum necessitas, sed etiam ut omnibus possit christianus rationem de superna sua spe reddere, altior haec adhibenda est disciplina; praescribit enim S. Petrus, ut simus *parati semper ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quae in nobis est spe* (2). Qua quidem obligatione strictius urgentur ii omnes, quibus ceteros edocendi fuit munus

(1) 1.ª, Cor. II, 9. — (2) 1.ª, Petri, III, 15.

commissum: qua de re vide Paulum ad Titum (1) et Timotheum (2) documenta tradentem.

Tertio: omnis doctrina a Deo hominibus tradita firmiter et religiose est suscipienda, nec non alia quaecumque veritas quae illi connectatur; ideoque quidquid eidem adversetur ab omnibus rejiciendum: atqui sola naturali disciplina id praestari non potest; principia enim, quibus haec nititur, neque ad ordinem pertingunt supernaturalem, neque cum divina revelatione nexum ullum prae se ferunt: sacra igitur ac superior requiritur scientia.

15. Objic. 1.° *Altiora te ne quaesieris*, dicit Scriptura (3): ergo naturalis tantum nobis quaerenda est scientia.

Resp. distinguo, seu expono *antec.* Nisi novae et altiores adjiciantur vires; conc. Si vires ad altiora quaerenda tradantur: nego *antec.* vel potius tunc negandum suppositum.

Objic. 2.° Si naturalis hominibus non sufficiat disciplina, eorum natura manca erit et monstruosa: sed hoc et naturae repugnat, et naturae dedecet Auctorem: ergo.

Resp. dist. *maj.* Si hominibus quoad solam naturam inspectis non sufficeret naturalis disciplina, eorum natura manca esset; conc. *maj.* Si hominibus, ad altiorem ordinem institutis, non sufficeret naturalis scientia, foret manca eorum natura; nego *majorem.*

Nam, ex supra expositis argumentis, clare elucet, necessitatem scientiae theologicae non ex natura absolute perspecta desumi, sed ex alio ordine, in quo est a Deo constituta.

16. Instabis: In sacra disciplina veritates etiam traduntur, quae vim naturae rationalis non transcendunt: ergo est dicenda simpliciter necessaria disciplina sacra.

Resp. dist. *consequens.* Quod eas veritates quae rationis captum non superant est dicenda necessaria *absolute;* neg. *cons.* Est dicenda necessaria *secundum quid;* conc. *consequentiam.* Licet enim possint naturalis ordinis veritates absolute sola ratione attingi, tamen ut ab omnibus *facile, prompte* et *sine erroris* admixtione percipiantur, necessaria est superna disciplina, uti infra erit probandum.

(1) Tit. c. I, vv. 9, 10... 14.—(2) Timot. ex. 2.ª, c. III, 16.—(3) Eccli. III, 22.

CAPUT II.

Sacra theologia quo pacto scientia existit, et multipliciter dividitur.

ARTICULUS I.

Quod Theologia sit scientia.

17. Theologiam esse vere et proprie scientiam, affirmant cum D. Thoma Auctores plures, negant autem non pauci. Quaestio potius de voce quam de re esse videtur. Si enim cum Aristotele et D. Thoma eam esse Scientiam dicamus quae ex principiis evidentibus conclusiones deducit, Theologiam non esse stricte scientiam sequetur. Et quidem D. Thomas (1) ait: «De ratione scientiae est quod habeat firmam adhaesionem cum visione intellectiva: habet enim certitudinem procedentem ex intellectu principiorum.» Tamen vere et absolute Theologiam esse scientiam docet S. Doctor (2).

18. In primis ergo **dicendum**: ratione certitudinis vere et stricte Theologia est scientia. Principia enim quibus nititur sunt fidei dogmata, quae sane omnimoda constant certitudine.

Deinde: ratione evidentiae conclusionum ex principiis fluentium, est etiam Theologia vere et proprie scientia. Eadem namque adhibetur ratiocinandi vis in theologicis ac in philosophicis.

Denique: quoad evidentiam principiorum, **dicendum est**, non esse necessariam ad perfectionem scientiae simpliciter dictae, sed solum ad scientiam naturalem. Triplex habitus in mente ad cognoscendum gignitur: *intellectus;* qui dicitur habitus principiorum, seu, quo cognoscimus principia: *scientia;* quae est habitus conclusionum, seu, quo certo et evidenter discurrendo veritatem ex illis fluentem assequimur: *opinio;* qua probabiliter cognoscere possumus, seu, habitus probabilium. Omnes hi habitus *aliquam* exigunt evidentiam: *intellectus* objectivam; quia principia debent ex se certa existere,

(1) 1, 2, q. 67, a. 3. — (2) 1, p. q. 1.

quod fieri nequit. ex natura rei, absque evidentia: *scientia* postulat evidentiam formalem, connexionis, nempe, conclusionum cum principiis; alias certitudine careret; non autem requirit obiectivam. ut patet in conclusionibus Matheseos innumeris, atque Philosophiae vel cuiuslibet scientiae. Quia vero scientia absque certitudine non datur. certa autem esse nequit si principia ex quibus fluit incerta existant, haec autem non sunt *naturaliter* certa nisi sint evidentia, inde sequitur; scientiam naturalem non posse perfectam existere absque principiorum evidentia. Jam vero. scientiae Theologicae principia sunt veritates fidei. quae absque evidentia firmissimam certitudinem assequuntur; scientia ergo haec gaudet omnimoda certudine et evidentia ad scientiam necessaria.

Cum ergo Aristoteles, ad perfectionem intrinsecam scientiae, evidentiam principiorum praescribebat, de sola loquebatur naturali scientia; idem censendum de D. Thoma; quo posito nulla est in eius dictis contradictio.

19. Objic. 1.° Scientia naturalis de evidentia particeps est suorum principiorum; sed id scientiae sacrae non accidit: ergo haec est minus perfecta.

Resp. distin. *mai.* Particeps virtualiter; conc. Formaliter. subd. Per se; nego: per accidens, permitto. Potest sane *accidere* ut in principiorum evidentia perspiciatur obiective ipsa conclusionis veritas; tunc autem potius dicenda est huiusmodi cognitio simplicis intellectus actus (ut apud Angelos), quam scientia.

Instabis: Principiorum evidens notitia perfectior est, quam intellectio eorumdem per fidem: ergo saltem extrinsecus scientia naturalis est perfectior quam Theologica scientia.

Resp. Dist. *ant.* Si fuerit fidei motivum minus perfectum quam evidentia; conc. Si nobilius et perfectius extiterit; nego *ant.* Evidentia etenim principiorum, cum sit modus cognoscendi intellectui connaturalis, ipsius perfectionem transcendere nequit. Cognitio, è contra, per fidem longe superiori nititur motivo; scilicet, in scientia et veracitate divina supernaturaliter apprehensa et obiective movente, et in virtute Spiritus Sancti, cum intellectu simul ac voluntate, subiective ac supernaturali modo cooperante ad assensum.

20. Objic. 2.° Intellectus ad assensum ex evidentia conceptum necessario inducitur, non autem ad assensum ex fide ortum: ergo scientia naturalis majori gaudet certitudine quam theologica.

Resp. dist. *consequens:* certitudine objectiva, seu firmitate motivi utriusque scientiae perspecta; nego. Certitudine subjectiva, seu quoad cooperationem principiorum utriusque assensus. Subd. Si principia assensus fidei non cooperentur pro dignitate et merito motivi; conc. *consequentiam:* si cooperentur; nego *consequentiam.*

Assensus ex fide ita a Deo fuit temperatus, ut liber et meritorius existeret, ideoque non a solo intellectu, sed a voluntate quoque procedens: qua perfectione assensus ex evidentia ortus caret. Ut ergo utriusque assensus elucescat tota certitudinis subjectivae perfectio; opus est, ut quemadmodum assensus ex evidentia supponitur elici ab intellectu pro dignitate et virtute sui motivi; ita, assensus ex fide ab intellectu perficiatur, cooperante voluntate, secundum motivi rationem et exigentiam. Quod si ita fiat, non minor sed major erit certitudo subjectiva fidei; quia recta voluntas assensum super omnia firmissimum imperare debet, si auctoritati Dei aequum ac adaequatum praestare obsequium velit.

21. Obiic. 3.° Quemadmodum ad theologica principia amplectenda non ducitur necessario intellectus; ita neque ad theologicas conclusiones: sed haec est opinionis, seu, habitus probabilium, proprietas, ut menti necessitatem assentiendi non afferat: ergo disciplina sacra potius opinioni, quam scientiae, est adcensenda.

Resp. Dist. *mai*. Intellectus non ducitur necessario ad theologicas conclusiones *objective* sumptas; conc. *mai*. *Formaliter* acceptas nego *maior*. Solutio ex dictis inter probandum patet.

Minorem, vel concedas, vel etiam licet negare suppositum. Non enim *totaliter* sita est opinionis natura in eo, quod non trahat necessario intellectum; praeter hoc enim requiritur, ut argumentum in quo nititur sit evidenter *grave et incertum*. At è contra: principia theologica, seu fidei dogmata, objective inspecta (idem censeas de conclusionibus) nituntur motivis adeo evidenter gravibus, ut et assensum *firmissimum* evidenter mereantur; ita quod imprudens plane existat quaelibet voluntaria dubitatio. Unde opinio non tantum excludit necessitatem assensus, sed etiam certitudinem; fides autem, vi proprii motivi, divinae, scilicet, revelationis, firmam super quaelibet alia argumenta vindicat sibi prudentem certitudinem. Igitur cum mentis perfectio in eo essentialiter posita sit, ut adhaereat obiecto suo, id est, veritati; idque certo assequatur in scientia et in fide, non autem in opinione; patet non ad opinionem sed ad scientiam potius esse accensendam theologicam disciplinam. Quod autem firma mentis cum veritate conjunctio procedat ex evidentia vel alio principio, id non ad intrinsecam eius constitutionem, sed ad huius causalitatem est referendum. Ideoque Augustinus (1) docet, veram et excellentiorem esse scientiam illam, quam ex fide habemus, divinarum rerum cognitionem.

(1) De Trinit. l. XIV, c. 1.

ARTICULUS II.

Sacrae scientiae partitio.

22. Ut recte intelligamus, qua ratione sacra Theologia in plures veluti theologias dispertiatur, primum cum D. Thoma asserimus, illam *unam* esse scientiam. Etenim sub una formali et communi ratione omnia, quae huic scientiae subjiciuntur, ab eadem tractantur; scilicet, quatenus ex divina revelatione nobis mediate vel immediate innotescunt. Quapropter, quemadmodum homo; equus et lapis ad unam spectant potentiam visivam sub ratione colorati; ita Deus et mundus, spiritualia et corporalia, gratia et natura, leges et sacramenta, etc., sub una comprehenduntur sacra scientia, quatenus revelationis divinae lumine ad Deum referri dignoscuntur.

23. Quo praesupposito, **dicimus** tamen: multimode Theologiam partiri. 1.°; ratione suae entitatis, in Theologiam *actualem* et *habitualem:* prima est actus mentis circa fidem et alia quae cum fide connectantur versantis; *habitualis* autem est ipsa apta dispositio, seu habitus, quo mens facile eiusmodi actus exercere valet.

24. 2.°; ratione rerum, quae in Theologia petractantur, est, vel *Dogmatica;* quae dogmata fidei illustrat: vel *Moralis;* quae de rectis vel pravis moribus inquirit in ordine ad Deum: vel *Ascetica;* quae viam docet, qua ad perfectam sanctimoniam perveniendum est: vel *Mystica;* quae miros Dei congressus ac supernam cum servis suis consuetudinem perscrutatur et evolvit.

25. 3.°: ratione modi, seu methodi, qua obiectum suum attingit, Theologia dividitur in *Positivam;* quae fidei doctrinam inquirit et exponit ex SS. Scripturis, ac dicitur *Biblica;* aut ex SS. Patribus ac Conciliis, et *Patristica* nominatur: in *Polemicam;* quae controversias habet adversus sacrae doctrinae hostes: in *Scholasticam;* quae strictiorem adhibet Dialecticae methodum ad faciliorem, in scholis, alumnorum institutionem; et, praeter dogmata, diligenter omnia, quae cum iisdem connectuntur, perscrutatur, et ea quae adversantur refellit.

4.°: ratione subjecti dicitur, vel *Divina;* quatenus in mente divina effulget: vel *Beata;* quia in mente existit beatorum: vel *Terrena* seu *Viatorum;* quia in praesenti vita habetur et excolitur.

26. Obiic. 1.° Scientiae Divina, Beatorum et Viatorum nequeunt eiusdem esse speciei: ergo non est *una* scientia theologica.

Resp. Dist. *consequens.* Non est *una* in viatoribus, seu sub fide

ambulantibus; nego. Non est *una* in Deo, beatis et viatoribus; conc.

Objic. 2.° Scientiae theologicae, Positiva, Polemica et Scholastica a diversis procedunt actibus: ergo et diversi sunt habitus pluresque Theologicae scientiae.

Resp. Dist. *antec.* Positiva, polemica et Scholastica *materialiter* sumptae, seu, quoad adjuncta, a diversis procedunt actibus; conc. *Formaliter* sumptae; nego *ant.* Similiter contra distinguo *consequens.* Sane, diversae illae methodi, in Theologia Positiva, Polemica et Scholastica adhibitae diversarum rerum notitiam, ideoque diversos praerequirunt actus; hi autem non sunt intrinsece theologici, sed extrinsece quatenus subordinantur, ut media, ad actus stricte theologicos.

27. Objic. 3.° Actus theologici, formaliter sumpti, aliquando a duabus praemissis revelatis procedunt; nonnunquam vero ab una revelata et alia evidenti. Sed conclusio, quae nititur in solis praemissis revelatis, nequit eiusdem esse speciei cum illa, quae in evidenti praemissa etiam fundatur: ergo neque formaliter *una* Scientia theologica existit.

Resp. Concedo *majorem;* similiter conc. *minorem* ut valde probabilem; ideoque disting. *consequens:* formaliter non est *una* Scientia theologica propriissime dicta, nempe, quae ex *sola* procedit revelatione; nego: Quae non deducitur ex sola revelata veritate; Subd. Non est *una* physice; conc. Non est *una* unitate ordinis; nego.

CAPUT III.

De comprehensione ad sacram scientiam necessaria.

Praenotare oportet; nonnullos AA. cum Dogmaticam illustrant Theologiam, solis fidei veritatibus adprobandis operam dare, et ceteras fere omnes praetermittere quaestiones tamquam a Sacra Scientia alienas.

28. **Dicimus** ergo 1. Non tantum revelata dogmata debet Theologia illustrare, sed plura quoque non exigui momenti, quae cum dogmatibus connectuntur.

1.° Theologia debet, ex instituto suo, declarare Verbum Dei, ita ut, quantum fieri possit, intelligatur. Sed non declaratur Verbum Dei, nec intelligitur, dum ea quae cum fidei dogmatibus connectuntur delitescunt: ergo.

Major patet: ideo namque superne nobis divina, humanaque revelantur ut *intelligamus, illuminemur,* eaque intime *scrutemur; «Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea: declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis* (1).»

29. 2.° Scientia, quae in suis sisteret principiis, non esset scientia, sed germen scientiae et sine partu fetura: quid, quaeso, de Mathematico cogitares, qui non nisi matheseos percurreret axiomata; *Totum est maius sua parte: Ab aequalibus si aequalia demas, quae supersunt existunt aequalia:* et similia? Atqui, ut dictum est, fidei dogmata sunt scientiae sacrae principia.

30. 3.° Nobis praesto est S. Thomae sententia: «Disputatio est magistralis in scholis, non ad removendum errorem (ad solam veritatem statuendam), sed ad instruendum auditores ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit; et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem, et facientibus *scire quomodo* sit verum quod dicitur (2).»

Augustinus quoque nos docet, quo pacto scientiam assequi oportet: «Proprie quippe cum loquimur, id solum scire discimus, quod mentis firma ratione comprehendimus (3).» Atqui si dogmatum cum lumine rationis nexus omnes negligas, nihil sane mente comprehendes.

31. Objic. 1.° Res stulta est et periculi plena, quae supra captum nostrum sunt praescrutari et velle intelligere: sed eiusmodi sunt fidei dogmata; *Magna sunt enim judicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua; propter hoc indisciplinatae animae perierunt* (4): et Petrus, de Pauli doctrina, ait: *in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et caeteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem* (5). Ergo abstinere oportet a perscrutatione dogmatum, et in eorum simplici affirmatione et approbatione sistendum.

32. Resp. 1.° Dist. *min.* Omnia fidei dogmata supra captum nostrum sunt; nego *min.* Deus enim plura, quae lumen non supergrediuntur rationis, revelavit; ut suam existentiam, unitatem, aeternitatem; animae libertatem et immortalitatem, etc.

Aliqua dogmata vim excedunt rationis, ita ut, *nihil rationabile,* seu rationi pervium, prae se ferant; iterum nego: quatenus a nobis penitus rimari et perspici non possunt; concedo.

33. Resp. 2.° Ex ipsa obiectione alia suppetit responsio, qua ejus eluceat fallacia. Licet obscura sint quae menti proponuntur, tamen homines, qua possunt, illa conantur intelligere, etiamsi *indocti* sint

---

(1) Ps. 118, vv. 129, 130.—(2) Quodl. 4, a. 18.—(3) Retract. l. 1, c. 14.—(4) Sap. XVII, 1.—(5) Petr. ep. 2, c. III, 16.

et *indisciplinati*. Inde autem accidit, quod plures, parum in fide fundati, *instabiles*, dogmata depravant, falsa pro veris effingentes, vel utraque miscentes. Quod si sacrae scientiae cultores, Theologi nempe, genuinam dogmatum intelligentiam neglexerint, plures circa fidem depravatas doctrinas non agnoscent, non reprobabunt, imo forsan et adprobabunt; ideoque sensim sine sensu serpent in fidei grave nocumentum et populi christiani ruinam. Potius ergo in dogmatum intimam intelligentiam debent incumbere Theologiae cultores, ne *indocti*, *indisciplinati* et *instabiles* in falsos detorqueant sensus et interpretationes.

34. Objic. 2.° Ad unitatem catholicam servandam, et ad haereticos in unitatem reducendos, sufficit dogmata fidei profiteri; nec opus est ea credere quae subtiliter inquirendo ex iis deduci possunt. Ergo sufficit Theologo in solis dogmatibus fidei probandis ac defendentis vacare.

Resp. 1.° Permisso *antec.* nego *consequentiam:* universalior enim est *conclusio* quam *praemissa.*

Resp. 2.° Ad unitatem catholicam *imperfectam* et *extrinsecam*..... sufficit dogmata profiteri... Conc. *ant.* Ad unitatem *perfectam* et *internam;* id est, ad idem recte sentiendum circa doctrinam revelatam; nego *ant.*

35. Objic. 3.° Facilius ad viam veritatis reducentur haeretici, si dogmata fidei tantum eis amplectenda proponantur, ceteris praetermissis. Sed ad Theologum pertinet errantes reducere, adeoque difficultatem emollire, non gravare: ergo ad eumdem spectat de solis fidei definitis veritatibus disserere.

Resp. 1.° Dist. *mai.* «Ceteris praetermisis,» quatenus cetera non sunt proponenda tamquam necessaria ad fidem; conc. *mai.* Quatenus cetera prorsus inutilia sint ad haereticum reducendum; nego.

Nam quidquid ad intelligentiam confert dogmatum, juvabit etiam ad veritatem amplectendam: ex prava enim fidei intelligentia plerumque a credendo haeretici retardantur; e contra, fidei cum ratione mira concordia viam admodum sternit ad eam amplectendam.

36. Resp. 2.° Dist. *min.* Ad Theologum pertinet errantes reducere... ita ut, hoc sit solum Theologi munus; nego: *praecipuum* namque theologi officium ad domesticos fidei respicit, ut, scilicet, lumine revelationis *plenissime* mente perfundantur: *Si quis enim suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (1). Ad Theologum pertinet *etiam* haereticos reducere, ita ut nihil detrimenti Ecclesiae filii exinde patiantur; concedo. Hoc sane commendat et praecipit Apostolus, ut admo-

(1) 1. Tim. V, 8.

neantur et corripiantur errantes: *Haereticum hominem, post unam et secundam correptionem, devita* (1). Absit autem omnino, ut Theologus, in solis corripiendis lupis et revocandis haereticis intentus, maximam Sacrae Doctrinae partem, qua pascendi, illuminandi et recreandi sunt filii Ecclesiae, turpiter ignoret et negligendam putet.

37. **Dicendum II.** Theologia Positiva, sive Biblica, sive Patristica et Conciliaris, diligenter excolenda est.

Ex definitione superius tradita Theologiae Positivae, apertissime patet huiusce assertionis veritas. Scientia enim absque principiis, esset quid plane fictitium: atqui theologicae scientiae principia, dogmata nempe fidei, in Sacris Litteris habentur, in Conciliis et Patrum traditionibus. Recole Gregorii IX, quod supra laudavimus, Apostolicum Mandatum (2). Apostolus autem ad Timotheum ait (3). *Tu vero permane in his quae didicisti, et credita sunt tibi; sciens a quo didiceris, et quia ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem quae est in Christo Jesu. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.* Iterum: *Et quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* (4). Quemadmodum igitur in SS. Litteris fides habetur, ita et apud SS. Patres, quibus doctrinam a Christo D. et Sp. Sancto susceptam in depositum Apostoli tradiderunt.

38. **Dico III.** Theologia Polemica a Theologiae cultore nullatenus est negligenda.

1.° Haeretici, teste Apostolo, corripiendi sunt, ut nuperrime diximus: ergo theologus quomodo haeretici expugnandi sint callere debet. Episcopo autem, ad quem maxime scientia theologica pertinet, mandat Paulus; *ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Sunt enim multi vaniloqui et seductores, quos oportet redargui* (5).

39. **Dico IV.** Theologiae Scholasticae in primis studiose vacare debet Sacrae Disciplinae alumnus.

1.° Neglecta vel praetermissa Scholastica Theologia, difficillimum est Sacram Scientiam adipisci; et contra, qui eam excoluit hanc longe facilius assequitur. Sed qui vult finem media aptiora in primis arripere debet: ergo.

Mai. prob. Scholastica Theologia, ut diximus (6), dogmatum intelligentiam praecipue exquirit, refellit quae adversantur, idque

---

(1) Ad Tit. III, 10. — (2) C. I, a. 1. — (3) 2.ª Timot. III, 14. — (4) 2.ª Timot. II, 2.—(5) Tit. I, vv. 9, 10.— (6) Cap. II, a. II.

dialectica adhibita methodo. Sed res magnopere difficilis existit, ex pelago scriptorum Sacrorum vel Patrum, id est, ex Positiva Theologia, sacram haurire scientiam sine his adminiculis: ergo neglecta, etc.

Min. elucet ex his quae nuper diximus I.°. II.° et III.°): Debet namque Theologus et dogmata dignoscere, et, prout difficultas tulerit, intelligere; adversarios refellere. Sed in his versatur Scholastica, et quidem methodice, ordinate, adhibitis selectioribus et clarioribus Sacrorum Librorum et Conciliorum et PP. sententiis; è contra, id non praestant Libri Sacri; Patres autem et concilia, licet plura ad hunc exhibeant scopum, tamen sparsim, sine methodo et unitate, pluribus admixtis sententiis ambiguis, obscuris, dubiis. Vere ergo res est difficillima, etc.

40. 2.° Qui Theologiam praetermittat scholasticam, solis testimoniis ex auctoritate PP. et S. Scripturae depromptis Sacram Scientiam struere tentabit: atqui huiusmodi scientia est imperfecta, eiuscemodi studium inane et fluxum, nisi scholastica doctrina informetur.

Min. patet: scientia enim in solis testimoniis superstructa, memoriam quidem ornat, sed intellectum remittit vacuum, et post breve tempus in confusa tantum perdurat aliquali recordatione, et tandem penitus obliteratur.

41. Ad rem Doctor Angelicus: «Si nudis auctoritatibus magister quaestionem determinet, certificabitur quidem auditor quod ita sit, sed nihil scientiae vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet (1).»

S. Augustinus quam debeamus prosequi Sacram Scientiam nos paucis docet: «Huic scientiae attribuitur illud tantummodo, quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur (2).» *Gignitur* nempe, testimoniis. *nutritur* dum discutitur et explicatur; *defenditur*, adversa argumenta dissolvendo; *roboratur* pondere rationum.

42. Objic. Scientia theologica, est scientia *fidei*, scientia *sacra*. Sed methodus dialectica, philosophici conceptus, argumenta rationis, quae in Scholastica adhibentur Theologia, arma sunt profana: ergo aliena sunt a scientia theologica.

Resp. dist. *mai.* Est scientia *fidei*, scientia *sacra*, et simul *rationalis;* concedo. Ita ut nihil praeter caliginem et tenebras fides menti proponat: nego *mai.*

Licet ratione motivi, quo innititur, sit fides obscura, tamen est vere lumen divinum participatum. Ad rationem ergo, divino inni-

(1) Quodl. 4, a. 18.—(2) De Trin. l. 14, c. 1.

xam auxilio, spectat scrutari quousque lux superna irradiat, ut divino dono penitus perfruatur. Hinc Petrus Ap. (1). *Lac rationabile,* doctrinam fidei esse docet; et Paulus (2) obsequium, quod Deo per Evangelica mandata praebemus, *rationabile* esse affirmat.

43. **Dicendum V.** Theologia Moralis, ascetica, et mystica necessaria est ad Sacram Scientiam, pro fidelium respectivis officiis.

Quod quidem sat obvium est. Populus enim christianus est *populus Dei, genus electum, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntiet eius, qui de tenebris eum vocavit in admirabile lumen suum* (3); Spiritus Sancti, *qui manebit nobiscum in aeternum,* charismata numquam in Ecclesia deficient. Oportet ergo ut Scientia Sacra non solum moralia praecepta, sed sublimiorem sanctitatis viam et Spiritus S. mysticos affatus etiam scrutetur.

CAPUT IV.

De argumentis theologicis et eorum fontibus.

ARTICULUS I.

Argumenta scientiae sacrae.

44. Notavit D. Thomas, Scientiam Sacram esse argumentativam (4): et sane, ex praejactis fundamentis res est aperta. In primis, cum sit scientia, deducit ex principiis conclusiones; quod est argumentari. Deinde errantes impugnat; eorum dissolvit argumenta; etiam sua variis argumentis confirmat principia, cum opus fuerit; ut Apostolus ad munus spectare episcopi docebat: *Amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* (5). Huius argumentationis praebuit nobis ipse Apostolus exemplum, dum multis argumentis sive ex fide, sive ex ratione petitis, omnium futuram resurrectionem suadebat Corinthiis (6).

Per se autem, seu ex natura rei, non debet Theologus sua demonstrare principia. Est enim haec scientia altiori, divinae nempe, subordinata, cum ex Dei revelatione procedat. Jam vero, scientiae altioribus subiectae, quemadmodum ab iis reguntur, ita iisdem

---

(1) 1, Pet. II, 2. – (2) Rom. XII, 1.— (3) 1, Pet. II, 9.— (4) Q. 1, a. 8, Sum. The. – (5) Tit. I, 19.—(6) 1.ª Cor. XV.

committere debent, ut sibi tradita principia confirment et ostendant.

45. Ex quo elucet, è natura sua ordinari theologicam scientiam ad fidelium mentes informandas, ut *abundent fide, sermone, scientia* (1); quemadmodum etiam ad Parisienses Theologiae magistros Gregorius IX monebat: «Quoniam fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum. Credit intellecta natura, sed fides ex sui virtute gratuita intelligentia credita comprehendit, quae audax et improba penetrat, quo naturalis negavit attingere intellectus.»

Veruntamen, erga illos qui divinae non subjiciuntur auctoritati, Scientia Theologica officium supremae scientiae exercet, sua confirmans principia. Uti Metaphysica, quae inter naturales scientias supremum tenet culmen, neganti aliquod principium per alia principia illi declarare et suadere conatur; negantem autem omnia veluti amentem dimittit. Pariter in Scientia sacra, quae in naturalibus superiorem nullam suspicit scientiam, negantibus aliqua de sacra doctrina fidei, per alias eiusdem fidei veritates illa probantur: si vero errantes omnem penitus respuant fidem, uti hodierna rationalistarum facit turba, eorum tantum fallacibus argumentis respondetur, ostendendo quam imprudenter et irrationabiliter illis ducantur.

Ideo ait Suarez (2): «Officium Doctoris theologi non est tantum deducere conclusionem ex principiis creditis, sed etiam ipsa principia fidei roborare, illustrare, et credibilia facere, et ab hostibus fidei defendere, ut sumitur ex Augustino, l. 14, de Trinit. c. 1.»

ARTICULUS II.

Quaenam sint genera et varietas argumentorum theologicorum.

46. Generatim duplex in Theologia fieri potest partitio argumentorum: quia sunt, vel *intrinseca* (ipsi scientiae), vel *extrinseca; mediata*, vel *immediata*. Argumenta quae ad fidem pertinent sunt Theologicae scientiae *intrinseca;* quae vero non supergrediuntur naturalem rationem, sunt *extrinseca*. Principia ex quibus probantur theologicae conclusiones, sunt argumenta theologica *immediata;* quae vero vim habent ad ipsa principia suadenda, sunt dicenda *mediata*.

---

(1) 2.ª Cor. VIII, 7.—(2) Trac. 2, de Relig. l. 4, 17, n. 6.

Dico I. Veritates fidei sunt argumenta theologica immediata et intrinseca.

47. 1.° Gregorius IX in laudata saepe epistola ad magistros Parisienses: «Districte praecipimus, ait, ut... contenti terminis a Patribus institutis, mentes auditorum vestrorum fructu coelestis eloquii saginetis, ut limpidas aquas et puras... hauriant *de fontibus Salvatoris*.»

Ad rem quoque Augustinus (1): «In quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, fides praecedat rationem, qua cor mundetur, ut magnae rationis capiat et perferat lucem... Et ideo rationabiliter dictum est per prophetam: nisi *credideritis non intelligetis*... Si á me infidelis rationem poscit fidei et spei meae, et video quod antequam credat capere non potest; hanc ipsam ei reddo rationem in qua, si fieri potest, videat, quam praepostere ante fidem poscat rationem earum rerum quas capere non potest. Si autem jam fidelis rationem poscat, ut quod credit intelligat, capacitas ejus intuenda est, ut secundum eam ratione reddita, sumat fidei suae, quantum potest, intelligentiam; majorem si plus capit; minorem si minus... Haec dixerim, ut fidem tuam ad amorem intelligentiae cohorter, ad quam ratio vera perducit, et cui fides animum praeparat.»

2.° Ratio perspicua desumitur ex Theologiae definitione supra tradita (2).

Dico II. Definitiones Ecclesiae sunt argumenta Theologica intrinseca, sed mediata.

Nota. Haec, et quae sequuntur, paucis innuimus, alibi fusius enucleanda.

48. Ratio est, quia gaudet Ecclesia auctoritate infallibili ad decernendum de iis quae ad fidem spectant; et fides ipsa docet hanc Ecclesiae praerogativam. Ergo quaelibet Ecclesiae definitio est argumentum intrinsecum et mediatum.

Ant. patet 1.° ex Vat. Conc. (Const. *Dei Filius* c. 3): «Fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in Verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.»

2.° Ex perpetua traditione; quia a tempore Apostolorum et deinceps rejecti fuere ab Ecclesia, tamquam haeresi infecti, quicumque ipsius definitis circa fidem doctrinis non adhaeserunt.

3.° Jussit Christus credere Ecclesiae sub comminatione damnationis (3): Et Paulus Ecclesiam vocat: *Columnam et firmamentum veritatis* (4).

---

(1) Ep. 120, n. 3.—(2) Cap. I, a. I, n. 1.—(3) Marc. c. XVI, 15, (4) 1.ª Tim. III, 15.

49. **Dico III.** Definitiones Rom. Pontificis eadem donantur auctoritate.

1.° Ex Vat. Conc. docente: «Rom. Pontificem... ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel de moribus instructam esse voluit.»

2.° Petrus firmissimum et indefectibile Ecclesiae fundamentum fuit positus, ut eam in fide confirmaret et pasceret (1): successor autem Petri est Rom. Pontifex, ut alibi ostenditur.

Dico IV. Definitiones Conc. OEcumenici eamdem vim ad probandum habent ac Ecclesiae et Rom. Pontificis sententiae.

50. Perspicuum est 1.° quia repraesentant OEcumen. Concilia Ecclesiam, et praesidem atque approbantem habent Romanum Pontificem.

2.° Ex perpetua traditione. Quemadmodum enim Apostoli in primo Concilio dixerunt: «*Visum est Spiritui Sancto et nobis;*» ita semper in Ecclesia creditum est, a Sp. Sancti instinctu Conciliorum Universalium definitiones circa fidem et mores procedere.

Dico V. SS. Patrum sententiae argumenta praebent intrinseca et mediata ad Sacram Scientiam.

51. 1.° Trid. Syn. in Sess. IV, praescribit. «Ut nemo... contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat.»

2.° Gregorius IX mandat magistris Theologiae: «Contenti terminis a PP. institutis, mentes auditorum vestrorum fructu *coelestis eloquii* saginetis.»

3.° Apostolus quam habeant SS. Patres auctoritatem docet (2): *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei...*

Ex his autem elucet, non tantum auctoritate ad fidei doctrinam tradendam ornari SS. Patres, sed et a Deo illam accepisse potestatem ad Ecclesiae complendum magisterium. Proinde Patrum sententiae, licet non sint habendae uti fidei definitiones, constituunt tamen argumenta intrinseca et mediata scientiae Sacrae.

52. **Dico VI.** Recentiorum Doctorum sententiae non levia etiam exhibent intrinseca et mediata argumenta pro scientia theologica.

1.° Ecclesia in suis circa fidem definitionibus exquirit quoque recentiorum Doctorum mentem, et plurimi facit.

---

(1) Matth. XVI. 18; Jo. XXI, 15.—(2) Eph. IV, 11.

2.° Ad Ecclesiae, seu corporis Christi aedificationem, locum quodammodo sanctorum Patrum tenent recentes Doctores: ergo, non sine speciali Dei providentia, Ecclesiae dati sunt, ut *omnes occurramus in unitatem fidei.*

53. **Dico VII.** Naturalis rationis dictamina ad Sacram Doctrinam possunt argumenta extrinseca subministrare.

1.° Patet ex his quae supra, cap. III, Dico IV, tradita fuere (n. 22).

2.° Veritates a Deo revelatae, non tantum verbis et propositionibus ex hominum loquela desumptis propositae fuere, sed etiam conceptibus rationalibus significatae: atqui ex naturalis rationis vi dependet linguarum intelligentia et conceptuum rationalium genuinus sensus; ergo.

3.° Praeterea, non splendet menti rationale lumen quasi vago et confuso modo, sed interpositis perceptionibus, vel judiciis, universalibus aut particularibus. Atqui lumine rationis indiget Theologia ut a fidei veritatibus conclusiones eruat: ergo et dictamina rationis eidem argumenta praebent.

4.° Gregorius IX non reprobavit absolute quod scientias naturales Parisienses magistri in Sacra Theologia adhiberent, sed quod «scientiae naturalium plus debito insisterent; quod fidem conarentur plus debito ratione adstruere naturali: quod caput redigerent in caudam, et ancillae cogerent famulari reginam.»

Supponit ergo S. Pontifex deberi in Theologia rationem etiam adhiberi, ita tamen ut famuletur tamquam *ancilla*, non autem extollatur et imperet quasi *regina*.

54. **Dico VIII.** Historiographorum, maxime Ecclesiasticorum, narrationes saepe etiam confirmant Theologicam doctrinam.

Nota: non est sermo de Sacris Bibliorum historiis: non enim argumenta extrinseca illae exhibent, sed intrinseca. De humanis ergo, seu profanis agimus historiis.

Per historiam discimus plurium dogmatum definitionem et causas, occasionemque ob quas fuerint definita. Dignoscimus etiam haeresum ortum, progressum et interitum; haereticorum et schismaticorum malas artes, et ab unitate catholica et apostolica recessum. Illustratur, ope historiae, Ecclesiae unitas, apostolicitas et perpetua duratio; SS. Patrum sanctitas et doctrina; Conciliorum causa, exitus, decreta, et definitionum scopus et verus sensus. Historiis discimus miram Religionis propagationem, martyrum victorias, et insignia prodigia quibus, Deo cooperante, fides commendabatur.

55. **Scholion.** Historiam Ars Critica comitetur oportet, quae

nihil est aliud quam rectum judicium et diligens inquisitio ad vera a falsis in narrationibus historicis discernendum. Non levia quoque desumet theologus argumenta ex notitia Rei sacrae Antiquariae.

ARTICULUS III.

De sedibus, seu locis argumentorum theologicorum.

Statutis diversorum argumentorum generibus, facile elucebit quae sint loca, seu sedes argumentorum Theologicorum, quas summatim hic exhibemus.

Dico I. Scripturae Sacrae sedem exhibent uberrimam argumentorum illorum, quae Theologiae intrinseca sunt et immediata.

56. Nam universa christiana Religio, a Christo et deinceps, hoc fundamentale tenuit dogma; Scripturas tum Novi, tum Veteris Testamenti a Deo fuisse inspiratas. Omnia ergo signa et argumenta quae divinitatem sacrosanctae Religionis nostrae ostendunt, et istud probant divinarum Scripturarum dogma. Ideo et Trident. Synodus illud definivit (Ses. IV), tamquam fidei fundamentum.

Dico II. Sacrae Traditiones, ex ore Christi et Apostolorum procedentes, argumentorum etiam sunt sedes intrinsece et immediate ad Theologiam spectantium.

57. 1.° Et hoc definivit (ibid.) Conc. Trident.

2.° Apostolus oralem traditionem simul cum Sriptura retinendam docuit: *Itaque, fratres, state; et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram* (1).

3.° Christus D. non misit Apostolos dicens: «*Ite, scribite libros...*» Sed simpliciter munus eis commisit docendi; quod quidem, licet per Scripturam excerceri valeat, communius tamen et connaturalius ore completur, quemadmodem ipse Jesus Christus unice complevit: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes* (2). *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae* (3). *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* (4). Non ergo ad solas Scripturas, sed ad quamlibet ab Apostolis traditam doctrinam tenemur suscipiendam.

---

(1) 2, Thes. III, 14. — (2) Matth. XXVII, 18. — (3) Marc. XVI, 15. — (4) Jo. XX, 21.

4.° Authentia et inspiratio librorum SS. ex Traditione dignoscitur, ita ut Augustinus asseveranter diceret: «Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas (1). Si auctoritatem Scripturarum, omnibus praeferendam, sequi vultis, eam sequamini, quae ab ipsis praesentiae Christi temporibus per dispensationes Apostolorum, et certas successiones episcoporum, usque ad haec tempora, toto orbe terrarum custodita, commendata, clarificata pervenit» (2).

58. **Dico III.** Argumenta theologiae mediata et intrinseca sedem habent in definitionibus Conciliorum generalium et Summorum Pontificum, et in fide nuviersalis Ecclesiae; necnon in SS. Patrum et Doctorum catholicorum doctrina.

Patet ex dictis in articulo praecedenti.

Dico IV. Scientiae naturales, maxime Philosophia, Historiagraphorum et Rei sacrae Antiquariae peritorum scripta, plurium argumentorum externorum sedem Theologo comparant.

Probatur ex articulo praecedenti.

CAPUT V.

Canones ad usum argumentorum in scientia sacra.

§. I.

59. Ad rectum usum argumentorum ex S. Scriptura ducunt sequentes regulae.

Can. I. Argumentum ex S. Scriptura depromptum in scientia theologica firmissimum est ac irrefragabile.

Can. II. Desumi debet argumentum biblicum ex solis libris canonicis, id est, judicio Ecclesiae approbatis, ut praedictam habeat efficaciam.

Can. III. Conclusio probanda ex textu sacro, perspicue in illo immediate vel mediate contineri debet, secundum obvium et litteralem sensum.

Can. IV. Ut sensus mysticus firmum praebeat argumentum, certo aliunde constare debet sub literali illum latere.

Can. V. Si sacer textus non contineat *perspicue* conclusionem,

(1) L. con. epist. Fund. c. 5.—(2) Con. Faust. manich. l. 33, c. 9.

non erit certum argumentum, nisi, alio theologico argumento, illam certo continere probetur.

§ II.

60. Pro usu argumentorum theologicorum ex Traditione.

Can. I. Argumentum ex traditione divina desumptum est certum et infallibile.

Can. II. Traditionem aliquam esse certo divinam, constat generatim testimonio Ecclesiae.

Can. III. Si veritas vel praxis aliqua creditur ab Ecclesia esse divinitus revelata, idque ex SS. Litteris non constet, dicenda est ex traditione divina procedere.

Can. IV. Quidquid divinam exigit institutionem, puta, materia et forma Sacramentorum, confessio sacramentalis, infallibilitas Pontificis vel Conciliorum, etc., si non elucet ex SS. Litteris, dicetur ex traditione divina oriri.

§ III.

61. Ad rectum usum argumentorum ex auctoritate Ecclesiae.

Can. I. In definitionibus Ecclesiae circa fidem vel mores firmissimum fundatur argumentum.

Can. II. Communis sensus Ecclesiae in amplectenda aliqua sententia circa fidem vel mores firmum praebet momentum certitudinis.

Can. III. Quod semel definivit vel tenuit universalis Ecclesia circa doctrinam fidei vel morum, sive in transacto aliquo seculo, sive in praesenti, illud semper firmiter credendum est.

Can. IV. Argumentum ex auctoritate Ecclesiae depromptum, non infirmatur ex dissensu paucorum respective episcoporum.

§ IV.

62. Pro argumentis quae è Conciliis depromuntur.

Can. I. Pro Conciliis Oecumenicis iidem valent Canones ad usum auctoritatis Ecclesiae positi.

Can. II. Concilium simpliciter generale (non approbatum, sed nec reprobatum) gravissimum exhibet argumentum, non tamen ad fidem divinam sufficiens. Si autem fuerit partim, vel in totum, legitime improbatum, nihil evincit eius auctoritas in ea re.

Can. III. Concilia particularia probabilitatem suis decisionibus

conciliant. majorem vel minorem pro rerum et personarum adjunctis.

Can. IV. Illa tantum judicia, quae definitive emittunt Concilia, plenam auctoritatem assequuntur. Unde disquisitiones, rationes, praeambula, et ejusmodi, quae non propter se intenduntur, sed quatenus sternunt viam ad id quod definiendum est, per se loquendo, probabilitatem non superant vel humanam, prudentemque certitudinem.

§ V.

63. De sententiis Romanorum Pontificum.

Can. I. Eorum decretoria judicia, quae tamquam supremi Ecclesiae Pastores emittunt, sunt irrefragabilia.

Can. II. Ideoque, si circa fidem eo modo decernant, ad fidem catholicam decisiones spectabunt; si vero sub alia nota ad fidem non pertinente, non poterit Theologus aliter de rebus decisis judicare.

Can. III. Distinguatur oportet in Pontifice persona privata ab eius universali magisterio. Cum autem Pastoris Supremi munus agit, valent etiam exceptiones quae in Can. IV. pro Conciliis notatae sunt.

§ VI.

64. Ad argumentandum ex Patribus.

Can. I. Unanimis Patrum consensus, in judiciis circa fidem vel mores, certum praebet argumentum.

Can. II. Idem censendum si consenserint in expositione alicujus SS. Scripturarum sententiae.

Can. III. Si plures, modo dicto, conveniant, paucioribus tamen contradicentibus, probabilior tantum eorum erit sententia.

Can. IV. Si pauci consentiant, aliis tacentibus, probabile exhibent argumentum.

§ VII.

65. De auctoritate Theologorum et Canonistarum.

Can. I. Unanimis eorum consensus in re theologica vel canonica moralem gignit certitudinem, ita ut non liceat *sine temeritatis* nota ab eo recedere.

Can. II. Quae communi certoque suffragio illi deducunt ex principiis fidei vel morum, negari nequeunt sine proximo periculo haereseos vel erroris.

Can. III. Si unus Theologus, ingenio et sapientia insignis, novis adductis rationibus, vel prioribus accuratius perpensis, a ceteris dissentiret, non esset temeritatis arguendus.

Can. IV. Cum inter se dissentiunt Theologi et Canonistae, auctoritas sententiarum non est ex solo numero definienda, sed praecipue ex rationibus quibus ducuntur.

Can. V. Theologi et Canonistae, qui unius Scholae vel magistri placita sectari profitentur, propria non fulgent auctoritate, sed aliena tantum, vel Magistri, vel scholae coryphaeorum.

§ VIII.

66. Ad arguendum ex ratione.

Can. I. Ex duplici principio, altero fidei, altero rationis, si evidenter conclusio inferatur, certa habebitur certitudine theologica. Utrum certitudine fidei credi possit, dissentiunt theologi.

Can. II. Nec omnium dogmatum evidentia rationalis est quaerenda, neque vicissim omnium est neganda.

Can. III. Exemplo D. Thomae et aliorum insignium Doctorum, dogmata, communiter, sunt lumine rationis confirmanda; vel evidenter vel probabiliter pro subjecta materia.

Can. IV. Id quidem necessarium cum edocendi sunt gentiles, convincendi rationalistae et athei, refellendi sophistae, etc.

Can. V. Hinc patet, magnopere teneri Theologum Philosophiam principiis veram, doctrinis sanam excoluisse: lumen enim fidei cum vero rationis lumine cohaeret, cum falso autem discrepat.

Can. VI. Inter opiniones philosophicas, illas seligat Thelogiae sacrae cultor, quae communi modo loquendi Ecclesiae in rebus fidei magis congruunt; aliter, suspicione temeritatis et parum cordatae mentis jure notabitur.

§ IX.

67. Pro Historiae usu in Theologia.

Can. I. Quaelibet narratio historica, quae alicui fidei dogmati adversatur, ut falsa et ficta rejicienda. Puta si dicatur S. Petrum Romam non advenisse; aliquem Pontificem Confessionem Sacramentalem instituisse, etc., etc.

Can. II. Omnes historiae, sive antiquae, sive recentes, quae Sacrae Scripturarum historiae adversantur, nihili faciendae.

Can. III. Historiographi haeretici vel schismatici, in his quae illorum spectant errores, non sunt fide digni. Sic, ex. gr., Eusebius Caesar. ea quae in Nicaeno Conc., et alibi, adversus Arianos fuere statuta, subdole dissimulavit.

Can. IV. Non desumet Theologus argumenta ex historiis apocryphis, vel communi eruditorum judicio improbatis, vel veritatis criteria haud prae se ferentibus.

Can. V. Illae, praesertim Theologo, firmum praebebunt momentum historiae, quorum auctores prudentia et probitate excellebant; proximiores extiterunt factis quae narrantur, maxime si ex visu testentur; quorum multum intererat rerum veritatem inquirere nec dissimulare; qui, verbo, apud, cordatos criticos magni habentur.

CAPUT VI.

Methodus disserendi adversus haereticos opportune a theologo adhibenda.

ARTICULUS I.

Quomodo repellendi haeretici.

§ I.

68. **Dico.** Haeretici Ecclesiam accusantes non audiendi, sed corripiendi sunt.

Prob. Non est audiendus accusator sed, corripiendus, qui

1) sit inhabilis ad accusandum et injuste procedat;

2) instrumenta probationis vi juridica carentia proferat;

3) ad judicem, litem dirimere non valentem, appellet.

Atqui haeretici Ecclesiam accusantes, 1.° sunt inhabiles... etc.

Ergo. *Minor* prob.

69. 1) In primis sunt inhabiles haeretici ad Ecclesiam, circa fidem, accusandam. Ea de re sic eos corripit Tertulianus (1): «Cupio ostendant mihi ex qua auctoritate prodierunt... Probent se novos apostolos esse... Volo et virtutes eorum proferri.» «Qui estis? Quando et unde venistis? Qua licentia? Qua potestate?»

70. Illi autem Scripturas subito proferre volent, id est, ad instrumenta venire, ac se quasi legitimos fingere Ecclesiae accusatores. Verum nullatenus ad Scripturas recipiendi, quin prius fateantur; se a nullo missos, nullamque habere auctoritatem ad res fidei edocendas. Quis te misit? Quis patrem tuum Lutherum? Quis reginam

(1) De Praescr. c. 30 et 37.

Elisabeth doctoratu fidei donavit? Nonne a tempore Apostolorum et deinceps extitere haeretici, qui Ecclesiam accusarunt, gregem Christi dilacerarunt, prout praedixit et nos praemonuit Apostolus? (1). Nonne Tito praecepit ipse Apostolus (2): *Haereticum hominem, post unam et secundam correptionem, devita?* Si ergo tu agis quod haeretici omnes; si haeretici non ad disputationem, sed ad correptionem, et quidem *semel* aut *iterum* tantum, admittendi; quo pacto te audiam blasphemantem, accusantem Ecclesiam, quin te ostendas a Deo missum? Non probas? Non exhibes te legitimum Apostolum? Ergo non es legitimus sed iniquus accusator. Si ajebat Apostolus (3) ad Galatas. *Licet nos, aut Angelus de coelo, evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus, anathema sit: Sicut praedximus, et nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit praeter id quod accepistis, anathema sit;* quod et quale anathema mereris tu, cum neque Apostolus sis, neque de coelo angelus?

71. Confir. Omnis accusatio excipitur, si accusatus instrumentis defensionis ab accusatore spolietur. Iam vero Ecclesia auctoritatem possidebat docendi et gubernandi, qua a tempore Apostolorum utebatur; item, ab iisdem edocta Apostolis, Traditione semper usa est ad veram dignoscendam fidei doctrinam. Hisce autem spoliatam divinitus acceptis instrumentis, accusant illam haeretici, et quod accusationem sustineat contendunt. Imo neque Sacras Scripturas, Traditione acceptas, illi integras permittunt; sed, prout libet, sacros Libros expungunt, ceteros corrumpunt, et novas cudentes versiones ad normam privati sui sensus vertunt. Iniquissimi ergo sunt accusatores, donec, quae pacifice possidebat Ecclesia, instrumenta non restituant.

72. Illud, scilicet, volunt haeretici, ut Ecclesia suis spoliata credendi regulis, iisque tantum utens quas ipsi permittunt vel fingunt, in turbine immersa, uti illi, dubitationum, cum ipsis congrederetur et accusationes sustineret!

Verum, ut aiebat Tertullianus (4): «Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium.» Et: «Nobis, etsi quaerendum esset, ubi tamen quaeri oportet? Apud haereticos, ubi omnia extranea et adversaria nostrae veritati? Ad quos vetamur accedere...? Nemo inde instrui potest, unde destruitur.. Quaeramus ergo in nostro et a nostris et de nostro.» Et cap. 17. «Ista haeresis non recipit quasdam Scripturas; et si quas recipit, non recipit integras... et si aliquatenus integras praestat, nihilominus diversas expositiones commentata convertit... Quid promove-

(1) Act. XX, 29.—(2) Tit. III, 10.—(3) Gal. I, 8.—(4) Praescr. c. 8, et 12.

bis, exercitatissime Scripturarum, cum si quid defenderis negetur? ex diverso, si quid negaveris, defendatur? Et tu quidem nihil perdes nisi vocem ex contentione, nihil consequeris nisi bilem de blasphematione.»

73. 2.) Dein quaerimus: qua regula, qua norma, quo instrumento vis Ecclesiam accusare, eius doctrinam coarguere, illamque a sua auctoritate deturbare? Respondebit: Ex puro Verbo Dei. Quaerimus iterum: Ubi legitur purum Verbum Dei? An in versione Anglicana? An in Genevensi? An in Vulgata, quam probavit Ecclesia? Dicet ex. gr. In Anglicana. Respondebis. Id legas mihi in Sacra Scriptura; purum, nempe, Dei Verbum in versione contineri Anglicana. Cum id legere minime possit; instabis. Ergo, unde tibi innotescit, purum Dei Verbum in versione jacere Anglicana? An ex tuo sensu? An ex sententia Parlamenti? An ex definitione Elisabethae? Igitur legas mihi in Scriptura sensum tuum, vel Parlamenti, vel Elisabethae, posse, ubi lateat purum Dei Verbum, declarare. Non legis? Ergo non adhibes purum Dei Verbum ad accusandam vel reformandam Ecclesiam, sed tuam auctoritatem, quae nulla est. Id est, instrumenta, prout tibi placuit, confingis. Audi, hac de re, Tertullianum (1): «Ordo rerum desiderabat illud prius proponi quod nunc solum disputandum est: quibus competat fides ipsa? Cuius sunt Scripturae? A quo et per quos et quando et quibus sit tradita disciplina qua fiunt christiani? Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae et fidei christianae; illic erit veritas Scripturam et expositionum et omnium traditionum Christianarum.»

74. 3.) Denique; tu Ecclesiam accusas et damnas. Ecclesia, uti mandavit Apostolus, dicit in te Anathema. Quis judex dirimet causam? Dicet: Verbum Dei. Verum nega illi suppositum: nam nescit ipse, an sit, vel ubi sit Verbum Dei. Sed quaeras iterum: quid si lis moveatur de ipso Verbo Dei? Dicente Ecclesia, purum Verbum Dei in his contineri libris; te vero negante: hanc Scripturae sententiam ferre hunc sensum; te defendente contrarium? Quis erit judex? Nullus superest nisi vel Ecclesia ipsa, vel ejus accusator. Atqui iniquum est ut tu accusator, tu hostis, tu rebellis, tu a nullo missus, tu nulla donatus auctoritate feras sententiam: ergo nequit Ecclesia á sua exturbari auctoritate, ideoque jure te condemnat. «Ergo non ad Scripturas, ait Tertullianus (2), provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est.»

Igitur corripiendus et repellendus haereticus, non vero audiendus.

---

(1) Praescr. c. 19.—(2) Praescr. c. 19.

§ II.

Quo pacto revincendi haeretici quum gratis, non jure, sed ratione adiunctorum recipiuntur ad disputandum, id est, (ut cum Patribus loquamur) ad blasphemandum et latrandum adversus Ecclesiam.

75. **Nota** 1.° Licet, communiter loquendo, propter adductas rationes non sint haeretici audiendi, sed *semel aut iterum corripiendi* tantum, Apostolo id praecipiente; tamen nonnumquam ita simplicem plebem calumniis et mendaciis commovent, ut necessum sit, ad majora avertenda mala, eorum dissolvere, etiam in propatulo, calumnias, uti Augustinus, aliique quandoque fecerunt Patres. Privatim autem facilius audiendi, si in bona fide versentur et fructus spes effulgeat. Non passim autem quilibet munus huiusmodi sibi sumat; prudentibus tantum et valde solertibus est committendum.

76. **Nota** 2.° Defensionem esse oppugnatione faciliorem; non tantum quia defendens arcem veluti obtinet et locum praeoccupavit, oppugnans vero arcem obtinere et defendentem exturbare tenetur; sed etiam quia debet oppugnans quae opponit vera esse ostendere, ac proinde defendere etiam, non quidem mere negative, sed positive demonstrando quae ei negantur.

Nota 3.° In disputatione catholicos inter ac sectarios, munus defendentis ad catholicum iure spectat; accusatoris quippe est crimen ostendere. Ecclesia Catholica possessionem verae Ecclesiae prae se fert: rebellando enim in illam sectarii accusare eam coeperunt, quod a veritate defecisset, ideoque, quod verae Christi Ecclesiae nomine non gauderet. Etenim ante rebellionem et veram Christi Ecclesiam, quam nunc calumniantur, agnoscebant.

Praemittenda ad disputationem.

77. I.° Igitur, adversario dicatur, idque omnes intelligant adstantes: «Quamvis jus nullum habeas, nullamque legitimam missio»nem, gratis tibi concedo, ut officium geras reformatoris, seu ac»cusatoris. Ex privilegio quoque permitto ut Bibliis utaris, licet ni»hil possint roboris in ore et manibus tuis habere.»

II.° Praestituatur quaestio agitanda, et quidem circa fidem; non enim de ceteris tempus est cum haereticis terendum.

III.° Exigendum ab haeretico, ut probet ex puro Verbo Dei quod adversus Ecclesiam objicit; quaestio enim est de fide, et contendit ipse, Verbum Dei scriptum unicam esse fidei regulam.

IV.° Cum illi distinguant inter articulos fidei necessarios et non necessarios, ac dicant illos expresse et evidenter in Scripturis contineri; primum urgendum, ut probet erravisse Ecclesiam in re aliqua necessaria. «Aliter enim, dicendum illis, inique recessistis a communione et auctoritate Ecclesiae, et iniquissime ceteros conturbatis et ab Ecclesia avellitis, *ob rem non necessariam.*»

Exemplum disputationis.

78. Primo fingamus objicere haereticum Ecclesiae, quod idololatriam intulerit et foveat, quia colit B. M. Virginem et Sanctos; vel quod evacuet mysterium crucis celebrando Missas, et meritoria commendans opera, etc.

Dicemus cum Augustino (1): «Non sum avarus, unum horum doce.» Deinde: «Legant nobis hoc de Scripturis SS. et credimus» (2).

Si textum proferat, dicemus quod Augustinus Fortunato Manichaeo: «Agnosco et amplector testimonia SS. Scripturarum;» verum non legis quod promisisti; ex. gr. *cultum Sanctorum esse* idololatriam. Reponet haereticus: sic debet Scriptura intelligi. Respondebimus cum Augustino: «Aliquid manifestum quod interprete non egeat a vobis flagitamus» (3).

79. Si autem quaerat haereticus: *quomodo ergo intelligendum?* Dicemus: Ego nunc defendo, non doceo. Tu ex puro et claro verbo Dei vis Ecclesiam condemnare et reformare: igitur aperi; legamus. Si autem velit, ut solent, ad alia excurrere, non sinendum donec fateatur, quod affirmavit aut impugnavit, nullibi expresse legi vel damnari.

Eodem modo in singulis articulis, quos dixit necessarios, procedendum, donec, se nihil dissertum et expressum habere quod apponat, fateatur.

80. Consequenter tum illi, tum omnibus aspectantibus non semel inculcandum: in nullo articulo necessario posse Ecclesiam accusare; recessisse haereticos ab Ecclesia propter causas non necessarias; falso asseruisse, Ecclesiam catholicam non esse veram Christi Ecclesiam.

Alterum disputationis exemplum.

81. Secundo, urgendus haereticus, ut saltem hoc demonstret; erravisse Ecclesiam in fidei articulo non necessario: qui, scilicet, in Scripturis continetur, sed implicite et obscure, ut ipsi distinguunt.

---

(1) Ep. Fund. c. 14.—(2) De Unit. Eccl. c. 17.—(3) De Unit. Eccl. 24.

Ad hoc autem prae oculis habere oportet, secundum *Confessionem Helveticam:* «Scripturas SS. non esse interpretationis privatae:» secundum *Scoticam:* «Scripturae S. interpretationem neque ad privatam, neque ad publicam personam pertinere: ex *Confes. Wirtembergica:* ad eos pertinere qui «Spiritu divino excitati sunt.»

Objiciet ergo haereticus interpretationem aliquam vel consequentiam sacrae alicujus sententiae.

82. Respondebimus 1.° Nihil hoc conficit, nullatenus ad fidem spectat, nisi probes te spiritum divinum habere.

2.° Si dicat ex *confessione Helvet.* «Ipsa Scriptura interpres est sui;» uti dicebat Felix Manichae. (1), apud Augustinum: «Ipsa se Scriptura interpretatur.» Respondebimus cum eodem Augustino: «Aperi ad locum quem nosti, et lege mihi.»

3.° Cum nullibi legere possit eo suo modo interpretandam illam Scripturae sententiam, dicet tandem: «Ratione et exegessi id constare.»

83. Id autem rejiciemus, *a*) exemplo, *b*) deinde argumento *ad hominem*, *c*) denique Augustini simili repulsa.

a) Tu asseris argumentationem tuam patere: Ecclesia autem affirmat esse falsam. Pari modo, Ariani ex illis verbis, «*Pater major me est.*» contendebant deduci perspicue, Christum non esse Deum: Ecclesia autem eos anathemate confixit. Ergo et tu, cum in eadem verseris rebellione, volens tuam Ecclesiae praeferre sententiam, pari modo anathematizandus.

84. *b*) Nonne dicitis, Scripturam judicem esse omnium controversiarum? Scriptura ergo solvas hanc controversiam: quae sit vera et genuina hujusce Scripturae sententiae interpretatio? An quam tenet Ecclesia, an potius quam tenes tu? Hoc non leges in Scriptura. Non ergo est omnium controversiarum judex, nec interpretaris Scripturam per Scripturam.

c) Recipias igitur eamdem, quam ab Augustino recepit Julianus, repulsam. «Interponis Apostoli testimonium, non ad id quod positum est, sed ad quod ipse arbitraris» (2).

85. 4.° Urgere et interrogare juvabit. An potes ipse errare in hac tua interpretatione? Negare, ut puto, non audebit, cum contendere haud dubitet, tot Doctores, tot Patres, Ecclesiam quoque errare posse. Unde ergo scis te de facto non errare? Quomodo sensum tuum, tamquam fidei articulum, venditas? Non ergo propter articulum fidei, sed ad arbitrium tuum Ecclesiam accusas.

86. 5.° Si insistat dicens: «naturalis evidentia, in hoc ratiocinio et interpretatione, me non errare ostendit.»

---

(1) L. 1, c. 17.—(2) Lib. 3, c. 18, contra Jul.

Resp. Esto. Verum tu promisisti, ex puro Verbo Dei velle te reformare Ecclesiam. Numquid Verbum Dei sunt ratiocinia tua? Quod tu putas, et putabant Ariani, et contendebant Manichaei, et putant aliae Protestantium sectae tibi adversae. Apostolus monet nos (1): *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam et inanem fallaciam.* Ostende per Scripturam, eiusmodi tuum ratiocinium et quam vocas evidentiam non esse fallaciam.

6.° Cum clare omnibus eluxerit adversarium non stare promissis, neque sola Scriptura, sed ex vano suo sensu Ecclesiam increpare: opportunum erit, directe respondendo, argumenti vitia tum quoad materiam, tum quoad formam patefacere.

ARTICULUS II.

De ratione doctrinam fidei probandi.

87. Rejectis, uti diximus, inimicorum telis, oportebit aliquando veram doctrinam argumentis directis probare, vel ad credentes erudiendos et firmandos, vel ad errantes in viam reducendos, vel ad pertinaces majori rubore perfundendos. Praeter illa, quae supra de natura et sedibus argumentorum dicta sunt, pauca hic notabimus ad methodum spectantia.

88. 1.° Clare praestituatur quaestio probanda.

2.° Testimonia sint ex verbis expressis vel aequivalentibus.

3.° Nisi peculiares circumstantiae aliud postularent, argumenta non sunt numeranda sed ponderanda; scilicet, sufficit «quamlibet conclusionem duobus aut tribus munire fundamentis» (2).

Etenim, non plus demonstrant quator Ecclesiae definitiones, vel decem Scripturae sententiae, quam una. Praeterquam quod, non doctrina propter argumenta, sed, e contra, argumenta propter doctrinam sunt instituta; graviter igitur, imo gravissime theologus ineptiret, qui multa quidem erudite congereret argumenta, iis autem intentus magnum Scientiae Sacrae thesaurum in tenebris latere permitteret.

89. 4.° Prima apodictica ratio, numquam praetermittenda, testimonium Ecclesiae esto; etiamsi probatio adversus haereticos procedat. Nulli enim concedendum est sententiae Domini oblivisci: *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (3). Antecedenter ad quorumlibet haereticorum rebellionem ha-

---

(1) Colos. II, 8.—(2) Rat. Stud. Reg. Prof. Theol. 9, §. 2.—(3) Matth. XVIII, 17.

bebat Ecclesia, ab Apostolis acceptam, illam a Christo traditam auctoritatem docendi: *Data est mihi omnis potestas... euntes ergo docete omnes gentes* (1). Nihil potest haereticus, ut Ecclesiam auctoritate divina exturbet, efficere; omnes ictus adversus eum retorquentur. Audiat ergo semper, velit aut nolit, Ecclesiae fidem ac sententiam. Quod si credere ei recuset, saltem hoc discet; nos minime inniti sensu nostro privato in iis quae defendimus vel docemus, nec versari omni vento doctrinae, sed duci firmiter et constanter Catholicae Ecclesiae magisterio, quae semper effulget, ut *Civitas supra montem posita*, et vocata est ab Apostolo: *Columna et firmamentum veritatis*. Miram semper exercet in animo efficaciam Ecclesiae testimonium, licet protervi ament potius tenebras quam lucem. Ad rem Augustinus (2): «Quibus obtemperavi dicentibus, *Credite Evangelio;* cur eis non obtemperem dicentibus mihi: *Noli credere Manichaeo?* Elige quod velis. Si dixeris; *crede catholicis:* ipsi me monent, ut nullam fidem accomodem vobis. Si dixeris: *noli catholicis credere:* non recte facies per Evangelium me cogere ad Manichaei fidem, quia ipsi Evangelio, praedicantibus catholicis, credidi. Si autem dixeris: *recte credidisti catholicis laudantibus Evangelium, sed non recte illis credidisti vituperantibus Manichaeum:* usque adeo me stultum putas, ut nulla reddita ratione, quod vis credam, quod non vis non credam?»

90. Proferentur deinde alia ex diversis fontibus deprompta argumenta, pro ratione subjectae materiae, et prout utilitas postulaverit audientium, praesertim ex S. Scriptura et Traditionibus. Schismatici Patrum et Conciliorum testimonia facilius suscipient, quae ante schisma extitere. Judaei sententiis et prophetiis Veteris Testamenti ad fidem Christi, veri Messiae, sunt praecipue perducendi. Mahumetanos ex Lege Mosayca, Prophetis et Evangeliis, quae revelata fuisse Alcoranus docet, facile revinces: imo Mahumetismi falsitatem ipse prae se fert Alcoranus, cum innumeris scateat contradictionibus. Melius autem ac securius apud istos obstinatissimos proficies; si, non quidem Mahumetis turpitudinem et Alcorani errores exprobrando procedas, sed interrogando et exponendo; ut, quasi sponte, oculos ipsi ad veritatis lucem aperiant.

---

(1) Matth. XXVIII, 18.—(2) Adv. Epist. Fundam. c. 5.

CAPUT VIII.

De methodo adhibenda in theologiae studio et disciplina.

ARTICULUS I.

Alumnis quae expediat methodus.

91. 1.° Non mutent ii disciplinarum theologicarum ordinem; scilicet: prius in Theologia Scholastica solidum jaciant fundamentum, (quemadmodum et in Philosophia primum fundandi sunt, ante Theologiae studium) antequam Positivae studiis se dedant.

Nam revera Theologia Scholastica *fundamentum* existit ceterarum Theologiae disciplinarum. In Scholastica enim traditur dogmatum fidei intelligentia et principiorum moralium: ut ergo in studio et intelligentia canonum. Historiae Ecclesiasticae, SS. Patrum et rerum Moralium tute ac solide procedatur, praemittere oportet scholasticae Theologiae studium, quemadmodum ante aedificium ejusdem jacitur fundamentum.

92. Alia de causa est ista vitanda confusio; nempe, «quia pluribus intentus minor est ad singula sensus;» varietate enim rerum et disciplinarum obruitur meus. Praeterea, facillime evenit, uti longa docuit experientia, quod plures alumni, proprii ingenii vel ingenitae propensionis causa, plus ad unam quam ad alias afficiantur disciplinas: inde huic vel illi libenter incumbunt, si eas simul aggrediantur, ceteras autem non satis, juxta earum meritum vel momentum, excolunt. Haec incommoda radicitus excinduntur si naturalis servetur disciplinarum ordo.

93. 2.° Alumni libros habeant necessarios; textum, scilicet, qui illis explicatur, et quem addiscere debent; insuper, Sacram Scripturam, S. Thomae Summam, et commentarium aliquem, pro opportunitate consulendum, in quo fusius theologicae evolvuntur quaestiones. Commentarius autem, quamdiu alumni lectionibus audiendis vacant, ut plurimum *unicus* sit, et quidem *selectus*. Ejusmodi unicus Commentarius, si quid judico, sit Doctoris Eximii; propter ejusdem in opinando prudentiam et soliditatem, et in doctrina amplitudinem.

94. 3.° Praevideant diligenter alumni, quas audi-

turi sunt. lectiones: id enim summi est momenti, ut attente et fructuose lectionem audiant.

4.° Auditas lectiones consultissimum erit easdem repetere: vel in eadem schola cum condiscipulis immediate post lectionem, uno vel altero repetente, ceteris postea dubia proponentibus; vel alibi cum studiosis amicis, pro rerum et personarum opportunitate. In hac lectionum repetitione si quid non intellexerint, ille qui praeest, (qui ex provectioribus sit oportet) Professorem interroget, et postea dubii solutionem ceteris indicabit.

95. 5.° Lectionibus et repetitionibus auditis, habeant alumni privatum studium et quietum, ad melius et exactius ea, quae tractata fuere, intelligenda.

6.° Ad scholam chartam secum ferant, ad ea quae audierint, vel eis occurrerint notatu digna, annotanda. Postea, majori cum ordine digesta, transferent in libros papyraceos, quae in posterum conservata velint; aliquo relicto spatio ad marginem, ut supervenientes difficultates, vel lucidiores solutiones interserere valeant.

96. 7.° Ubi collegialiter vivunt alumni, (puta, in Seminariis; vel ubi convenire plures possunt); magnopere expedit, tum ad ingenia exercenda, tum ad difficilia, quae in philosophicis et theologicis quaestionibus occurrunt, elucidanda, ut quotidie tempus habeant designatum ad disputandum. Quod sic potest utiliter disponi: die sabbatti harum disputationum praeses indicat theses, vel quaestiones in sequenti hebdomada elucidandas; et pro singulis singulos adsignat defendentes, et unum vel alterum arguentem. Id quidem bis, vel ter, vel quater in hebdomade fieri potest pro temporis et personarum opportunitate: mirum exinde in studiis profectum capiunt alumni.

97. 8.° Hanc disputationem, de qua numero praecedenti, in pluribus Gymnasiis, die sabbati solemniori modo instituunt. Tempore et loco Scholae, disputatur, praesente Magistro, de una vel altera thesi prius in schola a Magistro elucidata: unus vel alter alumnus suam defendit et ostendit thesim, et totidem alii argumenta objiciunt, professore moderante et solutiones, si opus fuerit, dilucidante. Ultimo autem disputationis quadrante, omnibus fit facultas interrogandi vel objectandi, quo et ingenia exercent et dubitationes deponunt.

98. 9.° Singulis mensibus, pro disputatione sabbatina, ampliori concertationi ceditur locus. Duo a Professoribus seliguntur alumni; alter qui tueatur theses aliquas, puta, sex vel octo, scholae matutinae, et alter scholae vespertinae; sex quoque arguentes qui alternatim adversus defendentes argu-

mententur; tres, nempe, mane, ac tres vespere. Conveniunt, quatenus fieri possit, professores omnes Theologicae facultatis (vel Philosophicae, cum de hujusce facultatis alumnis agitur), et praesidente Gymnasii Rectore, vel Studiorum moderatore, incipit unus defendentium mane, et alter vespere, et disserit de aliqua ex praecipuis concertationis thesibus, per quindecim vel viginti minuta circiter. Postea aggrediuntur objectantes unam ex thesibus, quam ipsi selegerint; quod si languescat concertatio, Professores vel Doctores adstantes, quo magis ferveat, instant et tyronibus viam aperiunt et vires adjiciunt. Menstruis hisce disputationibus potest etiam aliqua inseri dissertatio; nunc de Sacra Scriptura, nunc de Jure canonico, vel de Historia Ecclesiastica, quo, in diversis Theologiae disciplinis et variis disserendi formis, proficiant alumni et instituantur.

ARTICULUS II.

Quibus poterunt industriis Professores alumnos juvare.

Praeter litteraria exercitia in praecedenti paragrapho laudata, nonnullas alias edocuit experientia industrias ad alumnorum profectum peraccommodatas.

1.° Textum praelegendum habeant Professores omnes, matura consideratione ab eruditis et expertis Magistris et Doctoribus selectum: si enim quivis ex Professoribus sua sequatur placita, necessario eveniet, quod doctrinae *soliditas* et *unitas*, quae magni fieri in qualibet Academia debent, prorsus exulent.

2.° Auctor praelegendus praesentibus temporibus sit accommodatus, vel saltem sic dispositus, ut facile possit a quovis Professore, absque multa Textus immutatione, aptari.

100. 3.° Scholastici cursus initio, accurate perpendat Professor, qui tractatus et quaestiones a se sint explanandi: inde cursum in tres vel quatuor stationes partiatur; puta, usque ad Natales dies, ad Paschae festa, etc., et sic praestituat, quos tractatus seu quaestiones in singulis stationibus debet percurrere. Deinde, pro quavis statione enumeret circiter Professor lectiones habendas, et praefigat quas in iis explicare valebit quaestiones: praecipuas ac majoris momenti seligat, ceteras autem, si opus fuerit, praetermittat, vel summatim tantummodo attingat. Prima transacta cursus statione, quaestiones aggrediatur secundae cursus parti consignatas. Sic assequetur Professor ut

Tractatus omnes, et praecipuas saltem cujusque quaestiones semper absolvat.

101. 4.° Quamlibet ante lectionem, pridie alumnos praemoneat Professor de quaestione, seu thesi, explananda: quod si textu non uteretur; vel dicat in quo Auctore poterunt quaestionem illam praevidere, vel annotationes ea de re a se concinnatas discipulis porrigat; oportet enim ut ipsi lectionem diligenter praevideant. (Supra n. 94).

5.° Dum de lectione explicanda praemonentur alumni, indicat quoque Professor quidex illa memoriae mandare oporteat; puta, definitiones aliquas, axiomata, conciliorum canones, S. Scripturae vel SS. Patrum sententias, etc. Moderatum ejusmodi memoriae exercitium (nam intelligentia potius excolenda est quam memoria) non tantum ad praesentem addiscendam disciplinam, sed ad futura etiam exercenda ministeria est necessarium.

102. 6.° Ne explicandae lectionis praemonitio supervacanea evadat, et ejusdem praevisio illusoria vel levissima, Professores, initio scholae, lectionum rationem saepius exigant. Nisi enim diligenter lectionem praevideant alumni; de quibusnam rebus agendum sit nesciunt, quid in eis sit obscurum et difficile ignorant, quanti momenti sit quaestio pertractanda non perpendunt, utrum omnia elucidentur non curant, et judicium prudens, an rei explicationem sat intellexerint, habere non possunt.

103. 7.° Prope finem lectionis, tribuat Professor discipulis facultatem interrogandi ea quae non intellexere, ac dubia proponendi; hoc enim ad complementum expectat, et quidem necessarium, explicatae lectionis. Praeterea, non exigua inde proveniunt commoda. Primum; quae ad unum fit responsio ceteris omnibus, vel pluribus saltem, prodest. Secundum; plurimi alumni nequeunt Professores privatim ad eos interrogandos adire; quod aliquatenus compensabitur, si in eadem Schola Professor ad dubia proponenda invitet. Tertium denique provenit commodum, nempe, quod plurima solvuntur dubia, multae enodantur difficultates cum exigua temporis iactura. His adjicias, quod exinde indolem ac ingenium alumnorum melius ac facilius dignoscet Professor.

104. 8.° Sub finem anni ita instituendae erunt lectionum repetitiones, ut, quantum fieri possit, lectiones omnes repetitae sint, cum tempus examinum advenerit.

APPENDIX.

Distinctiones praecipuae, quae in disceptationibus scholasticis adhiberi solent, a R. P. Rich. Arsdekin, soc. Jesu sacerdote, Theologiae professore, collectae.

§. I.

Absolute, et respective. Absolute sive simpliciter, et secundum quid. Essentialiter, et accidentaliter. Per se, et per accidens.

105. *Absolute* dicitur Res *talis*, quando in se habet naturam, vel accidens, quod requirit talem denominationem: sic homo dicitur *absolute* rationalis, et paries dicitur *absolute* albus. *Respective* vero res dicitur *talis*, quando non habet in se tale, quod diximus, praedicatum, sed tantum sic denominatur, si cum alia re comparetur: sic vir parvae staturae, *respective* dicitur magnus, si comparetur cum puero, non vero si cum gigante.

Absolute aliquando idem est, quod *simpliciter:* quando sine addito aut limitatione potest res denominari talis. *Secundum quid* autem res dicitur *talis*, quando vel secundum parvam sui partem, vel tantum cum addita particula restringente *talis* denominatur. Sic Ethiops non denominatur *absolute* albus, sed bene *secundum quid*, scil., dentes: et imago hominis dicitur homo *secundum quid*, scil., secundum solam repraesentationem.

106. *Essentialiter* dicitur aliquod praedicatum convenire subiecto, sine quo subiectum nec esse nec concipi potest, sive, quod ingreditur primarium rei conceptum; ut rationale respectu hominis. Illud autem dicitur accidentaliter convenire, sine quo res saltem concipi potest: sive, quod non est de primario conceptu illius praedicati, quod in unaquaque re est primum et radicale fundamentum caeterorum praedicatorum, quae in tali re inveniuntur; quo modo, etiam risibile tantum *accidentaliter* homini convenit, etsi sola ratione ab eius essentia distinguatur.

107. *Per se* id dicitur convenire rei quod ex natura ipsius rei convenit, seu ex principiis intrinsecis. Sic v. gr. homini conveniunt *per se* omnia praedicata, quae ipsi sunt essentialia, vel etiam propria quarto modo: et quae necessario comitantur naturam, v. gr. esse natura sua bipedem. *Per accidens* autem id convenit rei quod convenit ei accidentaliter et non necessario, seu quod convenit ei

quasi casu et aliunde. Sic logicus *per se* est Philosophus; *per accidens* autem est albus, pius, nobilis. *Per se* quandoque idem est, quod propter se, et ex professo: *Per accidens* autem, idem quod propter aliud. Sic Logica *per se* agit de operationibus intellectus, *per accidens* autem de signis, vocibus, &c.

§ II.

Res in actu et potentia. In actu primo, et in actu secundo. In actu exercito, et in actu signato. De potentia Dei ordinaria, et de potentia absoluta. Adaequate et inadaequate. Realiter et intentionaliter. Extensive et intensive. Positive et negative.

108. *Actu* esse res dicitur, quando de facto est extra suas causas, id est, quando a suis causis producta est, ut existat. *Potentia*, vel *in potentia* res dicitur esse, quae quidem non existit, sed tamen potest existere; sic Antichristus est in *potentia*, etiam hodie.

Actus primus, est ipsa potentia, v. gr. videndi, intelligendi etc. *Actus vero secundus*, est actio elicita a potentia: unde in *actu primo*, dicitur quis operari quando habet potentiam operandi; in *actu* vero *secundo*, qui de facto operatur. Sic dormiens dicitur videre, vel discurrere in *actu primo;* tum vero videre vel discurrere in *actu secundo*, quando de facto aliquam visionem, aut argumentationem elicit.

109. *Actus signatus* dicitur 1. Quando actus in propositione significatur expresse, id est, quando expressis, et signantibus verbis dicitur talem actum competere alicui rei: etiamsi ille actus in propositione illa, non exerceatur. *Actus vero exercitus* dicitur, quando actus exercetur reipsa, etiamsi expresse seu signanter non dicatur exerceri, v. gr. quando dicitur: Petrus est doctus: hic doctrina praedicatur de Petro in *actu exercito*, id est, actus praedicationis, seu afirmationis de Petro vere exercetur. Quando vero dicitur: de Petro afirmatur vel praedicatur doctrina: tunc est *actus signatus;* et doctrina de Petro predicatur in *actu signato*, id est, signantibus verbis exprimitur, quod actus praedicationis doctrinae competat Petro, quae tamen praedicatio non exercetur in ista propositione.

Sic etiam Superior, aut Pastor sobrie et caste vivens, concionatur suis *in actu exercito* de sobrietate et castitate. Quando autem verbis, aut signis commendat sobrietatem, concionatur de sobrietate et castitate *in actu signato*.

110. *Per potentiam Dei Ordinariam* id dicitur fieri, quod potest fieri secundum legem et decretum ordinarium Dei, quod ille statuit servare circa res creatas. *Per potentiam vero Absolutam Dei*, id

dicitur posse fieri, quod, abstrahendo ab omni libero decreto Dei, et a cursu rerum Ordinario, a Deo potest fieri. Unde per *absolutam Dei potentiam*, dicitur omne id posse fieri, quod non involvit contradictionem: sic per *potentiam Dei absolutam*, absque omni studio, potes hodie Aristotelem doctrina Philosofica superare, non tamen de *potentia ordinaria*.

111. *Adaequate* sumitur res, quando integre et totaliter accipitur. Sic homo *adaequate* sumptus est animal rationale. *Inadaequate* vero sumitur res, quando sumitur partialiter. Sic homo *inadaequate* conceptus, est animal, est physice solum corpus, vel sola anima.

112. *Realiter*, seu *primo intentionaliter* sumitur res, quando consideratur prout est a parte rei, et non ut vestita quasi extrinsece aliqua intentione, sive conceptu circa eam versante. *Secundo Intentionaliter* sumitur res, quando res sumitur simul cum cognitione, et tota ratio cur praedicatum ei conveniat est, quia circa rem praecessit actus intellectus. Sic homo et animal sumuntur *realiter*, seu *primo intentionaliter*, quando dico: petrus est homo; leo est animal. Sumuntur vero, *secundo intentionaliter* quando dico: homo est species, animal est genus: quia denominationem speciei, aut generis habent ratione conceptus generici, aut specifici.

113. *Extensive* et *intensive* dicuntur potissimum de qualitate, aut quantitate: extensio enim qualitatis, verbi gratia, caloris tunc fit, quando calor extenditur, ad plures partes subjecti. *Intensio* vero tunc fit, quando in eadem parte subiecti ponuntur plures gradus qualitatis, verbi gratia, caloris. Gradus autem communiter assignantur octo: ita ut qui octo gradus, verbi gratia, caloris habet, dicatur habere intensissimum calorem. Sic manus calida ut sex; est *intensive* magis calida quam totum corpus calidum ut quatuor, sed tamen *extensive* magis est calidum quam illa manus, per se sumpta.

114. *Positive* res dicitur aliqua talis, quando in illa vere reperitur forma denominans. Sic mel dicitur dulce *positive*, quia dulcedo vere est in melle. *Negative* vero aliquid dicitur tale, quando caret solum forma contraria. Sic omne id dicitur esse dulce *negative*, quod non est amarum. Et puer dicitur probus *negative*, qui nihil committit improbitatis.

§ III.

Directe, indirecte. Directe et reflexe. In recto et in obliquo. In sensu composito et diviso. Materialiter et formaliter, specificative et reduplicative. Formaliter, virtualiter, eminenter, radicaliter.

115. *Directe* id intendi dicitur in quavis actione, quod primario, et ratione sui intenditur. *Indirecte* vero, id quod tantum ratione alterius intenditur, et quasi per accidens. Sic Logica *directe* agit de operationibus intellectus; *indirecte* vero de signis, vocibus, etc. Item in moralibus, *directe* dicitur intendere homicidium, qui illud mandat; *indirecte* qui illius, aliquam causam ponit. *Directe*, ut opponitur *reflexe*, quando res cognoscitur primo in se, non in alia cognitione de illa habita.

In recto et *in obliquo* importari, maxime dicuntur de terminis connotativis, et relativis. Significari itaque *in recto* idem est quod in enuntiatione significari identificatum cum subjecto. Illud autem significatur *in obliquo* quod non significatur identificari cum subiecto, sed tantum esse aliquid pertinens ad subjectum, vel ad rectum ipsius praedicati. Ut in hoc termino albus, significatur res quae est alba *in recto*, albedo vero *in obliquo*. Hinc in praedicatione qua dico, paries est albus: identifico rem, quae est alba, cum pariete, non vero identifico albedinem cum pariete: vera enim est haec propositio: paries est res habens albedinem; falsa autem altera, paries est albedo.

116. *Sensus compositus* alicujus propositionis dicitur, quando fit compositio praedicati cum subjecto secundum significata formalia utriusque. Ut cum dico: Logicus est Philosophus, scilicet, ut logica praeditus: item; justus est beatus, scil., manens justus. *Sensum* autem *divisum* tunc habet propositio, quando praedicatum convenit subiecto ratione tantum significati materialis. Ut cum dico: album potest esse nigrum: haec enim propositio in *sensu composito* est falsa; sensus enim compositus est, album manens album posse esse nigrum, sive albedinem et nigredinem posse esse simul in eodem subiecto. *In sensu* autem *diviso* propositio illa est vera: tunc enim sensus est: album, seu id quod est album, non tamen manens album, posse esse nigrum.

117. *Materialiter* et *formaliter*, variis modis sumitur. I. *Materialiter* dicitur praedicatum convenire subiecto quando convenit ratione materiae sive subiecti. Sic dicitur album (v. gr. lac), *materialiter*, non *formaliter*, dulce. *Formaliter* vero convenire dicitur, quod convenit ratione formae: sic album *formaliter*, sive ut album,

est disgregativum visus. Quae distinctio etiam locum habet quando predicata sunt realiter eadem, et tantum ab intellectu concipiuntur per modum materiae, et formae: Sic in sensu *materiali,* sive *identico*, animal est rationale, quia animal et rationale sunt eadem res; *formaliter* autem, seu in sensu formali, animalitas non est rationalitas, sunt enim formalitates diversae in conceptu.

II. *Materialiter* quandoque idem est, quod *identice*, seu *specificative*. *Formaliter* autem quandoque idem est, quod *reduplicative;* quod exprimi solet per particulas *quatenus*, *in quantum*, *qua talis*, etc. Ita homo *formaliter* seu reduplicative est rationalis, quia possum reduplicare dicendo, homo quatenus homo, est rationalis. Si autem dicam homo quatenus homo est Philosophus, erit falsa propositio in sensu *formali*, sive reduplicativo.

III. *Formaliter*, *virtualiter*, *eminenter* dicuntur de causis prout continent perfectionem sui effectus. Effectum enim, seu perfectionem sui effectus, tunc dicuntur causae continere *formaliter*, quando illa entitas effectus quam producunt reperitur in ipsis causis. Sic ignis dicitur *formaliter* calidus, quia calorem, quem producit, etiam in se continet. *Virtualiter* autem dicuntur causae continere effectum, quando possunt effectum illum producere, licet entitas effectus in ipsis causis non reperiatur: sic piper, aut vinum *virtualiter* dicitur calidum, quia potest in homine calorem causare, licet vinum actu in se calorem non haberet.

118. Denique, *eminenter* causa tunc dicitur continere effectum, quando non aequivalenter tantum et virtualiter effectum continet sed etiam est multo perfectior effectu, sublatis, scilicet, imperfectionibus quae sunt in effectu. Sic sol *eminenter* est calidus, quia et virtutem habet producendi calorem, et est calore perfectior. Item Deus *eminenter* continet creaturarum perfectiones, quia, sublatis imperfectionibus, eas in se continet, ut causa perfectissima.

IV. *Formaliter* sumitur effectus quando spectatur secundum se. *Radicaliter* autem vel *fundamentaliter* quando spectatur secundum causam, radicem, vel fundamentum. Sic risibile sumptum *formaliter* est proprietas hominis, et a rationali distinguitur. Risibile autem sumptum *radicaliter* est idem quod rationale. Nam rationalitas est causa sive radix prima risibilitatis.

119. V. *Formaliter* etiam subinde significat idem quod per se, sive essentialiter: ita ut praedicatum, quod dicitur convenire subjecto formaliter, sit in recto de definitione subjecti. Sic homo est *formaliter* animal, uti et rationalis; non vero hoc sensu homo est formaliter risibilis, vel albus, quia haec hominis definitionem aut essentiam non ingrediuntur.

DISQUISITIO II.

DE RELIGIONE REVELATA,

ubi etiam

suis locis, juxta rerum ordinem,

Rationalismi, Indifferentismi, Progressismi Indefiniti, uno verbo, ***Liberalismi,***

exploduntur errores.

PRAENOTANDUM.

1. Non soli theologi, sed philosophi etiam de Deo disserunt et de hominum officiis erga Deum: sed aliter et aliter: nam philosophi sola ducuntur ratione, theologi autem principem concedunt locum auctoritati, et quidem divinae, ratione vero ut pedissequa tantum utuntur. Quia ergo nos disquisitiones theologicas instituere aggredimur, ea, quae more pure philosophico tractantur, dimittere necessum est; tum ne actum agamus, oleum et operam, ut fert proverbium, perdentes; tum ne manum in messes alienas porrigamus. Insuper, in prioribus hisce disquisitionibus singulas evolvere et argumentis confirmare fidei veritates minime intendimus, sed fundamenta tantum jacere totius theologicae disciplinae, quae, uti diximus, revelatione potissimum nititur. Fidei igitur veritates illae, quae propriis et peculiaribus disputationibus elucidari solent, a nobis, iisdem de causis, nunc praetermittentur; et sufficiet, ubi id necessitas postulet, eas perpaucis delibare. Inde et aliud necessarium deducetur commodum; quod, omissis ejusdem rei haud necessariis retractationibus, plenior totius Theologiae tradatur a professoribus notitia, cum ad suas tantum elucidandas quaestiones omnes singuli impenderint operam.

DIVISIO GENERALIS.

Caput I. Nonnulla quae disquisitioni de Religione revelata praemittere oportet.
— II. De iis quae, veluti via, ducunt ad divinae Revelationis existentiam dignoscendam.
— III. De Revelatae Religionis Existentia.
— IV. De Superstitionibus ficte revelatis.

CAPUT I.

Nonnulla quae disquisitioni de revelata religione praemittere oportet.

ARTICULUS I.

De Religione universim.

§ I.

Dei existentia et attributa.

2. **Dico I.** In primis illud ponendum est; Deum existere, et esse Ens Necessarium, et quidem unicum, ideoque in omni perfectione infinitum, et causam supremam ceterorum omnium entium. Hanc totius theologicae scientiae fundamentalem veritatem, quatenus sola rationis vi firmari potest, philosophia docet; quatenus fidei argumentis elucidanda est, ad theologicas de Deo disquisitiones referimus.

§ II.

Cultus Deo tribuendus.

3. **Dico II.** Deinde ponimus; Deo summam esse reverentiam exhibendam, et supremum tribuendum honorem.

Haec similiter propositio, quam naturalis ratio obviis suadet argumentis, a philosophia traditur; ad theologum tamen spectat propriis eamdem tueri probationibus; quod breviter praestabimus, nam rei claritas non longam postulat orationem.

Prob. 1.° Constanter, per omnem seculorum decursum, sive in

lege Gratiae, sive in Mosayca, sive in Naturae lege oblatum Deo est sacrificium, ut notavit Tridentinum (1): «Sacrifi»cium et Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrum»que in omni lege extiterit.» Atqui sacrificium nihil aliud est quam quaedam supremi cultus, qui latria dicitur, exhibitio; «Quis vero, »ait Augustinus (2), sacrificandum censuit nisi ei, quem Deum »aut scivit, aut putavit, aut finxit?»

Prob. 2.° Praeceptum quod in omni lege, veluti princeps officium, fuit custoditum, sacrae quoque Litterae tradiderunt. Praecepit namque Dominus (3): *Altare de terra facietis mihi, et offeretis super eo holocausta... Veniam ad te, et benedicam tibi.* Et Christus Jesus vetus confirmavit mandatum (4): *Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies.* Rursus: *Venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit qui adorent eum* (5).

Prob. 3.° In Syn. oecumen. V. can. 1, decreverut PP. «Si »quis non confitetur... unam deitatem in tribus subsistentiis sive »personis adorandam, talis anathema sit.»

In re adeo aperta omnes consensisse Patres, quis dubitet? Chrysostomum laudasse sufficiat (6): «Propter hoc rationales facti »sumus et a brutis differimus, ut laudemus, celebremus, glorifice»mus jugiter Dominum omnium Conditorem:» item: «Eum maxime adora, propter ineffabilem ejus majestatem (7).»

4. 4.° Simplici rationis lumine quod hic tuemur etiam elucere, facile philosophia ostendit. a) Parentes esse honorandos, omnes intelligunt homines, corde persentiunt, et opere ipso, nisi impii fuerint, profitentur. Sed in Deo praefulgent, longe excellentius, causae omnes, aliaeque plurimae, propter quas colendos esse parentes intelligimus; ergo absque ullo dubio Deum eminentiori quodam modo colere necessum est. Quemadmodum autem a cultu parentibus debito arguimus, pari modo ab ea observantia argumentaberis, quam principibus solvimus, sapientibus, nec non omnibus privati vel communis boni praeclaris fautoribus.

b) Gentes omnes ubique terrarum Deo, vel iis, quos deos esse putabant, cultum solvendum consuerunt; hinc ajebat Cicero (8). «Sua cuique civitati Religio est; Deum quippe natura venerari no»vit; nec quisquam est homo, qui lege, quae hoc praecipiat, ca»reat.» Unde cum *Cicerone*, et cum *Chrysostomo* supra laudato, eos qui Deum esse colendum negent, non homines esse, sed bruta animalia, asserere poteris.

---

(1) Sess. XXII, cap. I. –(2) De Civit. Dei lib. 10, c, 4.— (3) Exod., XX, 24. — (4) Matth., IV, 10. –(5) Jo. IV. 23. — (6) In Genes. c. VIII, hom. 26, 6.— (7) In Ps. 44, 9.—(8) Orat. pro Flaco.

8. c) Dei cultus è duplici exurgit elemento: scilicet, è summae Dei erga nos excellentiae recognitione; quippe infinitus est Deus et causa ejus quod sumus atque esse expectamus, totius, nempe, beatitudinis nostrae; deinde, è significatione, seu protestatione aliqua apud Deum ejusmodi excellentiae, nostraeque subjectionis. Atqui utrumque requirit rationalis nostra natura actum: ergo a Chrysostomo et Cicerone jure dictum; naturam ipsam, qua homines sumus, nos ducere ad Deum venerandum.

Majorem, cum perspicua omnibus pateat, neque probare, neque explicare opus est. Item prima *minoris* pars ex iis, quae supra (n. 2) fuere proposita, apertissima est. ¿Quis enim mente non recognoscat et fateatur, infinitam Dei excellentiam, summamque nostri eidem subjectionem? *Minoris* ergo secunda pars ostenditur.

Recognitio divinae excellentiae, nostraeque subjectionis, spontanea sit oportet, id est, voluntate ipsa compleri; aliter enim summa ac totalis subjectio minime foret. Atqui voluntaria divinae excellentiae recognitio, nostraeque erga Deum subjectionis, secum, connaturali nexu, significationem seu protestationem fert illius divinae erga nos excellentiae: ergo postulat rationalis naturae divinae excellentiae significationem.

Major, attente si perpendas, est plane evidens. ¿Quis namque non videt, divinam excellentiam, et inde nostri subjectionem, omnia naturae nostrae intrinsecus respicere, adeoque voluntate ipsa libera et spontanea complendam? *Minorem* quoque certam esse, sic explicari potest. Velle se Deo summe excellenti submittere (quod exigit, uti dictum est, nostra ipsa natura, si ad divinam conferatur, est practica, intrinseca et naturalis protestatio submissionis nostrae et excellentiae divinae propter quam subjicimur. Atqui actus quilibet voluntatis est ab intrinseco volitio sui ipsius: ¿Quid enim sic est volitum, seu voluntarium, quemadmodum actus ipse quo volumus? Ergo quicumque Deo summe excellenti subjectum se esse, volenti libentique animo, recognoscit; significat et protestatur summam Dei excellentiam, suamque submissionem. Imo, si rem accurate perpendamus, clarius verisque id significat, quam actu seu signo quovis extrinsecus posito: hic namque potest fictus mendaxque existere: illa autem interna ac spontanea recognitio necessario et ab intrinseco vera est ac significans.

6. **Scholion.** Ex nuper dictis facile intelligitur, quam recte fuerit ab Angelico D. dictum (1): «Significat autem sacrificium quod »offertur exterius, interius spirituale sacrificium, quo anima se ip»sam offert Deo.» Item (2): «In adoratione principalius est interior

(1) 2. 2. q. 85, a. 2. — (2) Q. 84, a. 3.

»devotio mentis; secundarium autem est quod pertinet exterius ad »corporalia signa.» Et re quidem vera: si velle signum aliquod exhibere suae ad Dei excellentiam subjectionis, actum perficit religionis ad Deum honorandum; multo facilius, verius ac perfectius id praestabit voluntas se divinae excellentiae plene subjiciendi: signi namque perfectio e re descendit quam significat. Alibi quoque ait *S. D.* (1): «Actus interiores *per se pertinere* ad religionem»; verum exteriores actus ad illam tantum spectare, «quasi secundarios et ad interiores ordinatos.» Hinc et laudat Augustini sententiam: «Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum.»

Haec plenius evolvit, qua solet ingenii claritate et scientiae profunditate, *Doctor eximius* (2).

7. Obj. Actus ejusmodi, scilicet, significandi ac protestandi Dei excellentiam, nostrique subjectionem, videtur inanis, adeoque praetermittendus. Significatio ac protestatio alicui namque facienda est; atqui non debet aliis fieri hominibus: alioquin homo unicus, puta, Adam, ad Deum colendum non foret obstrictus; neque Deo ipsi est quidquam significandum: quid enim, nobis indicantibus, potest Deus addiscere? Neque nobis ipsis quidquam significare vel protestari prudenter valemus: genus enim quoddam stultitiae id jure dixeris; ergo.

8. Resp. Nego assertum. Ad probationem autem respondeo: significationem ac protestationem de qua agimus, fieri *intrinsece* quidem et *per se ipsi* Deo; non quidem quasi *speculative*, seu actu *signato*, uti objectione praesumitur, sed *practice* seu actu *exercito*, tamquam exercitium plenae et universalis submissionis. Unde non quidquam Deum addiscere indicatur, sed tamquam supremum Dominum recognosci innuitur.

Verum non abnuimus posse tum sibi, tum aliis, protestationem istam *extrinsece* et *per accidens* fieri: id enim et esse honestum, ac saepe utile, imo non numquam etiam posse necessarium evadere, quisque facile intelliget. Quod ad alios pertinet, patet; cum saepe apud illos, etiam in rebus minoris momenti, utiliter ac necessario signis ad sensus nostros depromendos utamur. Quoad autem ad nosmet ipsos spectat, notum est, quemque ad se ipsum saepe reflectere, ut quid in animo gerat facilius dignoscat et certius dijudicet; quae quidem ad se reflexio tum est potissimum adhibenda, cum de necessaria aliqua mentis habitudine inquirendum est. Atqui divinae illius excellentiae voluntaria recognitio, suaeque ad Deum subjectionis, quaedam est habitudo animi necessaria, ut jam constitu-

---

(1) Q. 81, a. 7.—(2) De Incarn. Disp. 51, Sec. II, n. 21.

tum est: ergo recte et utiliter protestatio ista non tantum ad Deum, et sane principaliter, sed ad alios et ad se ipsum quoque recte ordinabitur.

§ III.

De cultu Dei externo.

9. **Dico III.** Non interno tantum animi affectu, sed externo quoque corporis habitu Deus colendus est. Quemadmodum praecedens tradita propositio, haec pariter certa constat fide.

Prob. 1.° Non solum teneri nos Deo cultum exhibere internum, sed etiam externum definivit Tridentina Synodus (1); quia enim Christus est Deus, ait: «Si quis dixerit, in sancto Eucharistiae »Sacramento, Christum, Unigenitum Dei Filium, non esse cultu »latriae, etiam externo, adorandum... anathema sit.»

2.° Argumentum supra (n. 3) cum Tridentino adhibitum, quod, scilicet, in omni lege fuerit constanter cultus Deo exhibitus, rem etiam praesentem ostendit; nam quidem non sola mente, sed signis externis ac corporeis colebatur Deus, tum in lege Naturae et Mosayca, tum in Nova. Mosaycum sane mandatum (2) de cultu statuebat externo; et similiter Christus D. (3). «Ut dilectae »sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, re»linqueret sacrificium... Corpus et Sanguinem suum sub especie»bus panis et vini Deo et Patri obtulit.»

3.° Apud gentes omnes non solus viguit internus Dei cultus, sed etiam externus, ut historia docemur et experientia. Hinc Plutarcus, in impium Colet. Epicureum, ajebat. «Si totum orbem pera»gres, invenies urbes sine litteris, sine rege, sine domibus, paupe»res, sine nummis, theatris, gymnasiis. At urbem sine templis, »sine Diis, quae non preces fundat, non litet... nemo reperit, repe»rietque.»

10. E philosophiae in promptu nobis est optima ratio. Ad spiritualia et sensibus impervia vel nullo modo vel admodum difficili, homines duci queunt, nisi rerum sensibilium ope et adjumento. Atqui Dei supra nos excellentia, plenumque dominium ad res spectat spirituales, nostraque ad eum subjectio ad pura intelligibilia refertur: ergo nobis opus erat, ad haec protestanda et menti infigenda, res aliquas adhibere corporeas, quae sensus afficerent et intelligentiam adjuvarent. Unde Chrysostomus (4): «Hoc autem

---

(1) Sess. 13, cap. V, et can. VI. (2) Exod. XX, 24.—(3) Trid. Sess. 22, —(4) In ps. 140, 3.

»jusserat (sacrificium matutinum et vespertinum) Deus fieri, signi»ficans per id quod fiebat eum assidue colere oportere.» Et alibi (1): «Omnia mihi affatim et abunde suppetunt, et cum sim ipse Domi»nus, mea volo a te accipere, ut hac via et ratione te ad meam ami»citiam attraham, et a rerum inanium consuetudine abducam.» Scilicet, et sui subjectio, et rerum vilitas, quae propter Deum jure sacrificio destruuntur, clarius elucescunt. Et pari ratione D. Angel. 2): «Quia vero connaturale est homini ut per sensus cognitio»nem accipiat, et difficillimum est sensibilia transcendere, provisum »est divinitus homini ut etiam in sensibilibus rebus divinorum ei »commemoratio fieret, ut per hoc hominis intentio magis renovare»tur ad divina, cujus mens non est valida ad divina in se ipsis con»templanda: et propter hoc instituta sunt sensibilia sacrificia quae »homo Deo offerat, non propter hoc quod Deus eis indigeat, sed ut »repraesentetur homini quod se ipsum et omnia sua debet referre in »ipsum sicut in finem, et sicut in creatorem et gubernatorem et Do»minum universorum.»

11. Obj. 1.° Chrysostomus (3), judaeorum improbans sacrificia, ait: «Deum non fumo, nec nidore, sed per optimum vitae ins»titutum, non corporeum sed in mente situm, colere et honorare »oportet.»

Resp. Chrysostomi explicanda sententia. Non corpore, sed mente Deum honorare oportet, *per se* et *principaliter;* conc. Neque *secundario* et *propter aliud* oportet Deum colere; nego.

Hanc esse Chrysostomi mentem ex toto elucet contextu: nam ipse fatetur, Deum sacrificia et cultum corporalem decrevisse; «Sed »non haec decernit tamquam haec praecipue velit.» Verum judaei sic iis abutebantur, «quod potiore virtutis parte comptempta, salu»tis spem in eis reponerent.» abusum ergo improbat.

Inst. Ait ipse: «Indulgentia Deus usus est et permisit sacrificia, »ut sacrificia tolleret... nec lege sanxisse quod ea probaret.»

Resp. Dist. Quasi Deus minime cultum probaret externum, et vellet quodlibet tandem tollere sacrificium; nego. Quatenus voluit Deus «eos paulatim a mactatione brutorum abducere», et nobiliorem statuere cultum et quidem externum etiam ac corporeum, non autem mere internum; conc.

12. Obj. 2.° Cultum externum videtur Christus D. è religione excludere et improbare: dixit enim (4). *Neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem... Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Spiritus est: et eos qui adorant eum in spiritu et veritate oportet adorare.*

---

(1) In ps. 49, 5. —(2) Contr. Gent. l. 3, c. 119.—(3) Joan. IV. 21.—(4) Joan. IV, 21.

Resp. Explico sensum. Cultus ille, quem Jerosolymis et apud Samaritanos adhibebant atque in externis ritibus praecipue constituebant, erat quidem abrogandus; conc. Adorandus jam erat Deus, non tantum *principaliter*, sed *unice* spiritu et veritate, quolibet rejecto externo symbolo spiritualis cultus; nego. Nihil enim ejusmodi laudata indicant Christi verba. Imo scimus, tum à priori, propter argumenta in thesi posita; tum á posteriori, ex cultu scilicet ipso quem instituit Christus, quemque ipse ad Deum adorandum adhibebat, nullatenus intendisse externum omnem abrogare cultum. Etenim elata voce gratias Deo agebat, eumque laudabat atque exorabat, ac tandem se ipsum in cruce Deo Patri obtulit sacrificium visibile ac cruentum, nec non incruentum in Sacramento.

§ IV.

Quod Deus sit socialiter colendus.

13. **Dico IV.** Hominum societas, quatenus persona quaedam moralis est, ad Deo obsequium praebendum constricta quoque existit.

Nota. Coëunt homines in societatem civilem ut facilius, coadunatis viribus, bona sibi convenientia provideant, imminentia vero mala repellant. Inde jus proxime fluit media adhibendi, quibus et ipsa societas conservetur et finem suum assequatur. Jam vero, ejusmodi duplex societatis bonum, conservari, scilicet, et finem assequi, sunt effectus communis; effectus autem communis actionem flagitat communem;actio communis non nisi à motore oriri potest communi; id est, vires societatis harmonice moventi. Atqui si vellent singula societatis membra ejusdem movere vires, non possent hae harmonice duci, imo potius ad invicem necessario colliderentur: jus igitur societatis regendae uni vel paucis debet inesse membris, ut harmonica, id est, una possit esse motio.

His positis elucet, rectorem societatis duplicem gerere personam: alteram physicam, quatenus nomine suo agit et finem suum privatum prosequitur; moralem alteram, cum conservationi societatis et fini ejus assequendo incumbit: id namque praestat nomine et vice fungens totius societatis. Dicimus igitur, societatem, quatenus coalescit in unam personam moralem; seu, moderatorem societatis, quatenus munere ipsius fungitur, officiis constringi religionis, ideoque obsequium ac cultum Deo debere.

Certa atque catholica est hujus propositionis doctrina, quam authentice in Encyclica *Quanta cura* Pius IX definivit, (8 decem. 1864).

15. Prob. 1.° ex laudata Encycl. «Probe noscitis, Venerabiles »Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio im»pium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applican»tes, audent docere: *optimam societatis publicae rationem civilemque »progressum omnino requirere, ut humana societas constituatur et »gubernetur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existe»ret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discri»mine.* Atque contra sacrarum Litterarum, Ecclesiae, sanctorumque »Patrum doctrinam, asserere non dubitant, *optimam esse conditio»nem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi »sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax »publica postulet.*»

Deinde ipse Pontifex (ibid.): «Eisdem fidelibus inculcare num»quam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta »nostra religione, ejusque doctrina et exercitio redundare ac bea»tum esse populum cujus Dominus Deus est. Docete, catholicae »fidei fundamento regna subsistere.»

Ex his elucet, non posse perfecte constitui ac gubernari societatem, sublato ad veram religionem debita reverentia, et violatoribus ipsius haud coërcitis; item; eam felicitatem, quam societatem coëuntes quaerunt homines, a religionis exertitio pendere tamquam e fundamento. Atqui societas, adeoque et rector ipsius qui ejus gerit personam, constringitur, natura sua ad id, sine quo neque potest perfecte constitui ac gubernari, neque proprium finem, seu felicitatem assequi: ergo societas atque moderatores ejus ad officia religionis constringuntur.

16. Prob. 2.° Propheta dicit (1): *Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terrae...* etc. Unde rebellantes in Dominum et Christum populi, reges et principes puniuntur in ira Dei, et tamquam vas figuli confringuntur: ergo necessum est ut Domino et Christo debitum tribuant obsequium et honorem. Hinc Pharao, nolens dimittere populum Israëliticum, res quidem ad gubernationem pertinens, gravissimis a Deo flagellatur plagis cum universa Aegypto. Saul punitur et jure regnandi multatur, quod in gubernatione populi mandata Dei et religionis ritus non servaverit (2). Regna Israëlis et Judae disperguntur, reges eorum reprobantur et morte vel captivitate plectuntur, quia leges Domini violabant, et idolis litabant.

17. Prob. 3.° Quantum ad regnorum tutelam et prosperitatem pietas in Deum et religionis obsequia praestent, dicat, omnium Pa-

(1) Ps. 2.—(2) Reg. XIII.

trum nomine, Hieronymus (1): «Olim offensum sentimus, nec pla»camus Deum. Nostris peccatis Barbari fortes sunt. Nostris vitiis »Romanus superatur exercitus: et quasi non haec sufficerent cladi»bus, plus pene bella civilia, quam hostilis mucro consumpsit. »Miseri Israelitae, ad quorum comparationem Nabuchodonosor »servus Dei scribitur! Infelices nos, qui tantum displicemus Deo, »ut per rabiem Barbarorum, illius in nos ira desaeviat! Ezechias »egit poenitentiam, et centum octoginta quinque millia Assyriorum »ab uno Angelo, una nocte deleta sunt. Josaphat laudes Domini »concinebat, et Dominus pro laudante superabat. Moyses contra »Amalec, non gladio, sed oratione pugnavit. Si erigi volumus, »prosternamus. Proh pudor, et stolida usque ad incredulitatem mens! »Romanus exercitus, victor orbis et dominus, ab his vincitur, hos »pavet, horum terretur aspectu, qui ingredi non valent; qui, si te»rram tetigerint, se mortuos arbitrantur. Et non intelligimus Pro»phetarum voces: «*Fugient mille uno persequente.*» Nec amputamus »causas morbi, ut morbus pariter auferatur, statimque cernamus »sagittas pilis, tiaras galeis, caballos equis cedere.»

18. Prob. 4.° a) Societas quatenus persona est moralis, seu societatis moderatores quatenus eamdem referunt, eum habent ad Deum respectum, quem servi ad dominum, subditi ad principem, filii ad parentes, et homines singuli ad eundem Dominum Deum suum. Atqui honorem et obsequium debent ad dominos suos servi, ad principes subditi, ad parentes filii, et singuli homines ad Deum (supra, n. 4); ergo et societas, id est, moderatores ipsius, ad colendum Deum obstringuntur.

Major perspicua elucet: sive enim excellentiam, sive dependentiam et causalitatem perpendas, non minus, imo longe plus, eam inesse perspicies inter Deum, auctorem, conservatorem et consummatorem omnium, interque societatem, quam inter dominum et servum, principem et subditum, etc.

Dices: quo pacto major existere potest societatis dependentia a Deo, quam cujusvis particularis hominis? Resp. Ex parte Dei, cum sit undequaque ejus excellentia infinita, sane majus et minus nequit in ea conspici: at ex parte alterius termini, cum in societate et plura existant, quam in singularibus, à Deo suscepta bona, et longe plures sint ad subsistendum res necessariae, hinc etiam longe major in eâdem datur erga Deum dependentia.

19 b). Quod supra urgebamus, ex usu et consensu omnium gentium, pro necessitate Deum colendi, hic pariter urgere possumus.

---

(1) Ep. 60, n. 17: (Migne. t. I.)

Etenim non singulares homines tantum, sed respublicae, principesque ad mala communia avertenda, et ad prospera assequenda, honores, preces, sacrificia Diis proferebant. Huc refert illa Plutarchi laudare verba: «In legibus constituendis praecipua et maxima »est de Diis sententia. Quia et Lycurgus Lacedaemones, et Numa »Romanos, et Jon antiquos Athenienses, et Deucalion pene om»nes Graecos Diis consecrarunt; votis, juramentis, vaticiniis, augu»riis, spe et timore eos illis subjecerunt... Facilius, reor, posse ur»bem sine solo aedificari; quam vel posse construi, vel constructam »sine Deorum persuassione posse stare.»

20. c). Pari modo subest societatis moderator lumini et dictamini rationis qua moralis persona est, societatem referens; et qua privata, pro se agens: etenim ratione regenda societas; non phantasia, uti bruta, vel manibus et pedibus, uti lapides reguntur. Atqui dictat ratio, a quolibet ratione praedito et utenti deberi Deo honorem et obsequium: ergo reges et principes, qua tales, religionis officiis constringuntur.

Haec quidem obvia nimis putabis, ut tot indigeant argumentis; verum indicare saltem oportet, quibus possint juvari rationibus corda mentesque obscuratae impiorum.

21. Obj. Si societas, seu moderator ipsius, qua persona moralis, debet officia religionis persolvere; poterit quoque de officiis societatis erga Deum judicium proferre, et subditos ea in re obligare. Sed in iis quae ad religionem spectant, liberos homines esse oportet: ergo ad principes, qua rectores sunt societatis, minime pertinent religionis officia.

Min. prob. Officia religionis sunt homini intrinseca, et ejusdem fini ultimo connexa; finis autem societatis, bonum quoddam est homini extrinsecum, secundum et contingens. Sed absurdum jure dixeris, officia, quae ex fine ultimo ac necessario procedunt, iis subjicii officiis, quae ex fine secundo ac contingenti oriuntur: ergo in iis, quae ad religionem pertinent, libertas non amissibilis hominibus inest.

Resp. Dist. *maj.* Poterit princeps de societatis officiis erga Deum judicare et praecipere, potestate saltem delegata; conc. Potestate primaria, subd. Si alia adsit in societate legitima potestas ad officia religionis moderanda; nego *maj.* Si non fuerit ejusmodi distincta potestas, conc. vel, majoris claritatis gratia, iterum subd. Poterit praecipere circa ea quae non sunt jure naturae decisa; puta, circa diem cultui divino consecrandum; an jejuniis, precibus, talibus vel talibus sacrificiis Numen sit pro bono communi placandum (1):

(1) Jon. III.

conc. De iis quae naturae lege constituta sunt; rursus subdistinguo: poterit de iis legem ferre, ut ea servanda urgeat; concedo: ut ea proscribat vel infirmet; nego *majorem*.

Ad *minorem* autem, distinguo etiam. Circa religionem liberos cives esse oportet, quatenus impediri nequeunt in officiis exequendis verae religionis; concedo: ideo inique praescribebat *Nabuchodonosor*, ut cives ipsum tantum deprecarentur, non vero Deum (1). Liberi esse debent ut religionis officia impie contemnant, vel superstitiose agant: nego. Etenim ista non minus honestati adversantur et societatis bono, quam furari et rebellari.

22. Prae oculis igitur habere oportet, non esse jurisdictioni principum commissa quaecumque societatis bono sunt necessaria: sed illa solum quibus Deus vel jure naturali, vel positivo, aliter non providit. Sic nequeunt illi cives adigere ut filios procreent; ad id enim a Deo melius provisum, cum singuli homines, universim, persentiant quid sibi in hac re expediat, quidve valeant; quod sane nequirent principes, sine gravissimis ac frequentissimis erroribus, decernere. Pariter, filios instituere, quod opus amoris est, multique laboris, non potest ad societatem vel principes deferri, nam id natura, multo efficacius, parentum amori commisit, qui filios ut se ipsos, vel plus etiam, diligunt. Ut quid ergo extraneus quivis sibi munus hoc arrogabit?

23. Sic igitur, quandocumque Deus, circa religionis officia, judices et magistros constituerit, ab iis societas ejusdemque moderatores normam suscipiant oportet ad Deum colendum: quemadmodum in populo Israëlitico istud docendi munus summis sacerdotibus commissum fuit (2): *Habetis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum: docetisque filios Israël omnia legitima mea quae locutus est Dominus ad eos per manum* Moysi: Ideo in lib. Exodi praescripsit Deus (3): *Portabit Aaron nomina filiorum Israel in Rationali judicii* (voces scriptas) *Doctrinam et Veritatem* (Vrim et Fummin), *quae erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino; et gestabit judicium filiorum Israël in pectore suo, in conspectu Domini semper.*» Qua de re vide *Malachiam* (4), et *Ecclesiasticum*, (5) et li. 2 *Paralipomenon* (6). Et in Nova Lege notum est, Apostolis et eorum successoribus traditam docendi potestatem (7): *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae*. Unde haec tessera, qua Christiani dignoscuntur (8): «*Qui novit Deum audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos: in*

---

(1) Dan. VI. et 2.° Parat. XX, 3.—(2) Levit. X, 10.—(3) XXVIII, 29, 30.—(4) C. II, 7.—(5) C. XLV, 12.—(6) C. XIX, w. 8 et. seq.—(7) Matth. XXVIII, 19.—(8) 1.ª Joan. IV. 6.

hoc cognoscimus Spiritum veritatis, et spiritum erroris.» Quapropter, magnus ille Conciliorum Pater sanctus (1) Osius scribebat ad imperatorem Constantium: «Ne te rebus immisceas ecclesiasticis; »nec nobis his de rebus praecepta mandes: sed a nobis potius haec »ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis eclesiastica concredi»dit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit Deo ordinanti »repugnat; ita metue, ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni »criminis reus fias. *Reddite, scriptum est, quae sunt Caesaris Cae»sari, et quae sunt Dei Deo;* Neque igitur terrae nobis imperare li»cet, neque tu, Imperator, adolendi habes potestatem.» Quam duplicem potestatem in antiquissimis regnis, ex. gr. Aegyptiorum, fuisse quoquam distinctam, et civilia ad reges, religiosa ad sacerdotes spectasse, monumenta tradunt historica.

§ V.

Jura Religionis tueri debet societas.

Dico V. Tenentur societatis moderatores ea religionis jura et officia tueri, quae lege naturali, vel potestate legitima sive divina, sive humana, sunt constituta; ideoque adversa omnia repellere et proscribere. Est haec certa et catholica doctrina.

24. Prob. 1.° Concil. Trident. (2) Principes muneris sui admonuit: «Superest nunc, ut Principes omnes, quod facit, in Domino »moneat, ad operam suam ita praestandam, ut, quae ab ea (Sancta »Synodo) decreta sunt, ab haereticis depravari, aut violari non »permittant; sed ab his, et omnibus, devote recipiantur et fideliter »observentur.»

Pius Pp. IX (3) Illorum damnat errorem, qui «contra sacrarum »Litterarum, Ecclesiae, Sanctorum Patrum doctrinam, asserere non »dubitant, optimam esse contiditionem societatis, in qua Imperio »non agnoscitur officium coërcendi sancitis poenis violatores ca»tholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet.» Ad episcopos autem omnes hortatur: «Atque etiam ne omittatis docere re»giam potestatem non ad solum mundi regimen, sed maxime ad »Ecclesiae praesidium esse collatam.»

Id muneris sui officium cum agnovissent Imperator Marcianus et Pulcheria, plaudentes confirmarunt PP. Syn. Chalced. In oratione enim ad Concilium habita dixit Imperator; se cum

---

(1) Macedae, S. J. opus: *Osius vere Osius.*—(2) Sess. XXV. De Recip. et observ. Decretis. C. *Tanta fuit.*—(3) Encycl. *Quanta cura.*

Pulcheria eo venisse «ad fidem roborandam, non ad potentiam »ostendendam, sive exercendam, exemplo Constantini; ut veritate »inventa, multitudo non ultra pravis doctrinis attracta discordet.» Quibus auditis, Episcopi plaudentes Augusto et Augustae acclamarunt.

25. Probr. 2.° Deus promeritas regi Josaphat (1) indulsit poenas, eo quod populum ad legi obsequendum adigebat; per prophetam enim ei dixit: *Iram quidem Dei merebaris: sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda, et praeparaveris cor tuum ut requireres Dominum Deum Patrum tuorum.* Laudat quoque Scriptura regem Asa, qui statuit (2): *Si quis non quaesierit Dominum Deum Israel, moriatur a minimo usque ad maximum, a viro usque ad mulierem.* Exinde evenit, ut *omnes qui erant in Juda in tota voluntate quaesierunt Deum et invenerunt, praestititque eis Dominus requiem per circuitum.* Unde meruit rex laudari a Spiritu S. *Cor Asa erat perfectum cunctis diebus ejus.* Item: Jehu (3) familiam impii regis Achab delevit, sacerdotes Baal occidit et statuam idoli combusit: *Dixit autem Dominus ad Jehu: Quia studiose egisti quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et omnia quae erant in corde meo fecisti: filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Verum his similia passim in SS. Litteris leguntur.

26. 3.° PP. Concilii Chalcedonensis, unanimi et consensu et praeconio, uti supra innuebamus, Pulcheriam imperatricem collaudarunt, et expultricem haereticorum, piam, orthodoxam consalutarunt, nec non et *Marcianum* tunc Imperatorem: quod, scilicet, haereticos coërcuissent, et fidem firmiter propugnassent. Pariter S. Leo iisdem plurimum, totius Ecclesiae nomine, gratulabatur, quod de Nestoriana haeresi primum, et demum de Eutichetis errore victoriam reportassent. (Vide Acta conc. Gen. Ephes. et Chalcedon.)

S. *Augustinus* (epist. 48 ad Vincent.) docet; Donatistas et alios in haeresi sordescentes, non tantum verbo Dei instruendos, sed et vi poenisque cogendos esse ad ortodoxam fidem, eo quod poenae sint illis occasio sapiendi; idque probat, tum sacris scripturis, tum experientia multorum, qui poenis reducti sunt ad sanam fidem. Inde concludit: «His omnibus harum legum terror, quibus pro»mulgandis reges serviunt Domino in timore, ita profuit, ut nunc »alii dicant: jam hoc volebamus, sed Deo gratias, qui nobis occa»sionem praebuit jam faciendi, et dilationum morulas amputavit.»

27. Probr. 4.° a) Tenetur societas, ideoque et princeps personam

(1) 2, Paral.—(2) 2, Paral. XV, 13.—(3) l. 4 Reg. X.

ejus agens, obsequium et cultum Deo exhibere. Atqui Dei opponitur obsequio, quod societatis quodcumque membrum jura laedat ac officia religionis; ergo societas, ejusdemque moderatores, tueri illa tenentur.

Maj. supra constat (n. 13); *minor* aperta est.

b) Debent societatis moderatores mala quaevis ejusdem, prout valeant, avertere. Sed magnum affert societati detrimentum, si religionis jura et officia a civibus contemnantur, vel parvi fiant (ibid.): ergo tenentur societatis moderatores jura religionis...

c) Qui erga Deum contemnit officia ac munera, multo facilius versus societatem et alios cives jura laedet ac officia: ergo tamquam reipublicae pestis impii omnes ab illa eradicandi sunt.

28. Obj. Societatis moderator ad externum tantum servandum ordinem est constitutus. Sed in Deum peccata ad internum spectant conscientiae forum: ergo coërcendi minime sunt qui religionis officia praetergrediuntur.

Resp. dist. *min.* In Deum peccata, quae solum intra mentem admittuntur, ad forum pertinent conscientiae; conc. Si in lucem prodeant; nego.

§ VI.

Quid et quotuplex sit Religio pressius definitur.

29. Religionis genuinum conceptum ponere necessum est, quae, ut omnes consentiunt, habitudinem aliquam hominum in Deum innuit. «Religio, ajebat Cicero (1), est quae superioris cujusdam »Naturae, quam divinam vocant, curam caeremoniamque affert.» Si *objective* quid sit religio perquiramus, est cultus ipse, seu honoratio Dei. Inde intelligetur, duplici modo posse res aliquas religionis nomine appellari: *materialiter* vel *formaliter*, ut in scholis loquimur. Scilicet, si perpensa tantum rei cujusvis aptitudine ut per eam Deo honor deferatur, religio res illa dicatur, *materialiter* voce utimur. Sic Jacobus (2) ait: *Religio munda et immaculata haec est. visitare pupillos...;* Jurisconsulti, pari sensu, juramento vocem istam religionis dedere: etenim, opera misericordiae, juramenta, et caetera, subjectum et materia religionis esse valent. Quod si rei cujusvis usus, quo in Dei refertur obsequium, religio esse dicatur; juxta formalem significationem appellatio tunc adhibetur: juxta hunc sensum apte et apposite Cicero religionem supra describit dicens; complexum illum esse caeremoniarum quibus superioris divinaeque naturae excellentia colitur.

---

(1) L. 2, de Invent.—(2) Ep. c. I, 27.

Potest quoque Religio *subjective* spectari; et innuit mentis habitudinem erga Deum, qua recte animus se habet et afficitur circa illa quae ad Dei cultum pertinent. Juxta ejusmodi sensum dici homines solent *religiosi*, seu religionem profiteri; uti Cornelius ille, romanus centurio (1). Pari modo, cum plures in eodem statu, seu habitudinum complexu, ad Deum colendum consentiunt, solet status ille *Religio* dici. Sic dicitur Religio Judaica, Christiana, Mahumetica, etc.

30. Quod ad partitionem Religionis pertinet, imprimis divisionem illam religionis in *veram et falsam*, si scienter loqui oportet et juxta rei proprietatem, probare non possumus: nihil enim nisi in suas partes partiri potest, uti corpus in solidum et liquidum, non autem in rem et umbram; corporis enim umbra non est corpus. Judicia quidem hominum circa religionem recte divides in vera et falsa: cum autem Deus nullo vitio, nullove errore coli possit, religio alia esse non potest, nisi vera et honesta: quodcumque autem, vel vitiosum vel erroneum, umbram aliquam religionis simulet, *superstitionem* propio nomine apposite appellabis, non autem religionem (2).

31. Genuina ergo retenta religionis idea, eam divides in *naturalem* et *supernaturalem*. Religio naturalis illa foret, quam solius rationis dictamen gigneret; supernaturalis autem, quae a superno revelationis lumine enascitur. Ejusmodi religionis perfectio, supernaturalitas nempe, ex triplici respectu, seu fonte, enasci potest: ab excellentia Dei cui impenditur cultus; a materia, seu signo, quod ad illam significandam adhibetur; et ab honestate actus quam voluntas attingit. Religio enim naturalis respicit divinam ordinis naturalis excellentiam, quam nuda proinde potest ratio apprehendere: è contra religio supernaturalis. Item, signum cultus, seu honoris, quod naturalis adhibet religio, est naturale; puta adolere incensum, occidere victimam: verum accidere potest ejusmodi signum rem aliquam esse supernaturalem; ut actus fidei, spei, charitatis, sacrificium eucharisticum, etc.; quo ex capite erit quoque religionis actus *supernaturalis*, si proportionata voluntas tale signum attingat. Denique illa quae in Deo colendo elucet honestas, apprehenditur a naturali religione juxta naturalem honesti normam; a supernaturalis religio ad altiorem honestatis regulam respicit.

32. Verumtamen, cum supra dictum fuerit, religionem in stricto vel lato sensu dici posse; ea, quam nunc exposuimus, inter naturalem et supernaturalem differentia ad stricte dictam respicit

(1) Act. X, 2.—(2) Suarez, l. 1, de *Virt. Relig.*, c. 2, n. 4.

religionem: quatenus autem religionem dicimus, complexum omnium erga Deum officiorum, illa dicenda erit naturalis religio, quae non nisi officia illa amplectitur, quae jus naturale constituit: quod si alia adjiciat officia ab altiori orta origine, supernaturalis, quodammodo saltem, religio dicenda erit. Quo ex capite, tum primi hominis religio, tum judaica, tum christiana, supernaturales quoque dicendae sunt: plurima quippe mandata, praeter naturalem legem, complectuntur.

33. Partiuntur etiam aliqui religionem in *positivam* et *indeterminatam*, seu vagam. Religio *positiva* certa proponit dogmata credenda, et officia exequenda, quibus Deo debitus impendatur honor: *vaga* autem religio quidlibet pro libitu permittit, ideoque ad usum impiorum, quorum nulla est religio, nomen obtinuit.

ARTICULUS II.

Idea et natura divinae revelationis.

§ I.

Quid sit revelatio universim elucidatur.

34. Quaevis rei occultae, quatenus occultae, manifestatio potest revelatio dici: at cum id multimode fieri possit, proprie dicta *revelatio* specialem sibi manifestandi vindicat modum. In primis indicat revelatio actionem aliquam illius qui revelat, terminatam *ultimo* ad rei revelatae notitiam, *proxime* autem ad medium aliquod ex quo notitia gignitur. Oritur autem notitia, intrinsecus perspecta, cum posita sit in transcendentali quodam respectu, ex duplici elemento seu termino; nempe, ex potentia cognoscitiva apte disposita, seu completa; et ex objecto convenienter proposito. Quicumque igitur, quovis modo, ad haec cooperatur, sive ut compleatur cognoscendi vis, sive ut proponatur huic objectum, revelare quodammodo dici poterit. Sic ille qui infirmos sanat oculos, objecta revelat quae aeger videre nequibat: sic pariter tabulam revelat depictam qui lumen in eam immittit, vel quo operiebatur aufert velamen. Insuper, objecti cujusvis notitia vel immediata est, vel mediata: prioris exemplum habes in primorum principiorum, seu axiomatum, cognitione; posterioris autem in conclusionibus quae ex illis fluunt. Ad hanc mediatam cognoscendi viam pertinet notitia, quam ex aliorum haurimus testimonio: etenim cum aliquem scimus et veracem existere, et rei quam testatur minime ignarum, certam ab eodem notitiam libenter accipimus. En

igitur quid *revelationis divinae* nomine, sensu stricto et proprio, innuitur: Testimonium Dei ut nobis objective propositum.

Notes tamen oportet, ad hanc non esse referenda disquisitionem subsidia illa quibus mens nostra a Deo fulcitur, ut assensum praebeat salutarem revelatis veritatibus; non enim de revelatione *subjective* perpensa, sed *objective* intellecta inquirimus: cetera in disquisitione de Fide, et de Gratia elucidantur.

§ II.

Revelationis fit analysis.

35. Ut clarior revelationis evadat conceptus, brevis ejusdem instituenda analysis. Cognitio mediata, quae interposito testimonio innititur, fides appellatur: fides autem, seu assensus testimonio alterius innixus, firmitatem, seu certitudinim haurit a testantis auctoritate, id est, scientia et veracitate; igitur in divina revelatione primum nobilioremque locum, ad scopum quo illa fertur assequendum, habet ipse Deus, cui omnia ipsius attributa identificantur.

Deinde assensus, auctoritate attestantis innixus, ad aliquod objectum, sub veri ratione, terminatur: jam vero elucet objecti ejusmodi veritas, ut supponimus, testantis auctoritate; ergo dum mens veritati assentitur revelatae, assensum simul praebat auctoritati attestantis, id est, veritati scientiae et locutionis personae revelantis; ut enim fert philosophicum effatum: «propter quod unumquodque tale, et illud magis.» Unde ait S. Thomas (1), fidem Deo revelanti datam «infallibili veritati inniti;» et rursus ait: «ipsi veritati divinae fides innititur tamquam medio.» Proinde secundum locum in conceptu revelationis veritas illa, seu objectum, habet, quod a revelante proponitur; quem ordinem sic lucide exponit (ibid.) S. Th. «Cujuslibet agnoscitivi habitus objectum duo habet, scilicet, id quod materialiter cognoscitur, quod est sicut materiale objectum, et id per quod cognoscitur, quod est formalis ratio objecti; sicut in scientia geometriae, materialiter scita sunt conclusiones; formalis vero ratio sciendi, sunt media demonstrationis, per quae conclusiones cognoscuntur. Sic igitur in fide si consideremus formalem rationem objecti, nihil est aliud quam veritas prima. Unde ipsi veritati divinae fides innititur tamquam medio.»

---

(1) 1. P. q. 1, a. 8 et 2, 2, q. 1, a. 1.

At praeter haec duo, aliud est in revelatione perpendendum elementum, scilicet, conjunctio veritatis divinae, seu elementi *formalis*, cum *materiali*, id est, veritate revelata. Cum enim haec elucescat et veri rationem induat per illam, tamquam *medium formale*, necessum est utramque in unum coalescere objectum, seu conjunctim menti proponi. Quaerimus ergo: ejusmodi conjunctio a) in quo reponitur? b) quomodo efficitur?

§ III.

Conjunctio summae veritatis cum objecto revelato.

36. a) **Dico VI.** Conjunctio ista veritatis primae cum secunda, seu formalis objecti cum materiali, sita est in verbo seu testimonio Dei.

Id clare elucet in primis ex eo quod habet. Joannes (1): *Qui credit in Filium Dei habet testimonium Dei in se. Qui non credit Filio, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium quod testificatus est Deus de Filio suo.* Ex his patet, quod Deus veritas cognitionem efficit Dei Filii per suum testimonium, ita ut, nolens credere Filio neget, ipso facto, Deum Veritatem; facit enim illum mendacem.

Eamdem exponit Paulus doctrinam (2): *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed sicut est vere,* verbum Dei, *qui operatur in vobis qui credidistis.*

Igitur eatenus Dei erat doctrina illa ab Apostolo tradita, quatenus verbum ipsum, quo tradebatur, Dei ipsius erat verbum, quo Deus audiebatur.

Ad rem S. Thomas (3): «Licet locus ab auctoritate, quae fun»datur super ratione humana, sit infirmissimus; locus tamen ab »auctoritate, quae fundatur super revelatione divina, est efficacis»simus.» Auctoritas igitur divina, seu Deus veritas, ex eo habet, ut ei credamus efficaciam, quod accedat illi revelatio, seu verbum Dei.

37. **Dico VII.** Conjunctio ista formae cum materia, seu, Dei verbum ac testimonium, quo Deus veritas, id est, Divina auctoritas, actuat et informat, ac inde verum exhibet objectum revelatum, pertinet ad formalem rationem objecti.

1.° Et sane, ipsa revelatio divina, seu testificatio, est *fundamentum* credendi et amplectendi veritatem revelatam, ut ait (ibid.)

---

(1) 1, Jo. V, 10. — (2) 1, Thes. II, 13.—(3) P. 1, q. 1, a. 8 ad 2.

S. Th. et alibi saepe (1). Et Joannes, supra, ait; qui credit, Dei testimonium habet et credit, è contra, qui non credit veritati revelatae, neque Dei testimonio credit et mendacem Deum facit: ergo si suscipitur testimonium ut verum, eo ipso quod veritas revelata creditur; ac rejicitur testimonium ut mendax, cum non creditur id quod revelatur; ipsum testimonium est credendi ratio et fundamentum.

2.° Deinde, in composito id habet munus formae, quod se habet uti *actus* necessarius: atqui in divina revelatione verbum, seu testificatio Dei, se habet uti necessarius actus; est enim ipsa formalis *actuatio* objecti per Deum Veritatem, seu divinam auctoritatem: quia namque mentiri Deus non potest; ejusdem testificatio essentialiter vera, id est, divinae conformis veritati, existit, veramque exhibet rem testificatam: et inde mens huic assentiendo sub hac ratione veri, et veritati assentitur testimonii: consequenter, si assentitur, *habet testimonium Dei* in se; sin vero, *non credit in testimonium*, quod testificatus est Deus, uti (supra, 36) dictum est.

38. Dices 1.° Si assensus veritati revelatae praebeatur propter aliquam *formalem* rationem, fides caeca non erit. Resp. Dist. Non erit caeca, id est, non excludet quamlibet rationem formalem credendi, etiam auctoritatem Dei revelantis; concedo assertum, et nego suppositum; id est, in eo reponi fidei caecitatem: si praebeatur assensus ex formali ratione *naturali, humana*, seu aliunde suadente veritatem; conc. In eo quidem reponitur vera caecitas fidei, quod ratione non nitatur *humana*, seu *naturali*.

Dices 2.° Nequit, saltem prudenter, assensus ultra objecti formalis vim protendi. Sed assensus veritatibus revelatis adhibitus potest, ex imperio voluntatis, firmior esse quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium (2): ergo nulla datur formalis ratio ad illum movens assensum.

Resp. dist. *min.* Quam mereatur pondus rationum externe impellentium, seu motiva credibilitatis: conc. Quam mereatur pondus rationis *formalis*: nego *min.* et suppositum: non enim de ratione formali fidei ibi agitur; in propositione, scilicet, ab Innocentio XI proscripta.

§ IV.

De actione ipsa divinae testificationis.

39. *b*) Quomodo efficitur testificatio, id est, formalis et materialis objecti conjunctio? Cum perfi-

(1) 2, 2, q. 5, a. 3.—(2) Ex prop. 19 ab Innoc. XI damnata.

ciatur ejusmodi conjunctio per Dei testimonium, seu verbum, in hoc enim stricte dicta revelatio reponitur (1); quo pacto *testificatio ista, verbum*, seu *revelandi actio* compleatur quaerimus. Qua de re ambigue loquuntur AA., quod sub iisdem vocibus diversos aliquando mente gerant conceptus. Duplicem ergo distinguunt revelationem, internam aliam, et aliam externam; vel, ut alii loquuntur, activam et passivam. Revelationem internam seu activam vocant illos divinos intellectus vel voluntatis actus, quibus revelatio externa seu passiva efficitur. Haec autem sita est in illis externis, id est, a Deo distinctis, signis, per quae manifestantur conceptus interni Dei et objecta quae revelantur; sive signa ista in vocibus aëreis, sive in scriptis characteribus, sive in cognitionibus menti infusis posita sint.

40. Ad explicandum igitur quomodo fiat revelatio, seu Dei verbum et testificatio, alii id quod praecipuum et formale est, putant in actibus Dei internis esse reponendum; id autem quod externum et passivum est, ajunt esse conditionem quamdam requisitam, ut interna revelatio apprehendantur. Sic ergo rem hanc concipiunt: dantur in Deo rei, quam revelare vult, conceptus; item, voluntas talem rem conceptam ostendendi; et insuper, ordinatio quaedam intellectualis, ut quidam putant, illius conceptus ad eos quibus efficitur revelatio: illa autem intellectualis ordinatio, a voluntate imperante exorta, producit signum aliquod ad extra, quo percipitur res ut revelata à Deo.

41. Duplex praecipue in hanc opinionem urget difficultas, quam minime explicant. Prima; quod in eo actu constituat verbum, seu formalem revelationem, quem neque audimus, neque videmus; nempe, in actu quodam intellectuali, quem *ordinationem* vocant: cum dicat Apostolus; *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*. Secunda: cum verbum, seu locutio, possit *secundum se* verum esse vel falsum, id est, menti esse conforme vel difforme, ¿quo pacto ordinatio intellectualis, actus intellectus, potest in falsum, seu contra proprium ferri objectum; et ipsi intellectui difformis existere? Jure igitur, ut mihi videtur, hanc explodit opinionem Lugo (2) cum plurimis aliis.

42. Unde alii AA. in eo ponunt verbum, seu revelationem formalem, quod *externum* est, *passivum* et in nobis receptum. Quid autem istud erit? Si Canum audiamus et alios Thomistarum, id nihil erit aliud, nisi ipse habitus vel actus fidei infusus. «Hoc tamen »communiter rejicitur, et merito, ait Lugo (3); quia ille qui credit »habet pro motivo ex parte objecti revelationem et testificationem

(1) Vide supra, n. 34.—(2) De fide, D. I, n. 199.—(3) Ibid. n. 194.

»Dei ad credendum; non tamen habet pro objecto ipsum fidei habi»tum vel actum, nec allicitur aut movetur objective ab ipsis, ut »constat: non enim experimur habitum, nec habitus est objectum, »sed virtus quaedam ex parte potentiae ad eliciendum assensum.»

43. **Dico VIII.** Igitur in eo plane huic sententiae assentimur, verbum Dei et formalem revelationem aliquid esse externum Deo et passivum. Id sane, aperte indicat Paulus supra (1): *Cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei.* Nec non ad Romanos (2): *Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Et S. Th. ait (3): «Omnibus articulis »fidei inhaeret fides propter unum medium, scilicet propter verita»tem primam *propositam nobis* in Scripturis secundum doctrinam »Ecclesiae intelligentis sane. Et ideo qui ab hoc medio decidit, to»taliter fide caret.» Cur autem fide caret? Quia recedit ab *objecto formali* fidei, ut in corpore explicat articuli. Proinde ipsum verbum externum pertinet ad formalem revelationem. Et quidem, interni et activi Dei actus, sive intellectus, sive voluntatis, nihil nobis dicunt vel revelant, sed sunt via et conatus, ac principium loquendi et revelandi: ipsum ergo verbum, ipsa formalis revelatio, aliquid externum et nobis propositum esse debet, adeoque a Deo distinctum.

ARTICULUS III.

De cognitione revelationis.

44. Superest denique ut paucis quo pacto innotescere possit Dei verbum, seu testificatio, dicamus. Ad hujus rei intelligentiam notandum. 1.°: posse objectum aliquod duplici modo nobis elucere: immediate, vel mediate: sic, qui Romam vidit, immediate ejus novit existentiam; qui autem non vidit, mediate tantum; utraque tamen, quovis modo habita, notitia certo constare potest.

2.°: Sive immediate, sive mediate nobis objectum aliquod proponatur, in triplici claritatis gradu menti objici potest: vel ita, ut dignum sit assensus certi et *evidentis:* et ejusmodi veritates dicuntur evidentes, quia argumenta seu motiva assentiendi sunt evidentia; puta, principia plurima, et theorometa philosophica et mathematica, etc.: vel ita, ut dignum sit propositum objectum assensus certi, licet obscuri; et dicuntur veritates istae moraliter certae; puta, quod non me fallere intendunt qui dicunt existere Americas, Romam, Imperium Sinense; quod non consenserunt cives omnes ut

(1) N. 33.—(2) X, 17.—(3) 2, 2, q. 8, a. 3, ad 2.

me occidant, etc. Patet, eos amentes reputari qui hisce moraliter certis veritatibus assensum recusant certum, quemadmodum illos qui prima principia in dubium vertunt. Vel, denique, sic veritas aliqua objicitur, ut assensu *probabili* digna haberi debeat; nempe, quando argumenta *probabiliter* suadent objectum. Sic tribunalia duobus vel tribus fidem praebent testibus; viator prudenter ducitur et viam prosequitur, uno vel altero regionis cive viam indicante; libenter fratres nostros, parentesque amplectimur et agnoscimus, etc., etc.

3.° Notandum etiam, argumenta veritates revelatas suadentia, non eo tendere *directe* et principaliter ut ipsas suadeant et ostendant veritates, sed ut suadeant directe revelationem et illas consequenter; vult enim Deus ut ejus testimonio honorem et fidem praebeamus. Vide S. Thomam de hac re (1).

§ I.

Quod certo revelatio dignosci potest.

46. **Dico IX.** Dantur argumenta moraliter certa, quae morali evidentia, seu certitudine, suadere possunt, an veritates aliquae sint revelatae a Deo: proinde Dei verbum seu testimonium innotescere certo potest, adeoque et conjunctio veritatis primae cum secunda, objecti formalis cum materiale; unde possibilis est revelatio.

Prob. Circa factum natura sua cognoscibile et objective connexum cum principiis evidenter vel moraliter certis, dari argumenta possunt moraliter certa illud suadentia. Sed a Deo veritatem aliquam revelari quoddam est factum natura sua cognoscibile, et connexum, si fiat, cum principiis certis: ergo. *Major* ex propriis elucet terminis: cur enim dignoscimus factum istud; scilicet, hunc vel illum hominem loqui ac testificari? Quia verbum seu loquela est factum cognoscibile, estque etiam certo dignoscibile quod verbum ab hoc vel illo procedat homine, et quod effectus suum accipit esse a causa, et inde, id quod verbo significatur a loquenti significari.

Min. prob. Ideo loquela et testificatio hominis cognosci potest, quia characteres peculiares cum sua causa connexos induit et exhibet. Sed Dei verbum et testificatio habet quoque proprios characteres, eosque exhibere valet; ergo.

Minor, ut videtur, nequit in dubium ab ullo revocari. a) In pri-

(1) 2, 2, q. 5, a. 2.

mis Deus praefulget characteribus et attributis, puta; sapientia, potentia, sanctitate, quibus infinite a quocumque alio ente discrepat: poterit ergo Dei testificatio cum aliquo vel pluribus connecti attributis, indeque dignosci. b) Dependentia in esse reali cujuscumque effectus a sua causa, est intrinsece et transcendentaliter connexa cum tali causa, determinata et individua: igitur quivis Dei effectus, sive in mente efficiatur eidem intus loquendo, sive in sensibus extrinsecus aliquid indicando, habet suum transcendentalem ad Deum respectum. Atqui potest Deus hujusce respectus speciem seu notitiam mente infundere; ergo Dei verbum ac testificatio nullatenus suis caret characteribus ut dignosci valeat morali saltem certitudine, seu evidentia.

46. **Dico X.** Dantur argumenta evidentia quibus etiam evidenter innotescere potest. Deum revelare aliquam veritatem.

Nota. Ut diximus, aliud est objectum evidens, id est, dignum assensu evidenti; aliud vero esse credibile, id est, dignum creditu, seu assensu obscuro. Igitur credibilitas poterit esse evidens, quamvis res credita obscura ac inevidens fuerit: sic credibilia certo et evidenter sunt facta plurima historica, non tamen evidentia. Consentiunt Auctores omnes, evidenter credibilem, seu dignam firmissimo assensu, posse (imo, et re ipsa esse) revelationem fieri: nunc adjicimus, posse, quoque esse evidentem; utrum autem talis re ipsa existat, ut plures graves sentiunt AA., non est hic disserendi locus.

47. Prob. 1.° Apostoli et ceteri discipuli, qui Christum et viderunt et audiverunt, poterant sane evidenter dignoscere utrum quidquam revelaret, seu testaretur: *Et vidimus et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam* (1). Nos ergo per Joannis testimonium (moraliter certum sane nobis, evidens autem discipulis ipsius) Christi verbum ac revelationem dignoscimus: ipse autem ait: *Quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum Patre, et cum Filio ejus Jesu Christo.* Sic et Paulus ab ipso Domino mysterium didicit Eucharistiae (2), imo et Evangelium (3): evidens ergo Dei revelatio dari potest.

48. Prob. 2.° S. Thomas ait (4): «Si aliquis propheta praenun»tiaret in sermone Domini aliquid futurum, et adhiberet signum »mortuum suscitando, ex hoc signo convinceretur intellectus vi»dentis, ut cognosceret manifeste hoc dici a Deo, qui non mentitur;

---

(1) I.ª Jo. I, 2, 3.—(2) 1. Cor. XI, 23.—(3) Gal. I, 11, 12.—(4) 2, 2, q. 5, a, 2.

»licet illud futurum, quod praedicitur, *in se non esset evidens*. Unde »per hoc ratio fidei non tolleretur.» Inde docet S. Th. hoc modo daemones credere: «Vident enim multa manifesta indicia, ex qui»bus percipiunt doctrinam Ecclesiae a Deo esse.» Deinde subjicit: «Hoc ipsum daemonibus displicet quod, signa fidei sunt tam evi»dentia, ut per ea credere compellantur; et ideo in nullo malitia eo»rum minuitur per hoc quod credunt.»

49. 3.° Ex ratione supra (n. 45) posita, elucet, posse certitudine saltem morali dignosci, utrum Deus quidquam revelaverit; quo posito arguimus. Ille qui certo moraliter novit Deum loqui et revelare, potest ac debet certo credere propter Dei testimonium, et poterit Deus ipse ad hunc assensum eliciendum supernaturaliter cooperari. Atqui assensus alicujus veritatis propter Dei verbum elicitus, et cum Dei supernaturali cooperatione, habet transcendentalem ordinem ad Deum loquentem: ergo quicumque evidenter noverit consensum illum, et dignoscet evidenter a Deo fuisse veritatem illam revelatam. Subs. Atqui nihil repugnat quominus consensus ille, utpote cognoscibile verum, menti alicui a Deo evidenter manifestetur: ergo Deum veritatem aliquam revelasse, potest evidenti argumento dignosci.

Unde ait Lugo (1), quod hanc nostram propositionem, «adver»sus Bannez, qui id negavit, docet communis sententia; Cajetanus, »Durand., Carthus., Bassolis, Aragon, Alphon. Mendoza; videatur »Suarez, ubi affert plures alios; Vazquez, Valentia, Salas. Et proba»tur facile, quia, etc.»

50. Confir. Qui evidenter cognoscit actum absoluta et infallibili certitudine cum objecti veritate connexum, dignoscit etiam evidenter objecti veritatem. Atqui fidei actus est eo modo connexus cum veritate objecti, id est, divina revelatione: ergo videns fidei actum, et Dei revelationem evidenter noscit.

Min. ex Trident. (2) constat; nec non ex SS. PP. quorum doctrinam exhibet S. Thomas dicens (3): «Quamquam sapientia, scien»tia et intellectus respectu nostri certiores sint ipsa Fide; secundum »se tamen, cum fides primae innitatur veritati, ea est omnium virtu»tum intellectualium certissima.» Unde quemadmodum evidentiam haberet scitae veritatis, qui actum sciendi evidenter nosset; sunt enim intrinsecus et absolute haec connexa; a pari, qui intrinsecus actum fidei videret, et existere revelationem videret.

51. Dices: Actus fidei est cognitio obscura revelationis Dei; ergo licet evidenter et intuitive cognoscatur, nequit revelationis exis-

---

(1) De fide, disp. 2, sec. 1, n. 1.—(2) Sess. 6, can. 16.—(3) 2, 2, q. 4, a. 8.

tentia evidenter cognosci. Permisso *ant.* Resp. cum Lugo: «actum »fidei esse obscurum in genere causae formalis, esse vero clarum »(vel saltem posse) in ratione medii cogniti: hoc est, ipsum actum »fidei per suam naturam esse talem, ut subjecto, seu intellectui, cui »inhaeret, non tribuat alium effectum formalem, nisi obscure inte»lligentis: cum hoc tamen stat, quod per suam entitatem superna»turalem exigat essentialiter non produci, nisi quando praecedit »vera revelatio Dei.» Propterea, evidenter percepta illius actus natura, eadem consequenter elucet evidentia, et esse ipsius objectum revelatum.

§ III.

Synthesis eorum quae in hoc capite dicta sunt, adjuncta de fidei assensu analysi.

Juvabit prae oculis quae diximus ponere, et nonnulla colligere de natura actus fidei (ceteris ad alium locum remissis) ad eorum quae dicenda sunt pleniorem intelligentiam.

52. In divina revelatione veritas aliqua proponitur credenda, quae objectum materiale assensus revelationi praestiti appellatur. Item, auctoritas Dei, simul cum objecto materiali, debet menti objici; scilicet, quod Deus sit veritas in cognoscendo et in dicendo: aliter enim inanis foret Dei revelatio ad veritatem propositam suadendam. Rursus, opus est quod ipsum Dei verbum, seu testimonium, seu revelandi actum mens percipiat; ut planum, apertumque patet: quid enim potest Dei praestare auctoritas, si nihil loquatur? vel ejus quid conferet testimonium, nisi audiatur? Ideo, tum Dei auctoritas, tum testificatio, objectum dicuntur *formale*, quia ab iis objectum revelatum, uti actu verum, seu veritate informatum, elucet.

53. His positis, pauca de hisce tribus, quae menti debent tamquam vera objici, dicamus; nempe, a) de objecto materiali, puta; *Tu es Christus Filius Dei vivi:* b) de revelatione seu Dei testimonio, puta: *Pater meus revelavit tibi:* c) de Dei auctoritate; *Sermo tuus veritas est* (1).

a) Duplici modo veritas objectiva praefulget menti, et eam haec amplectitur; vel ut consideratur objectum in se tantum ac praecisive, vel quatenus cum alia connexum veritate: si priori modo, idem prorsus erit objectum materiale intellectus, et formale; si autem secundo praefulget modo, tunc aliud erit formale objectum, aliud

(1) Joan. XVII, 17, Rom. III, 4.

vero materiale. Ubi autem objectum uti verum percipitur ex connexione cum alia veritate; cum possit varia et multiplex objici connexio, puta; ad hoc vel illud rationis argumentum, ad humanum vel divinum testimonium; inde fit, quod diversam induat mentis assensus speciem, prout unum vel aliud formale attingit objectum. Hinc ajebant cives illi ad mulierem Samaritanam: *Jam non propter tuam loquelam credimus.* Scilicet, primum Christum putabant esse Messiam propter mulieris testimonium; deinde autem propter ipsius Christi opera et doctrinam: et Thomae Ap. dictum est: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt et crediderunt.*

Ex his facile intelligitur, non sat esse veritati revelatae assensum *quomodolibet* adhibere, ut praebeatur Dei auctoritati mentis, seu fidei, obsequium; sed opus esse illam ab intellectu amplecti quatenus connexione cum summa veritate praefulget (1).

54. b) Cum Dei testimonium saepe non sit evidens, saltem per se et inmediate, sed moraliter tantum certum per credibilitatis motiva, puta, miracula, vel alia cum Deo connexa signa (n. 45); hinc ad veritatem revelationis certe dignoscendam, necessum est signa illa, quibus elucet, agnoscere. Quo pacto autem ejusmodi factae revelationis signa, seu credibilitatis motiva, dignoscibilia sint, et qua certitudine; ex dictis supra (n. 44) intelligetur,

Dico XI. Revelationem debere esse certam, adeoque non sat esse probabilem aliquam notitiam eorum signorum habere, ut quod debetur auctoritati Dei revelantis obsequium exhibeamus.

1.° Id primum constat ex Prop. 21 ab Innoc. XI damnata. «Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia »solum probabili revelationis, imo cum formidine, quà quis formi»dat ne non sit locutus Deus» (2).

2.° Etenim, *Summae Veritati* summus et firmissimus debetur mentis assensus, *Destruentes*, ait Ap. (3), *et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi;* ut igitur tale Deo revelanti impendamus obsequium, indubia debent revelationis esse signa, ita ut evidens sit nos debere ea certitudine Deo revelanti credere.

55. Dices: signa divinae revelationis, etiamsi fuerint physice vel moraliter certa, non inde tamen evidentem reddunt revelationis existentiam, sed evidenter tantum credibilem, seu assensu certo et obscuro dignam. Atqui firmiori certitudine assentimur veritatibus

---

(1) Supra, n. 36, 37.— (2) Vide prop. 21. ab Innoc. XI damnatum.— (3) 2.ª Cor. X, 5.

evidentibus quam obscuris: ergo divinae revelationi non debetur summus et firmissimus assensus.

Resp. Dist. *maj.* Reddunt evidenter credibilem quatenus signa sunt *conditio objectiva* ut appareat revelatio et possit credi; conc. Signa illa reddunt revelationem evidenter credibilem, quasi illa debeant esse *motivum formale* credendi; nego. *maj.* Dein dist. *min.* Firmiori certitudine *objectiva*, seu orta ex motivo formali; nego: certitudine *subjectiva;* subd. Quatenus certitudo subjectiva sita est in connexione actus seu assensus cum objecto; nego; quatenus consistit in exclusione dubii; conc. vel iterum subdist. Quoad exclusionem dubii ortam ex claritate actus: conc. Quoad exclusionem dubii extrinsece venientem ab imperio voluntatis; nego *min.*

56. Sciendum igitur, signa revelationis divinae adhiberi, ut, cognita revelationis existentia, eidem debitum mentis tribuamus obsequium, juxta ejusdem revelationis excellentiam, tamquam motivum formale talis obsequii; sicut proponuntur argumenta divinae bonitatis, ut hanc pro dignitate ipsius amemus, non vero pro merito argumentorum tantum. Igitur non ea sola est certitudo perpendenda, in assensu circa revelationem, quae a claritate gignitur signorum; sed praecipue illa quae oritur ex formali objecto, é principio assensum eliciente, et a voluntate imperante.

Claritas assensus multiplex esse potest, et inde multiplex etiam per illam dubitationis exclusio. Assensus ex rationibus probabilibus non excludit prudentem errandi formidinem: assensus ex certis, sed subobscuris, rationibus, seu moraliter evidens, non impedit quidem dubium imprudens, sed prudens tantum: assensus metaphysice evidens neque cum imprudenti formi dinestare potest. Ex majori, nempe, vel minori rationum claritate mensuratur major vel minor judicii claritas et certitudo, seu dubii exclusio.

57. Proinde, si quis, revelationis cognita existentia, non eidem assentiatur nisi ex formali motivo signorum credibilitatis, vel humanae auctoritatis; ejusmodi assensus commensurabitur claritati et certitudini talium motivorum: si autem assensum praebeat ex formali motivo divinae revelationis, et juxta dignitatem tanti motivi sibi certo praelucentis (sive certitudine morali sive metaphysica); tunc commensuratur judicii certitudo *intrinsece* quidem tali formali motivo, quod nequit unquam fallere; *extrinsece* autem imperio voluntatis summum mentis obsequium exigentis, nec non principio supernaturali ad assensum cooperanti; de quo alibi.

58. Dices: motivum istud revelationis divinae, nequit, in excludendo dubio, motivum metaphysicae evidentiae superare: excludit enim evidentia *omne* dubium, etiam imprudens.

Resp. Dist. Nequit superare *intensive*, seu quoad intensitatem

(utroque stante motivo) adhaesionis; conc. Non potest superare *extensive;* nego. Stante namque, forsan, revelationis motivo adversus evidentiam, adhaerebit illi mens, ex voluntatis imperio, *apparenti* evidentia repudiata; ut in Eucharistiae et Trinitatis mysteriis. Insuper principium supernaturale, de quo alias, quod subjective cum revelationis formali et objectivo motivo cooperatur, novum exhibet titulum *intrinsecae* certitudinis, seu connexionis actus cum veritate: proin major est *extensive*, certitudo revelatione innixa, quam quae in evidentia fundatur.

§ IV.

Gravis in hac re difficultas.

59. c). Diximus (1) revelationem auctoritate Dei commendari ut doctrinae assentiamur revelatae. Oportet igitur ut non tantum Dei agnoscamus auctoritatem, sed eidem quoque certum praebeamus assensum; nam propter illam et revelationi credimus et revelatam amplectimur veritatem; ut enim fert effatum: «propter quod unum »quodque tale, et illud magis.» Verum Dei auctoritas, nobis innotescit et lumine rationis, et revelatione: si igitur assentiamur divinae auctoritati propter *rationis evidentiam*, non debebitur divinae revelationi firmioris assensus obsequium quam primis rationis principiis, seu rationalibus argumentis; si autem propter revelationem auctoritati credimus, in circulo vitioso versari videmur; credimus enim auctoritati propter revelationem, et revelationi propter auctoritatem.

60. Nonnulli, volentes incommodam difficultatem, potius quam solvere, declinare, dixerunt; ad credendum revelatis non moveri intellectum ratione aliqua objectiva et immediata, etiam divinae auctoritatis vel revelationis; sed extrinseca tantum et mediata, scilicet, medio voluntatis imperio. Si quaeras ab his: cur credis Verbum esse incarnatum? respondent: credo, quia volo id credere; ex parte enim mentis nullam habeo rationem *assensus* motivam, seu suasivam. Si quaeras autem: cur vis id credere? Cum voluntas nonnisi a bono moveri queat, dicent: quia honestum est Deo talem veritatem loquenti credere; imo ad id obligamur. Ecce processum: intellectus assentitur veritati revelatae; sola voluntas illum movet ad hanc veritatem, scilicet, objectum ipsius, amplectendum: intellectus, suppositis motivis credibilitatis, apprehendit, et voluntati proponit, honestatem istam ac obligationem, quae ex intrinseca

(1) Supra, n. 52.

mentis creatae submissione ad auctoritatem divinam oritur. Haec sententia, quae Guillielmo Parisiensi auctori tribuitur, et communi Scholasticorum consensu cum S. Thoma fuerat rejecta, nuper suscitata fuit, adeoque ad trutinam revocanda.

61. **Dico XII.** Ut credat fide intellectus veritati revelatae, necessum est ut attingat assensus non solum rem revelatam, sed etiam revelationem et auctoritatem revelantis, id est divinam.

Prob. 1.° Quilibet actus, sive intellectus sive voluntatis, attingere objectum debet a quo specificatur: sed assensus fidei a revelatione et auctoritate Dei specificatur; ergo.

Maj. supponimus ex **tract.** de Act. humanis et de Virtutibus: nam habitus ab actibus, actus ab objectis suis specificantur. Jam vero, nequit esse objectum actus quod ab hoc non attingitur.

Min. patet etiam: nam res ipsa, seu veritas revelata est per se indifferens ut assensu fidei humanae vel angelicae, vel divinae credatur; assensu philosophico vel theologico; dubio vel certo; obscuro vel evidenti, attingatur, ac specificetur: ergo assensus fidei, quo Deo credimus rem aliquam revelanti, debet a revelatione et auctoritate Dei specificari.

2.° De Abraham dicitur (1); *Credidit Deo;* non autem *voluit* propter Deum credere, quasi sola voluntas Deum attingeret. Item, Paulus: *Scio cui credidi:* non autem, *cui vel propter quem volui credere.* Ergo Deus ipse attingitur per *actum* credendi, et non per solam voluntatem imperantem credere.

62. 3.° Fides virtus intellectualis est ac theologica: atqui si actus credendi non attingeret ipsum Deum simul cum re credita, non esset actus virtutis theologicae: ergo. *Min.* patet: nam actus imperatus non ab objecto actus imperantis, sed, a propio specificatur objecto.

4.° S. Thomas communem perspicue docet sententiam; ait enim (2): «Cujuslibet cognoscitivi habitus objectum duo habet, »scilicet, id quod materialiter cognoscitur,... et id per quod cognos»citur, quod est formalis ratio objecti... Sic igitur in fide, si consi»deremus formalem rationem objecti, nihil est aliud quam veritas »prima. Unde ipsi veritati divinae fides innititur tamquam medio.» Ecce, explicite loquitur de *objecto* habitus *cognoscitivi*, ideoque, de fide prout est assensus mentis; dicit autem *formalem* rationem, per quam attingit rem creditam, esse veritatem divinam.

---

(1) Gal. III, 6; Item. 2. Tim. I, 12.—(2) 2, 2, q. 1, a. 1.

63. Obj. Sufficit intellectui veritatis cujusvis perceptio, ut ei possit assensum praebere, sive propter se, sive propter medium formale quo illam agnovit. Ergo poterit meus assentiri veritati revelatae, voluntate movente quin per talem assensum veritatem divinam, seu Deum revelantem attingat. *Ant.* patet: nam quaevis veritas est terminandi mentem capax, quocumque ei medio objiciatur. Confirmatur: proposita per divinam revelationem quacumque veritate, nisi evidenter haec elucescat, non certo assentitur intellectus, donec a voluntate determinatur: ergo sic poterit determinari ut solam veritatem attingat revelatam.

Resp. Dist. *ant.* Poterit assentiri cuivis veritati, sive propter se, sive propter medium, ita ut assensus ejusdem speciei in utroque casu sit; nego: aliter, permitto vel concedo.

Pariter dist. *conseq.* Et erit actus fidei divinae assensus qui attingat tantum veritatem revelatam, non vero veritatem primam; nego. Et assensus diversae speciei tunc elicietur ab intellectu; conc. Ita S. Thomas. (2, 2, q. 1, a. 3.)

64. Ad *confir.* patet quid respondendum. Sane litem illam praetermittimus, utrum ad assensum mens cogatur probabilem, seu opinativum, proposita sententia probabili: verum ad assensum certum non cogitur. Experientia quoque teste, non raro judicia retinemus circa materialia objecta, formalibus motivis oblivioni traditis, et ignorantes unde haec vel illa judicia, vel opiniones hauserimus. Videmus etiam veritates aliquas revelatas haereticos non diffiteri, solo privato ductos spiritu seu placito. Dicimus ergo, illos vehementer falli, qui actum fidei putant elicere, dum per illum minime veritatem divinam attingunt, sed materiale tantummodo objectum revelatum.

65. **Coroll.** Ex his infertur, vere ac proprie moveri actum fidei a divina auctoritate et revelatione: nam primo; est actus virtutis theologicae, id est, habens pro motivo formali Deum, sub ratione veritatis primae. Sed forma debet immediate uniri, seu actuare id quod informat: ergo actus fidei a veritate divina intrinsece actuatur ut sit talis speciei, ideoque ab ea movetur: sicut enim motus est actus entis in potentia: ita motio est actuatio.

Secundo; ait S. Thomas, supra (1), actum fidei *inniti*, tanquam medio, veritati divinae, sicut conclusiones scientiae primis innituntur principiis. Jam vero quod in alio innititur, ab eo vim et robur et firmitatem et actuationem habet, ac inde movetur: quod nemo de primis negat principiis, quia in iis innituntur assensus conclusionum.

---

(1) N. 62.

66. Dices 1.° Nihil efficit veritas divina in asssensum fidei: ergo neque movet illum. Resp. dist. *ant.* Ut causa physica et efficiens; conc. Objective et intentionaliter; nego. «Primum (1) quod ad ple»nitudinem essendi pertinere videtur, est id quod dat rei speciem. »Sicut autem res naturalis habet speciem ex sua forma, ita actio ha»bet speciem ex objecto, sicut et motus ex termino:» sic Angelicus. Hanc ergo plenitudinem essendi confert veritas divina actui fidei, ideo ipsum plane actuat, seu objective et intentionaliter movet.

67. Dices 2.° Explicite negat S. Thomas moveri intellectum ad actum fidei ab eo objecto cui assentit; sed movetur, ait, ex *inclinatione voluntatis* (2).

Resp. Nego assertum. Imo oppositum docet S. Doctor ibi: «Illud cui asssentit intellectus non movet intellectum ex propria »virtute, sed ex inclinatione voluntatis: unde bonum quod movet »affectum se habet in actu fidei sicut *primum movens;* id autem cui »intellectus assentit, sicut *movens* motum. Et ideo primo ponitur »in definitione fidei comparatio ejus ad bonum affectus, quam ad »proprium objectum.»

Inst. Videtur ergo sibi non constare S. Thomas: nam docet assensum fidei non *causari a* cognitione (3); sed *determinari* a voluntate (4).

Resp. Nulla in his elucet contradictio: aliud enim est *movere*, aliud autem *causare determinareque* assensum. Hoc quidem negat S. D. fieri ab objecto et cogitatione ipsius in fidei assensu; non autem illud. Differentiam autem inter *motionem* et *determinationem* non uno in loco (5) tradit S. D.: verum sufficiat notare quae in loco laudato (6) habet: «Quandoque intellectus inclinatur magis ad »unum, quam ad alterum: sed tamen illud inclinans non sufficien»ter *movet* intellectum ab hoc, quod determinet ipsum in unam par»tium *totaliter*.» Item, quemlibet actum se habere *passive* ad suum terminum a quo specificatur aperte docet (7): «Et hoc idem ipsum »est de ratione actus, ut scilicet sit ab aliquo quantum ad actionem »et ut sit ad aliquid quantum ad passionem.»

§ V.

Propositae difficultatis explicatio.

68. Verum ad dificultatem indicatam (n. 59) veniamus. Sane cognoscimus tum rationis lumine, tum lumine supernaturali fidei, di-

---

(1) 1, 2, q. 18, a. 2.– (2) Qq. Disp. q. 14 de Fide, a. 2, ad 13.—(3) Ibid. a. 1, ad 6.– (4) 2, 2, q. 2, a. 1, ad 3.– (5) V. Mazzella de Gratia, D. III, a. 8, n. 734. —(6) Qq. Disp. q. 14, a. 1, in corp. a.—(7) 1, 2, q. 1, a. S. ad 1.

vinam auctoritatem, seu Dei sapientiam et veracitatem. Non quidem credimus revelatis propter auctoritatem lumine rationis cognitam, ut ratio ibi dicta ostendit; sed quatenus lumine fidei nobis propositam et perceptam. Nec inde sequitur oportere credere antequam credamus, seu *circulus vitiosus:* nam ad lumen supernaturale fidei non spectat tantum *credere*, sed etiam *apprehendere* vel *judicare* quod ad *credendum* percipiendum est vel judicandum. *Credere* autem est assentiri verbo propter actoritatem loquentis: quod importat apprehensionem, seu judicium tum verbi, seu revelationis, tum auctoritatis. Jam vero ad eundem pertinet habitum adhaerere objecto materiali propter formale, et formali propter se. Quo igitur lumine credimus, seu adhaeremus veritati propter Dei revelationem et auctoritatem; eodem adhaeremus auctoritati propter se; quod non est *credere*, sed simplex suasiva apprehensio vel assensus divinae auctoritatis in actu credentis implicitus.

69. Neque negamus, posse mentem supra divinam reflectere auctoritatem quatenus *revelatam* (1), et illam proprie etiam *credere*. Dices: quomodo credi potest ratio credendi, seu id in quo fides innititur, et cujus vi credendum est? Resp. Si *sola fide* per credendi actum, nobis Dei auctoritas innotesceret, non posset quidem esse formalis credendi ratio: cum autem etiam aliunde nobis nota sit, potest ex inde esse medium ut eamdem alia via dignoscamus, nempe per fidem credendo. Nihil enim obstat eamdem veritatem multiplici modo innotescere. Ideo et solent homines, quorum agnoscimus auctoritatem, verba sua confirmare et dicere: «credite mihi, non fallo.»

Quomodo autem aliunde, praeter formalem revelationem, noscamus Dei auctoritatem, nuper dictum est (n. 68).

70. His consonant quae habet Suarezius (2): «Non potest assensus (credendi) ad veritatem rei dictae terminari, quin simul terminetur ad hanc veritatem; *quod illud sit dictum a Deo*... Ita enim comparatur dictio rei ad rem dictam (ut lumen ad colorem), quia est ratio credendi, et talis, ut sit etiam medium et motivum credendi, ut explicatum est.»

In hoc videri potest a nobis dissentire Suarezius, quod sic terminatur ad Dei auctoritatem assensus fidei, ut illam *credat*. Verum clare indicat, non esse *proprie*, sed *analogice* tantum, terminationem illam actum credendi: *credere* enim respicit intrinsece et formaliter *verbum*, seu dictum: «Qui per fidem credit aliquam ve»ritatem, credit illam, *quia dicta est a Deo;*» ergo ut credatur proprie per fidei assensum Dei auctoritas, debet *dici*, seu verbo signi-

(1) Rom. III, 4; Jo. XVII, 17.—(2) De fide, d, 3, S, 12, n. 9.

ficari. Jam vero, Deo dicente: *Verbum caro factum est;* haec verba nec dicunt, nec significant, Dei auctoritatem, sed *supponunt* tantum et inde eamdem exhibent. Quam quidem differentiam ipse D. Eximius notat (ibi. n. 12). «In actu *exercito*, dum Deus ali»quid dicit, *quasi* per intrinsecam reflexionem ejusdem actus in se »ipsum, dicit se dicere...; et inter homines etiam, quamvis qui lo»quitur, per expressum actum reflexum, non dicat se loqui, loquen»do id satis dicit in *actu exercito*.» Id autem veram et propriam non esse loquelam manifestum est: quemadmodum qui se ante alium sistit, dicit *in actu exercito*, et *quasi* per intrinsecam reflexionem actus in se ipsum: *Ecce adsum;* tamen revera id non dicit: a pari, qui loquitur, dicit in *actu exercito*, se loqui, non tamen proprie dicit.

In eo igitur tantum sensu dici potest, credere *Dei auctoritatem et Deum loqui*, illum qui veritatem credit revelatam; quia actus ille credendi attingit etiam *ut quo* objectum formale: quatenus autem illud attingit non est *credere*, sed simplex adhaesio, seu assensus; quatenus autem attingit objectum materiale, seu rem dictam, est proprie actus credendi. Quemadmodum actus, quo medium volumus propter finem, est ipse electio quatenus medium attingit, et simul intentio prout respicit finem.

71. Non videntur proinde recte interpretari Suarezii mentem et ipsius impugnare doctrinam qui ajunt: in actu fidei non posse, simul cum re credita (objecto materiali), attingi et credi Dei auctoritatem et revelationem. Etenim, dicunt; actus credendi terminatur, ex proprio conceptu, *ad dictum* et *auctoritatem* loquentis; ergo si Dei credatur auctoritas et revelatio simul cum objecto materiali, necessum est ut cum dicto respectu, nempe, *ad dictum* et *auctoritatem* loquentis, credantur; ita ut credatur auctoritas et revelatio Dei quia Deus suam revelat auctoritatem et revelationem; sed revelanti non creditur, nisi respiciendo et credendo ejus auctoritatem et revelationem; ergo non credimus Dei auctoritatem et revelationem, nisi prius respiciendo et credendo, tanquam motivum credendi, ipsam Dei auctoritatem et revelationem: et sic in infinitum; vel tandem sistere oportet in Dei auctoritate et revelatione absque ullo respectu. Atqui assensus absque respectu ad dictum et auctoritatem loquentis, non est actus credendi; ergo ad credendam veritatem revelatam, non opus est credere Dei actoritatem et revelationem.

Manifestum est, in ficta illos niti hypothesi qui hac ratione *Suarezium* impugnant. Fingunt enim, actum fidei, prout attingit Dei auctoritatem et revelationem, esse *proprium* et explicitum, seu signatum, credendi actum, reflectentem supra ipsam auctoritatem et revelationem, quatenus ipsa etiam in se ipsam reflectat, dum

quicquam dicit et revelat. Jam vero ut diximus (n. 70), non isto loquitur sensu Suarez: nam neque Dei auctoritas et revelatio reflectunt supra se, sed *quasi* reflectunt; neque in *actu signato* revelationis revelatur auctoritas vel revelatio, sed in *actu exercito:* sicut quicumque loquitur dicit se existere, se vivere, se loqui, sibi velle credi, etc., quamvis et proprie et signate nihil ejusmodi dicat, neque verba significent.

Proinde qui Deo credit revelanti, *credit* proprie et signate veritatem quam Deus loquitur et revelat; ipse autem assensus adhaeret, tamquam motivo formali, Dei auctoritati et revelationi propter se; id est, absque ullo *ulteriori respectu;* ideoque est simplex assensus et judicium de divina auctoritate, non autem actus *credendi* illam: quia vero ipse in revelatam veritatem assensus est credendi actus, estque in Dei revelantis auctoritate innixus, ideo in *actu exercito* credere dicitur divinam auctoritatem et revelationem, quarum virtute veritas creditur revelata (n. 35).

SCHOLION.

De consensu rationis cum fide.

72. Consulto ad postremum distulimus locum quaestionem hanc, de *consensu*, seu *analogia inter rationem* et *fidem*, a neotericis controversiarum scriptoribus, si quid judicem, plus aequo ponderatam, propter Rationalistarum clamores, stultasque querelas. Si mente captum audire, ejusque postulatis morem gerere, vel cogitationes omnes diluere, tuum esse munus reputaveris, quid nisi cum eodem insanire et extra rectae methodi vias progredi compelleris? Nihil aliud conficta ista fidei cum ratione oppositio, apud rationalismi cultores, reapse indicat, quam fidei dogmata toto coelo eorum placitis adversari; quod verissimum est. Frustra, proinde, laborabis, fidei defensor, dum hujus ostendere coneris cum ratione foedus et amicitiam, altamque exponas originem, et utriusque luminis, tum rationis, tum fidei, eumdem esse clarissimum fontem proclames; nisi primum rationalistarum contriveris stulta placita et absurdos errores.

73. Qui enim fidei execrantur disciplinam, ac odio revelationem prosequuntur:

a) Vel scientiam, seu rationem suam, ultimam esse proclamant universalis substantiae evolutionem; et cum atheis tum rem habes, vel pantheis, et alia omnino cum ipsis est ventilanda quaestio, de Dei, nempe, existentia, rerum omnium Conditoris, quae alibi referenda est:

b) Vel causantur, a Deo posse homines illudi, adeoque illi non esse mentem subjiciendam; et oportebit ad summam Dei veritatem, tum in cognoscendo, tum in attestando, cum ceteris attributis, ostendendam te vertere:

c) Vel contendunt, nihil supra hominum rationem esse positum, et inter res absurdas amandandum quidquid capere ipsi non valent; quod quam stulte dicant, infra ostenditur (n. 80-81.)

d) Vel urgebunt, rationali naturae injuriam irrogari, si quicquam, nisi rationis ductu, quasi verum amplectamur; et huic querelae supra (n. 45 et 46) obviam ivimus ostendentes, valida in promptu esse rationis argumenta ad verum revelatum certissimo assensu amplectendum:

74. e) Vel clamabunt (omnibus quidem hominibus, ac sibi ipsis contradicentes), veritates tantummodo evidentes mente esse tenendas; et ejusmodi homines lingua menteque delirare, exposito multiplici cognoscendi modo (1), facile demonstrabis; nec non secum ipsis non constare deprehendes. Roga, utrum suos agnoscant parentes et honorent? an fratres, sorores, uxores, filios habeant et diligant? num praeter illa quae incoluerunt loca, vel ultra illos, quibus cum egerunt, homines; certum habeant, alias esse in orbe regiones, regna alia, et reliquas in iis degere gentes; et rubore seu pallore suffundi, tamquam mendaces et inconstantes de eadem re diverse dicentes, illos coges; aut aperte, saltem, suam prodere dementiam et inverecundiam:

f) Vel gannient, plura scientiam invenisse fidei adversantia; tu vero quae sint ista interroges, et elucebit, apud rationalistas, sub *scientiae* voce quamlibet venditari *sciolorum* opinationem, vel saepissime quid fides iis de rebus edoceat, eos prorsus nescire: atqui *sciolorum* opinationes fidei saepe adversari, plane concedimus; imo, scimus quoque, inter eos qui *sapientes* inter se vocitantur, contraria passim tradi placita, et oppositas gigni *scientias;* nec non *hodiernam* eorum *scientiam* subvertere frequentissime quaecumque, magno apparatu, *scientia* struebat *hesterna.*

75. Denique paucis dicam: fidem manifeste istos calumniari, necnon ipsam rationem, dum contendunt, invicem hostiliter procedere et subvertere, cum non nisi ratione ducente sit fides amplenda, ut supra dictum et probatum est (n. 54). Praescribit quidem ipsa fides, ut sit *rationabile* quod Deo exhibemus obsequium (2): et sanctus Thomas (3) ait; quod neque crederet quisquam ea quae subsunt fidei, «nisi videret esse credenda, vel propter evidentiam sig»norum, vel propter aliquid hujusmodi:» sanctus quoque confirmat

(1) Supra, n. 44.—(2) Rom. XII, 1.—(3) 2, 2, q. 1, a. 4, ad 2.

Augustinus (1): «Absit, inquam, ut hoc in nobis Deus oderit, »in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit. Absit, in»quam, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus, sive quaeramus; »cum etiam credere non possemus, nisi etiam rationabiles animas »haberemus... Propterea monet apostolus Petrus, paratos nos »esse debere ad responsionem omni poscenti nos rationem de fide »et spe nostra (2).»

CAPUT II.

De iis quae, veluti via, ducunt ad divinae Revelationis existentiam dignoscendam.

PROOEMIUM.

76. « Fabularum actiones una cum poëtis, qui tamquam Baccha»nalia agentes penitus insaniunt et ultra modum delirant hedera »redimitis more Bacchico, Satyris quoque ipsis et furente turba »Bacchantium reliquoque Deorum choro, in Heliconem et Cithae»ronem, qui jam consenuerunt, includamus. Horum loco, verita»tem cum sapientia late splendente, in sanctum Dei montem sanc»tumque Prophetarum chorum e coelo deducamus. Haec »autem clarissima sua luce omnes homines, qui in tenebris volu»tantur, undique illustret; et intelligentia, tamquam opitulatrice »dextra porrecta, ex erroribus in salutem vindicet. Tum illi; su»blatis oculis, è tenebris emicantes, Helicone ac Cythaerone de»sertis, Sion habitent: *nam è Sion egredietur lex, et verbum Domini* »*de Hierusalem* (3); coeleste, inquam, *Verbum*, ob legitimi certa»minis victoriam in theatro totius mundi coronatum...»

77. «...Hoc igitur Verbum Christus, non solum ut olim essemus »causa fuit (nam ille tum erat in Deo), sed idem etiam bene esse no»bis dedit et jam nuper hominibus apparuit, qui solus uterque Deus »et Homo est, ut omnimodam nobis felicitatem daret. Etenim ab eo »recte vivere edocti ad aeternam vitam transmittimur. Nam ut ait »ille divinus Domini Apostolus: *Apparuit gratia Dei salutaris* »*omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem et se»cularia desideria, sobrie, et juste et pie vivamus in hoc seculo,*

---

(1) Ep. CXX, n. 3, 4.—(2) 1.ª Petr. III, 15.— (3) Isai. II, 3.

»*expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Sal-*»*vatoris nostri, Jesu Christi* (1)... Fugiamus igitur, Apostoli »praecepto obsequentes, *principem potestatis aëris hujus, spiri-*»*tus qui nunc operatur in filios diffidentiae* (2), et ad Dominum »servatorem confugiamus, qui per prodigia et signa, cum in »Aegypto, tum etiam in deserto, et per rubum et nubem ad salu-»tem invitat... Varias enim Salvator noster voces adhibet, et va-»rias experitur vias, ut homines ad salutem perducat... Postea, »quod corpus humanum columna et rubo nobilius esset, prophetis »usus est: ipse Dominus in Isaia loquitur, ipse in Elia, ipse in »ore prophetarum.»

78. «Quod si nullam prophetis fidem deberi putas, sed viros, »haud secus ac ignem, in numero fabularum habes; ipse Dominus »tibi loquetur, *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitra-*»*tus est esse se aequalem Deo; sed semetipsum exinanivit* (3) mi-»sericors Deus, ut humanum genus servaret. Ipsum adeo Dei Ver-»bum palam tibi loquitur, ut infidelitati pudorem incutiat... Nam »*ego sum ostium* (4), inquit quodam in loco; (quod quidem discen-»dum iis est, qui ad Dei notitiam pervenire cupiunt) ut simul uni-»versas coelorum portas nobis aperiat: rationales enim Rationis »(seu verbi) portae fidei clave panduntur. *Deum nemo novit nisi* »*Filius, et cui voluerit Filius revelare* (5). Nec mihi dubium est, »quin is, qui portam antehac clausam aperuit, posthac ea quae »intus latent revelabit, eaque nobis ostendet, quae a nemine un-»quam cognosci potuerunt, nisi qui per Christum ingressus fue-»rit, per quem solum Deus cernitur (6).»

79. Haec Clemens Alexandrinus; quae, quoniam ad rem nostram pertinent, et eorum quae explananda sunt exhibent sum-mam, loco prooemii excribere placuit. Ea, quae ad dignoscendam revelationis existentiam ducunt, duplicis sunt generis: alia enim *remote*, alia autem *proxime*, viam sternunt: ideo in duos ARTICULOS CAPUT II dividimus.

---

(1) Tit. II, n. 11, 13. — (2) Eph., II, 2. — (3) Phil. II, 6, 7. — (4) Jo. X, 9. — (5) Matth., XI, 27. — (6) Cohortatio ad Gentes, cap. I.

ARTICULUS I.

De iis quae remote et veluti a priori ostendunt divinam existere revelationem.

§ I.

De revelationis objecto.

THESIS I.

Quaedam sunt in Deo ad quae etiam ratio naturalis pertingere potest: quaedam vero quae omnem facultatem humanae rationis excedunt.» Est de fide catholica.

80. **Nota**. Insitum utique naturae hominum esse experimur, rerum naturas perscrutari, et scientias perquirere: verum neque omnia ejusmodi sunt, ut possint perscrutando dignosci; puta, quanta sit spatiorum latitudo, vel quis stellarum numerus; neque eadem via et methodo quaecumque agnoscibilia sunt attingere valemus; aliter enim Matheseos theoremata discutiuntur, aliter Metaphysicae conclusiones demonstrantur, et aliter ad legum physicarum pervenimus notitiam. Hinc dignoscere oportet quid assequi viribus suis mens valeat, et quam debeat adhibere methodum ad id assequendum: nam si ad impossibilia frustra conetur, insana; si autem ad possibilia, sed per alienam procedens methodum, stulta erit. Haec innuisse sufficiat, ut, quo pacto prima haec thesis ad agendum de Revelatione conferat, eluceat.

81. 1.° Probatur thesis ex Vat. Concilio, iisdem eam tradente verbis, praesertim ex cap. II, et Can. I. et III, de Revel. in Const. *Dei Filius*.

2.° Aliqua posse homines, vi rationis, de Deo dignoscere, aperte docet Paulus (1), et nunc concedendum est (vide supra, n. 2): alia autem esse nobis impervia, ab eodem discimus Ap. (2): *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est...; nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei*, etc. Similia passim leges in sacris libris.

3.° Hieronymus ait (3): «ex parte nos Deum cognoscere:» Item: «Nisi ipse dignatus fuerit se homini revelare, quis est qui »possit eum suis viribus intueri, vel perscrutando ad majestatem »ejus accedere?» Et Nazaz. Greg. (4): «Quemdmodum nemo

(1) Rom. I, 20. — (2) 1.ª Cor. II. 7, 11. — (3) In Ezech. XLII, 2. In Job XXXIV, 29. — (4) Or. 30, n. 17.

»est, qui aërem totum unquam hauserit; ita Dei naturam nec mens »unquam ulla prorsus concepit, nec vox ulla complexa est.» Vide etiam Clementem, supra (n. 78) laudatum, praeclare disserentem.

82. 4.° Rationis praesto sunt argumenta aliqua. a). Secundum modum quo rei essentia cognoscitur. est modus eorum quae de re illa dignoscuntur. Atqui ad Dei essentiam penitus capiendam nequit intellectus humanus naturali virtute pertingere: ergo.

Maj. constat ex scientiae natura et definitione, nec non exemplis passim occurrentibus: qui essentiam circuli non capiat, proprietates ejus non poterit omnino intelligere.

Min. prob. Ea quae sensibus non percipiuntur, non possunt humano capi intellectu, nisi quatenus ex iis quae sentiuntur eorum colligitur cognitio. Atqui Dei essentiam non attingunt sensus, neque ex iis quae sentimus colligere eam possumus, quia ipsius minime adaequant virtutem: ergo comprehendi Dei essentia nequit.

b). Plus intellectus Angeli humanum excedit, quam mens optimi philosophi rudissimum idiotae intellectum; et longe lateque praestat omnibus aliis intellectus divinus. Atqui stolidissimum diceres idiotam, omnia negantem quae non caperet ipse, a philosophis autem traduntur: ergo stolidus omnino habendus qui divina se posse penitus intelligere opinatur.

c). Rerum corporearum proprietates plurimas ignotas habemus; earum, quas novimus, si rationem causamque inquiramus, invenire saepissime non possumus; ipsi, qui sapientiores reputantur, continuo negant quod prius affirmabant, vel asserunt quod rejiciebant; dissentiunt inter se saepissime disputantes; et paucis decurrentibus annis clamant fuisse ignorantiam, quod scientiam esse primum praedicabant: et id quidem de rebus agentes corporeis, sub sensuum experimento positis. Ergo desipiunt plane qui se investigare posse autumant divinam illam ac infinitam naturam, sensibilia omnia et intelligibilia transcendentem.

d). Id confirmat celeberrimus ille Philosophus: «Intellectus noster sic se habet ad Prima entium, quae sunt manifestissima (quoad se, non quoad nos) in natura, sicut oculus vespertilionis ad solem.» (Metaph. tex. comm. 1).

83. Dices: simplex est Deus; ergo si quidquam de eo cognoscere valemus, nihil prorsus nos latere poterit. Resp. Dist. *ant.* quatenus non est multiplex, vel compositus, vel extensus; conc. Quasi non sit in omni perfectione infinitus et incommensurabilis; nego *ant.*

84. **Corollar.** *Rationalismus*, sic dictus, quasi sola ratione possit omnis attingi veritas; *Progressismus* indefinitus, quasi possint rationis vires quoscumque transgredi limites; inter stultas et sine mente cogitationes sunt amandandi.

§ II.

Quantum hominibus prosit divina revelatio.

THESIS II.

Est hominibus admodum conveniens, quod iis divinitus illa revelentur, quae, in rebus divinis, non sunt per se humanae rationi impervia.

85. Propositio certa existit et catholicam exhibet doctrinam, ac fidei proximam, imo probabilius de fide: docetur enim á Vat. Concilio (1) et videtur explicite etiam definiri (2).

Probr. 1.° Vat. conc. ait: «Huic divinae revelationi tribuen»dum quidem est, ut ea quae in rebus divinis humanae rationi per »se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani condi»tione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto »errore cognosci possint.»

Deinde in Can. 2, qui ad eamdem aperte rem spectare videtur, ait: «Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revela»tionem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur, »anath. sit.»

86. 2.° Paulus inde summam Judaeorum supra Gentiles praestantiam ostendit: *Quia credita sunt illis eloquia Dei* (3), et Lex iisdem tradita fuit (4): unde, et propter ejusmodi beneficium, Propheta Jerusalem ad Deum laudandum adhortatur; *Quia non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis:* (Ps. 147.) Atqui tum lex, tum divina eloquia, fere omnia complectuntur quae vim rationis non excedunt; ideo dicit (5) Ap.: *Gentes, quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt: Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt;* id quidem vi rationis assequi poterant, sed quatenus non *Obscuratum est insipiens cor eorum* (6); a qua ignorantia et obscuritate revelatione eripimur; ideo Judaeos gravius quam Gentiles puniendos docet, juxta Apostolum, Chrysostomus: «Quanto enim majore »cura dignatus est (Judaeus), tanto majores dabit poenas (7).»

87. 3.° Nemo in dubium revocare potest, miram in omni hominum genere irrepsisse ignorantiam de rebus divinis et moralibus, ante Christi adventum: jam vero, ad eas dissipandas tenebras quantum prodesset revelatio, testatur Clemens Alex. supra (n. 76.)

---

(1) C. *Dei Filius*, cap. II, *de Revel.*— (2) Ibid., Can. 2.— (3) Rom., III, 2.— (4) Ibid., IX, 4.—(5) Ibid., c. II, 14.—(6) Ibid., I, 21.—(7) In ep. ad Rom. hom. V, n. 4.

Et sane, nec pauca, nec exigua per revelationem caventur incommoda: etenim, a) Revelatione sublata, pauci ad divina sat cognoscenda pervenirent; b) isti autem non nisi post longum tempus; c) et quidem non paucis admixtis erroribus ac dubitationibus. Quae tria paucis enucleabimus.

Quoad primum; a) tria requiruntur ad divinorum scientiam adipiscendam: solertia non exigua, opportunitas et otium ad ista scrutanda, atque studium. Atqui haec in multis desiderantur, et opportuna revelatione supplentur: ergo revelatione non existente, pauci ad divinorum notitiam perveniunt.

Quoad secundum; b) ad abstracta capienda et recondita, ad haec enim pertinent divinae res, perveniri non potest nisi sat evoluto intellectu et exercitato ingenio, et cum quiescentibus sensuum et passionum tumultibus, pacata mens rebus seriis libens incumbit. Sed ejusmodi praesto non erunt nisi diuturno evoluto tempore; revelatione autem compensantur: ergo non nisi post longum tempus, nisi adsit revelatio, multi ad divina cognoscenda pertingent.

Quoad tertium; c) investigationibus nostris, praesertim circa abstrusas quaestiones, multi obrepunt errores, multae dubitationes, propter diversa opinantium disceptationes et sophistica ac verisimilia argumenta. Atqui hisce quoque incommodis obnoxia est difficilis et obscura divinarum rerum scientia, iisque occurrit revelatio: ergo nec pauca nec exigua declinantur incommoda per divinam revelationem, ideoque admodum hominibus conveniens esse fateri oportet, etiam in iis rebus divinis quae non sunt humanae rationi imperviae. Vide S. Thomam (1).

88. Obj. Homines per revelationem instituti innumeros etiam amplexati sunt errores, et in plurimas dividuntur opinantium sectas: ergo non admodum conveniens, imo et parum utilis exhibetur divina revelatio.

Resp. dist. *ant.* Quatenus ipsam revelationem ducem non fuerunt secuti juxta normam ab ipso Deo praestitutam; conc. Ubi a norma verae revelationis non declinarunt; nego *ant.*

Deinde, permisso *ant.* nego *conseq.* Nam etiamsi multae ortae sint sectae, vera tamen effulget semper revelatio, qua in rectam possunt deduci viam, et interim longe plures retinent divinorum veritates, quam ii quibus ignota extitit revelatio: quod patet si cuilibet christianae sectae illud conferatur hominum genus, cui lumen non effulsit revelationis.

---

(1) 2, 2, q. 2, a. 4.

THESIS III.

Non parum hominibus prodest, si iisdem etiam revelentur quae humanae rationis captum superant.

89. **Nota.** Juxta triplicem theseos sensum potest probatio institui: I.° quatenus sermonem esse intelligamus de iis quae in religione christiana revelari novimus: II.° In ea hypothesi, quod homines fuerint ad finem supra naturam constitutum destinati: III.° juxta universalem et absolutum sensum, id est, nullo supernaturali praesupposito in rebus creatis ordine.

In I.° ergo sensu thesis est fide catholica tenenda; in II.° est doctrina catholica, scilicet, quam tradidit Ecclesia, etiamsi eam de fide esse non definiverit; in III.° autem est theologice certa.

90. I.° Prob. thesis juxta priorem sensum.

1.° Concil. Later. IV in Decreto fidei ait: «Sta. Trinitas... »per Moysen et Prophetas, aliosque famulos suos, juxta »ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano »generi tribuit salutarem. Et tandem Unigenitus Dei Filius... viam »vitae manifestius demonstravit.» Ergo veritates, quae in religione habentur christiana ex libris Veteris et Novi Testamenti, quarum plures, certe, rationis vim superant, non parum prosunt hominibus; cum salutares sint et viam vitae manifestius demonstrent.

2.° De christiana revelatione loquens Apostolus (1) ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos, sapientiam vero non hujus seculi... Loquimur Dei sapientiam in mysterio... quam nemo principium hujus seculi cognovit.* Quibus verbis, quam sit proficua, quamque excellens ejusmodi revelata sapientia, patet. Loquitur sane Paulus de revelata doctrina; *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum Sanctum.*

Verum, quam sit haec revelata doctrina salutaris Christus testatus est (2): *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur.*

91. II.ª pars, seu thesis in secundo accepta sensu, probatur.

1.° Conc. Vat. (3) docet: «Non hac tamen de causa (nempe, »propter ea commoda in Thesi praecedenti dicta) revelatio absolute »necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua or»dinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scili»cet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino »superant.»

---

(1) 1.ª Cor. II, 6, 8, 10.—(2) Marc., XVI, 16.—(3) C. *Dei Filius*, c. II, de Revel.

2.° Praemium et bravium, quod prosequendum ac demerendum est, si rationis captum superet, convenientissime hominibus revelatur. Atqui finis hominibus a Deo propositus supra rationis vim positus est (1); *Oculus non vidit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum;* estque etiam promerendus; *Sic currite, ut comprehendatis.* (ibid.): ergo convenientissima est revelatio.

Maj. patet. Proprium enim est rationalis naturae, se ipsam ducere; id est, studio ac desiderio ad finem suum ferri: atqui fieri hoc non potest sine mediorum, finisque praecognitione; ergo necessum est, tum finem, tum media illa revelari si captum superent rationis.

92. III.° Thesis juxta tertium sensum probatur.

1.° Quaecumque, Deo revelante, creduntur, verissima sunt. Atqui mens perficitur dum verum, id est, objectum proprium assequitur, et Deo, summae veritati, adhaerescit; ergo non parum prodest divina revelatio.

2.° De qualibet revelata ac supra mentem posita veritate, potest ratio, ceteris paribus, fructum carpere ac proficere, prout de christianae fidei mysteriis notavit Vat. Synodus (2): «Ac ratio »quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie, aliquam, Deo »dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam asse»quitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum »è mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo.» Unde; veritatis cujuslibet supernaturalis qualiscumque intelligentia, ejusdem cum naturali ordine analogia, ipsius quoque ceteris cum rebus, nec non cum Deo, supremo omnium principio ac fine, nexus fructuosissimam praebent rationi intellectualis vitae exercitationem: ergo non parum hominibus prodest quaevis supernorum revelatio.

93. Obj. in primo sensu Theseos: parum profuisse hominibus videtur ejusmodi superna revelatio: nam a) ad maximam hominum partem notitia illius non pervenit: b) aliorum autem, qui noverunt, plurimi eam oblivioni tradidere: c) ceterorum non pauci revelationem parvi faciunt, neque juxta revelationis normam vitam ducunt.

Resp. Nego assertum. Ad probationes dicendum: non esse revelationis fructus ab iis hominibus mensurandos, qui vel eam non audierunt, vel noluerunt, juxta illam, vitam instituere; sed contra, ab iis sunt dijudicandi qui, revelatione cognita, eadem recte usi sunt: unde permissis hisce rationibus, negatur *consequentia*.

---

(1) 1.ª Cor., II, 9, et c. IX, vv. 24...27.—(2) C. IV, de fide et ratione, Const. *Dei Filius*.

Sic plurima naturae bona non tantum a liberi arbitrii usu frustrari in unoquoque hominum queunt, sed etiam a solertia vel neglectu ceterorum hominum dependentia esse videmus. Neque ergo mirari oportet, quod bona revelationis, naturae indebita, ad plurimos non pervenerint, vel plenum non habuerint fructum.

94. Ceterum christiana revelatio nondum ad *consummationem* (1) pervenit; sed ipsius adhuc, juxta providentiae ordinem, perficitur *evangelium*, seu enuntiatio; qua completa, dijudicare tunc licebit de fructibus revelationi universim adnexis.

Corollar. Ex his elucet, jure fuisse damnatas Props. 4ᵐ et 6ᵐ Syllabi a P. Pio IX.

THESIS IV.

Multum expedit homines divina edoceri revelatione ad finem suum agnoscendum et assequendum, et ad vitam honeste degendam.

95. 1.ª Pars prob. Errare circa finem vel dubitare, vel solum errandi periculum subire, mala sunt gravissima: atqui caventur revelatione mala ejusmodi; ergo.

Major ex se elucet: quicumque enim a fine declinaverit, infelix sit oportet.

Min. prob. a) Docet experientia, eos, qui lumine revelationis non ducuntur, turpiter circa finem ultimum errare, et corruptibile aliquod bonum quasi finem appetere, et in ejusmodi solum delectari. b) Deinde spiritualia et a sensibus remota vulgus difficillime attingit: adqui hominum finis immaterialis est ac simplex; ergo nisi elucescat hominibus revelatio, multi a recto fine aberrabunt.

96. II.ª Pars prob. 1.° Ad vitam degendam honestam, oportet finem ultimum praenoscere: atqui ad finem dignoscendum multum confert revelatio; ergo et ad vitae honestatem.

2.° Ad honeste vitam ducendam, opus est morum regula perfecte praeceptrice: sed sine revelatione non habebitur; ergo. *Minor* facile patet. Regulam vitae vel ratio privata cujusque subministraret, vel exculta philosophorum mens: atqui neutra sufficiet.

I.° Quod singulorum non sufficiat privata ratio, patet: a) experientia. Ubicumque non effulget revelatio, turpissimis circa mores erroribus obscurantur mentes; jam vero, ut ait apud Ciceronem Cotta (2): «Ut nihil interest, utrum nemo valeat, an nemo possit »valere; sic non intelligo quid intersit, utrum nemo sit sapiens, an »nemo esse possit.» b) Ratione: Ut rectam morum regulam quis

(1) Matth. XXIV, 14.—(2) De *Oratore*.

privato assequatur studio, opus est multi ac diligentis studii, judicii recti nec parum acuti: atqui, e contra, magna incuria inest multis, praejudicia multa, ingenium rude, mentis ad res alias necessaria evagatio: ergo impar est, absque revelatione privata ratio.

97. II.° Neque sat est exculta Philosophorum ratio. a) Si haec posset hominibus sufficere ad honeste vivendum, id quidem praestitisset Philosophorum schola aliqua, puta, Academia, Lyceum, etc., vel aliquis inter eos insignis, Socrates, Aristoteles, etc. Atqui absurdissimos errores, foedasque de moribus opiniones isti omnes tradidere. Vide apud A Lapide (in ep. ad Rom. I.) de erroribus et vitiis Philosophorum clara testimonia.

98. b) Concedamus qualemcumque praeceptorum collectionem fuisse a Philosopho aliquo exornatam. Jam vero, ut ejusmodi vitae norma vulgus duci possit, necessum erit quod illam amplectatur, vel edoctum argumentis ea praecepta justa esse ostendentibus, vel auctoritate et exemplo Philosophorum inductum. Atqui primum evenire non poterit, ut rationibus supra (n. 96, 2.°) positis perspicue patet: secundum autem a Philosophis expectare non licet, uti testatur Augustinus (1); etenim invicem perpetuo appugnantes, absurda non pauca docentes, vitiis turpissime indulgentes (2), nulla effulgent auctoritate Philosophi isti, ut populos ad honestam vitam perducant, sed potius ut ad turpitudinem provocent. Praeterea, haud sine magistri periculis potest vulgus ab erroribus et vitiis reduci: atqui Philosophi ad ejusmodi subeunda pericula nullatenus parati inveniuntur. Unde ait Augustinus (3): «Varro, »de religionibus loquens, evidenter dicit; multa esse vera, quae »vulgo sciri non sit utile; multaque, quae, tametsi falsa sint, tali»ter existimare populum expediat. Hic certe totum consilium pro»didit sapientum, per quos et populi regerentur.» Et Tullius (4) quantum Philosophi isti valeant, indicat: «Quotus enim quisque »philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo et vita »constitutus ut ratio postulat? qui disciplinam suam non ostenta»tionem scientiae, sed legem vitae putet? qui optemperet ipse sibi »et decretis suis pareat?»

99. Obj. in I^{m} part. Debent homines rationis dictamine in proprium finem se ipsos ducere: atqui primus ad finem gressus est ejusdem cognitio; ergo rationis dictamine possunt homines finem suum agnoscere.

Resp. Dist. *min.* Est ejusdem cognitio *saltem confusa* (5), sub ra-

---

(1) De Civit. Dei, l. XI, c. 41.—(2) Rom. 12 vv. 22... 32.—(3) De Civit. Dei, l. 4, c. 30.—(4) Tuscul. l. 2.—(5) Vide D. Th. 1, 2, q. 1, a. 2, ad 3; et a. 4; et q. 94, a. 2.

tione boni honesti; conc. *min.* Cognitio distincta; subd. Ut facilius ac expeditius versus finem homo gradiatur; conc. Absolute et simpliciter; nego *minorem.* Dein dist. *consequens:* Possunt homines finem suum agnoscere, *physice;* conc. Possunt *moraliter*, seu, absque magna difficultate; subd. cognitione distincta; nego *conseq.* Cognitione saltem confusa, concedo, vel potius subd. Ita tamen, ut longe facilior ac expeditior via sit, si habeatur cognitio finis per revelationem; conc. Aliter; nego *consequens* et *consequentiam.*

Obj. in II[m] part. Tradidit Deus hominibus rationis lumen ac legem naturalem, ceu vitae regulam. Atqui Dei dedecet sapientiam media tradere inepta ad finem: ergo sola sufficit ratio ad vitam honestam ducendam.

Resp. Dist. *maj.* Ceu vitae regulam *potentialem,* id est in actu primo; conc. Ut regulam explicitam et actualem; nego *majorem.* Deinde concessa *minore,* dist. *conseq.* Sufficit ratio potentialiter et in actu primo; conc. In actu secundo; subd. Sufficit *physice;* concedo: *moraliter;* iterum subd. Quoad prima morum praecepta ac in plurimis gentium; conc. Quoad praecepta secundaria praesertim remota, et plerosque hominum; nego *conseq.*

100. Unde, lumen rationis virtualiter tantum regula est honeste agendi, ex qua facile prima fluunt morum principia, quae sunt regula in actu secundo, non autem adaequata: ut autem regula haec compleatur, studiosa requiritur hominum cooperatio; et ideo regula morum adaequata deficere potest propter causas secundas, cum a Deo *mediate* proveniat. Jam vero causarum libera cooperatio facillime deficit, ubi notabilis intercedit difficultas, sicut in re praesenti.

101. **Corollar.** 1. Ex dictis deduces causam damnationis Prop. 3[ae], in Syllabo Pii IX positae.

Corollarium II. Convenientissima est hominibus societate coadunatis revelatio, ac principibus longe convenientior quam privatis civibus. Etenim, tum mala, tum bona, quo universaliora sunt, eo et majora: atqui universaliora evadunt bona et mala societatem ineuntium; cum ergo revelatio multa, ut diximus, praecaveat mala, multaque inducat bona in hominibus, convenientiorem iis esse qui associantur, fateri oportet: sociorum quidem facile evadunt, sive bona, sive mala, communia: *Amicus stultorum similis efficitur* (1); *Qui timet Deum... secundum illum erit amicus illius* (2).

Principes autem, cum, ratione auctoritatis et exemplo, sint veluti societatis forma, in prosperitatem vel ruinam facillime eamdem trahunt: unde legimus: *Beata terra cujus rex nobilis est, et cujus*

---

(1) Prov. XIII, 20.—(2) Eccli. VI, 17.

principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum et non ad luxuriam (1).

THESIS V.

Summe conveniens est quod homines religionem edoceantur revelatione divina.

102. **Nota I.** Nomine religionis venit, latiori sensu, officiorum omnium collectio quibus erga se ipsum et erga ceteros homo constringitur; proprio autem sensu ea intelliguntur quae ad cultum Deo exhibendum spectant: in hoc stricto sensu thesis intelligenda.

2.° Si dicamus simpliciter *expedire* quod homo de culto Deo exhibendo edoceatur, thesis de fide catholica est dicenda; quia vero illud, *summe conveniens*, sensum eundem prae se ferre videtur; de fide pariter thesis dici debet, vel quidem certa omnino theologice et catholica.

103. Probr. 1.° Synodus Vat. ait (2): «Si quis dixerit, fieri »non posse, aut non expedire, ut per revelationem homo de Deo, »cultuque ei exhibendo edoceatur; anath. sit.»

2.° Supra ostensum est (3), esse hominibus admodum conveniens, ut de rebus divinis per revelationem edoceantur. Atqui religio inter res divinas jure adnumeratur; respicit enim intrinsecus divinarum perfectionum excellentiam, et honorem Deo debitum.

3.° Multum expedit ad religionem cognitio sui ipsius; nisi enim se ipsum vere homo dignoscat, non fiet vera et qualis oportet illa ad Deum subjectio quam praescribit religio. Atqui vera sui cognitio non habetur, dum finis nos latet propter quem fuimus conditi: ergo, si multum expedit revelatio ad nostrum agnoscendum finem (Th. IV), valde convenit etiam ad religionem.

4.° Ad religionem pertinet imperare omnibus virtutibus moralibus (4), ut apposite notat S. Thomas. Atqui ad ea quae virtutis et honestatis sunt dignoscenda multum expedit revelatio (Th. IV); ergo et ad religionem.

5.° Sublata, vel oblivioni tradita revelatione divina, continuo homines ad impietatem, vel turpissimas eunt superstitiones: ergo ad religionem valde expedit homines revelatione edoceri.

6.° Si aliquem colere velimus, gratum illi tenemur exhibere cultum. Sed quis Deum, infinitae majestatis, deceat cultus, haud facile est dijudicare; ergo summe expedit ut de ea re Deus ipse nos edoceat.

---

(1) Eccles. X, 17.—(2) Const. *Dei Filius*, de Revel. can. 2.—(3) Supra, n. 85. —(4) 2, 2, q. 81, a. 1, ad 1.

104. Ad rem spectat illa Ciceronis sententia (1); «Perdifficilis »et perobscura quaestio est de natura Deorum, quae et ad agnitio»nem animi pulcherrima, et ad moderandam religionem neces»saria.» Sed propius rem hanc illa Samaritana mulier attingebat (2): *Domine, video quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus ubi adorare oportet.* Christus utique eam edocuit verum ac legitimum Dei cultum, facto ipso ostendens et adprobans, illum esse per revelationem exquirendum.

Corol. Colliges, jure confixam propositionem 4^m^ Syllabi.

§ III.

Quod ipsi Societati expediat revelatio.

THESIS VI.

Societati civili secundum se, seu formaliter sumptae, multum confert revelatio.

105. Certa est atque catholicae doctrinae thesis haec. Probr. 1.° Quantum societati intersit revelatio, edocet Scriptura: *Lauda Jerusalem Dominum... qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis* (3).

2.° Hanc confirmavit doctrinam Pius IX (4): «Atque ipsius hu»manae Societatis bonum omnino postulat... pravas profligandas »opiniones. Quae falsae ac pravae opiniones eo magis detestandae »sunt, quod eo potissimum spectent, ut impediatur et amoveatur sa»lutaris illa vis, quam Ecclesia catholica, ex divini sui auctoris »institutione et mandato, exercere debet, non minus erga singulos »homines, quam erga nationes, populos, summosque eorum prin»cipes.» Item: «Ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudia»ta divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana »justitiae humanique juris notio tenebris obscuratur et amittitur, »atque materialis substituitur vis...»

3.° Societas civilis in eo finem suum habet constitutum, ut, in agendo vitam juxta virtutem, cives sibi mutuo opem praebeant; ut dilucide tradit S. Thomas (5): atqui ad vitae honestatem multum confert revelatio, ut ostendimus, (Th. IV, n. 95); ergo et ad societatem...

---

(1) De natura Deorum.—(2) Jo. IV, 19.—(3) Ps. 147, vv. 1, 19, 20.—(4) Encycl. *Quanta cura.*—(5) De regim. princ. l. 1, c. 14.

4.° Ad pacem inter cives multum valet revelatio: ergo et societati multum prodest. *Ant.* prob. Pax definitur, tranquillitas in ordine, Atqui revelatione non parum ordo firmatur: etenim inest ordo, cum omnes finem verum agnoscunt et in illum feruntur; atqui multum ad hoc expedit, ut dictum est (ibid.), revelatio; ergo et ad vitam civilem.

106. Obj. Regenda est societas morali universali. Atqui revelatio pluribus gentibus est ignota; ergo nihil prodesse potest societati revelatio.

Resp. 1.° retorquendo argumentum. Atqui docet moralis universalis, Deo loquenti et revelanti adhibendam fidem et obsequendum; ergo revelatione duci debet societas.

Resp. 2.° dist. *maj.* Societas regi debet morali universali, id est, quae sit universalis *jure;* conc. Quae *facto* universalis existat; nego. *Factum* enim *juri* subest, non contra: quae autem regula vigeret honestatis, si primum spectandum foret, utrum ubique *facto* valeret?

Resp. 3.° Dist. *min.* Revelatio est pluribus ignota *facto;* conc. *Jure;* nego.

107. Inst. Nisi regatur tantum societas morali reapse universali, cogentur multi agere contra conscientiam: atqui conscientiae cujusvis est debita reverentia; ergo.

Resp. 1.° putant anarchici, potestatem omnem civilem esse tyrannidem; socialistae censent, privatorum proprietatem esse rapinam; volunt epicurei usum promiscuum foeminarum, etc., etc. Ergo omnia concedenda omnibus, ut conscientiae cujusque prospiciatur.

Resp. 2.° Dist. *maj.* Cogentur contradicere conscientiae *rectae;* nego. *Erroneae,* quam, proinde deponere tenentur; conc. vel potius, nego suppositum: non vere et proprie *cogitur* is, qui ad agendum secundum rationis dictamen obligatur et inducitur.

108. Inst. 2.° Aliqui cives, vel mentis obtusae vel praejuciis obcaecatae, revelationem divinitus factam non intelligent; vel forsan aliam se accepisse oppositam revelationem sentient. Atqui nequeunt isti constringi revelatione quam non agnoverunt: ergo coactio fiet illorum conscientiae.

Resp. Dist. *conseq.* Fiet *coactio vera;* nego *consequentiam.*

Coactio fiet *existimata* juxta corum obcaecatam mentem; conc. Proinde, tenentur ejusmodi cives, vel errorem deponere, vel é civili consortio recedere; praevalet enim bonum commune bono privato, et aequum est membrum amputari, ut corpus valeat.

109. Inst. 3.° Accidere potest, magnam civium multitudinem ea mentis obcaecatione laborare. Atqui tunc induci nequeunt ad hoc,

ut vel errorem deponant vel a civili recedant consortio; ergo neque expediet cives revelationi subjicere.

Resp. dist. *min.* Induci nequeunt *per se,* seu defectu juris; nego *min. Per accidens*, nempe, ne pejora incurrat societas mala, si contra jus fasque rebellaverint omnes errore obcaecati; conc. Scilicet, nonnumquam tolerandum est in corpore putridum membrum, si mors ex amputatione secutura sit; cum hac tamen exceptione, ut quantum valeas, quantumque possis malum eradicare coneris.

Coroll. Dictis in Thesi conferas Prop.^{m} 3 Syllaby, jure a Pio IX reprobatam.

§ IV.

Quod universim convenientissima existat revelatio.

THESIS VII.

Revelatio divina per se Deo gloriosissima, hominibus honorificentissima atque utilissima simul existit.

110. Propositio est theologice certa et evidens.

Probr. 1.° ex propheta supra (n. 105) allato: *Lauda Jerusalem...*

Quod Apostolus confirmat (1): *Quid ergo amplius Judaeo est?... multum per omnem modum. Primum, quia credita sunt illis eloquia Dei.* Et S. Petrus (2) ait: *Vobis igitur honor credentibus... vos genus electum, regale sacerdotium, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocabit in admirabile lumen suum.*

2.° Quod homines edocere supremum ac ineffabile Numen dignetur, summam Dei ostendit bonitatem, summeque homines honorat. Atqui revelatione homines a Deo edocentur, uti testatur Isaias: (3) *Ponam universos filios tuos edoctos a Domino.*

3.° In revelatione splendent praeter bonitatem, sapientia quoque Dei et omnipotentia; scilicet, per ea signa quibus se loqui Deus manifestat. Sed ejusmodi divinorum attributorum splendor Deum gloriosum exhibet, hominem erigit ac perficit; ergo.

4.° Fide homines Deo plenum praebent mentis obsequium, et summae adhaerent veritati. Atqui apertum est, id in Dei cedere gloriam, et hominis honorem atque utilitatem; ergo ad haec ducit revelatio.

111. 5.° Haec Augustini firmemus testimonio (4); «Subjicia-

---

(1) Rom. III, 1.—(2) 1.ª Petri, II, 7.—(3) LIV, 13.—(4) De Agon. christ. l. 1. c. 14.

»mus animam Deo, si volumus servituti subjicere corpus nostrum, »et de diabolo triumphare. Fides est prima, quae subjicit animam »Deo, deinde praecepta vivendi. Cum enim cognitio et actio beatum »hominem faciant, sicut in cognitione cavendus est error, sic in »actione cavenda est nequitia... Itaque priusquam mens nostra pur»getur debemus credere quod intelligere nondum valemus; quoniam »verissime dictum est per prophetam (1); *Nisi credideritis, non in»telligetis.*»

112. Obj. Is, qui fide ducitur contemptor est rationis, qua ad Dei imaginem homo conditus fuit: sed hoc et Deo injurium et homini probrosum dicendum; ergo.

Resp. cum Augustino (2): «Absit ut hoc in nobis Deus oderit, »in quo reliquis animantibus excellentiores creavit. Absit, inquam, »ut ideo credamus, ne rationem accipiamus sive quaeramus; cum »etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus. »Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinenti»bus, quas ratione nondum percipere valemus, sed aliquando vale»bimus, fides praecedat rationem, qua cor mundetur ut magnae »rationis capiat et perferat lucem; hoc utique rationis est.» Et alibi (3): «Quamvis juberet te illud credere quod non potes videre, »non tamen te dimisit nihil videntem, unde possis credere quod »non vides.» Quo Augustini sensu, ait etiam S. Thomas (4): «Non enim crederet nisi videret esse credenda; vel propter eviden»tiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.» Vide et Clementem disserentem supra (nn. 77, 78).

ARTICULUS II.

De iis quibus proxime, et quasi a posteriori, arguitur, revelationem a Deo factam.

PRAENOTANDA.

113. I. Revelatio in quadam locutione, seu testificatione, posita est, ut dictum supra, (n. 36): locutio autem potest a loquente oriri mediate vel immediate, quatenus signa, quibus perficitur, uno vel altero modo ab illo procedunt; sic antiqui scriptores nobiscum non nisi mediate loquuntur, cum signa ista, quibus eorum intelligimus mentem, ab iisdem non fuerint exarata.

II. Item, qui loquitur, potest vel per se ipsum, vel per alium lo-

---

(1) Is. VII, 9.—(2) Ep. 120, n. 3.—(3) Serm. 126, de verb. Evang. 30. V.—(4) 2, 2, q. 1, a. 4, ad 2.

qui, cui nempe vicem commisit ut nomine et auctoritate illius loquatur. Hoc passim inter homines fieri, notissima res est: sic rex per ministrum, dux per submissum legatum imperant ac loquuntur.

III. Signa, quibus perficitur locutio, seu revelatio, non tantum cum re dicta, seu revelata, connecti necessum est, sed etiam cum revelante: etenim locutio interponit, ut audiens assensum praebeat, loquentis auctoritatem; ergo debent locutionis signa connexionem aliquam cum loquente exhibere.

IV. Proinde ut divina fiat revelatio, sigilla aliqua divinitus facta, quibus Deum loqui intelligere valeamus, praelucere debent. Dupliciter intelligi potest, utrum signum aliquod divinitus adhibeatur; positive, vel negative: *negative* intelligetur, si quicquam, quod Deum dedeceat, signum praeseferat; scimus enim summe sanctum, sapientem, perfectum Deum existere: *positive* elucebit, si eam sigillum praeseferat sapientiam, virtutem et perfectionem quae terminos superent creaturarum: sic miracula, quae Dei commendant potentiam; prophetiae, quae divinam sapientiam; opera moralia et doctrina, quae sanctitatem ostendunt, hisce sigillis connumerantur.

§. I.

De Miraculi possibilitate.

THESIS VIII.

Est duplex in rebus ordo; generalis et particularis: non potest Deus praeter ordinem facere universalem; sed valet praeter particulares agere naturae ordines.

114. I.ª Pars probr. vel potius explicatur. Plurium ad invicem conveniens proportio, ordo dicitur: atqui existit in rebus causa universalis et prima, ad quam res omnes, sive effectus sint, sive causae, habere proportionem tenentur; ergo generalis in rebus existit ordo.

Ad ejusmodi respicit universalem ordinem propheta dicens (1): *Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia fecisti... Omnia quaecumque voluit Dominus fecit in coelo, in terra, in mari, et in omnibus abyssis;* et Sapiens (2): *Attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (3): *Misereris omnium, quia omnia potes... Diligis enim omnia quae sunt, et*

(1) Ps. 103, 24 et Ps. 134, 6.—(2) Sap. VIII, 1.—(3) XI, 24.

nihil odisti eorum quae fecisti, nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti... (1): *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!... Quis enim dicet tibi, quid fecisti? aut quis stabit contra judicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit si perierint nationes, quas tu fecisti? Non enim alius est Deus quam tu, cui cura est de omnibus.*

115. II.ª Pars ostenditur. Particulares existere ordines rerum. ipsa docet experientia. Res enim materiales suis reguntur legibus. quarum plurimas novimus omnes, remotiores autem a sapientibus inquiruntur. Sic motus planetarum certis regulis subjiciuntur; sic aquae, ignis; sic commixtio elementorum et transmutatio; diversa animantium et plantarum genera propriis et permanentibus ducuntur instinctibus, et gradiuntur, declinantque processibus. Quid? Homines quoque, etiamsi libertate donati, non corpore solum, quippe quod legibus rerum materialium constringitur, sed etiam mente ordinem sibi constitutum persentiunt. Intellectus enim certis principiis ac ratiocinii regulis ad finem suum, in veritate positum. compellitur: voluntas autem, nisi quod bonum est, amare non potest; et si ab honestate deflectat, continuo conscientiae stimulis laniatur, et ad rationis redire regulam perurgetur. Nationes etiam suis ubique subsistunt legibus, et ad invicem jure quodam communi ac necessario colligatas esse, velint nolint, fatentur.

116. III.ª Pars prob. Quamvis, certe, probatione nulla haec pars indigeat: nam ordo rerum universalis in subjectione ad primam Causam, omnia regentem, reponitur. Atqui non potest Deus quicquam contra suam gubernatricem sapientiam moliri vel intendere: est enim essentialiter in cogitando sapiens, rectus et sanctus in volendo, indefectibilis in agendo: ut supra concedendum esse (n. 2.) diximus.

Ad rem Augustinus (): «Contra illa m vero summam natu»rae legem a notitia remotam, sive impiorum, sive adhuc infirmo»rum hominum, tam Deus nullo modo facit, quam contra se ipsum »non facit.»

117. IV.ª Pars statuitur. Particularis ordo in rerum proportione ad suas peculiares causas intelligitur. Atqui Deo, primae et universali causae, est ejusmodi proportio subjecta et nullatenus necessaria; ergo praeter hunc particularem ordinem Deus agere potest. *Min.* prob. Proportio, qua connectuntur res singulae ad suas particulares causas, est quid complexum, ex multiplici exurgens elemento; nempe, ex entitate rerum ipsarum, ex entitate etiam causa-

(1) XII, 1. 12. 13.—(2) Contra Faust. p. 26, 3.

rum, ex fundamentis quoque connexionis ad utrumque terminum pertinentibus; scilicet, a parte causarum, actio virtusque agendi; è parte effectuum, passio, aptitudoque patiendi. Atqui omnia ista, et eorum singula, primae subjiciuntur causae, neque ei necessaria existunt; ergo Deo, primae causae, etc.

Min. patet. Etenim a prima causa causae secundae omnes et esse habent, et virtutem, et ipsum agere, cum nequeant quicquam efficere nisi illa cooperante: pariter effectus omnes esse habent a causa prima, et pati et patiendi virtutem, seu aptitudinem. Neque ista sunt primae causae necessaria: utpote infinitae et independenti et retinenti eminenter in se ipsa omnem causarum secundarum virtutem ad agendum; et cujuscumque dispositionis vim ad patiendum. Hinc potest Deus, quoslibet causarum secundarum impedire effectus, si illis virtutem auferat, vel deneget, quod fere in idem recidit, cooperationem; aut, sin minus, materiae subjectae patiendi dispositionem tollat, imminuat, obtundat. Potest etiam Deus, cum vel sine causis aliis, quidquid placeat perficere, cum vim habeat causa prima innatam ad omnia quae causae secundae possunt, pluraque sine fine.

118. 2.° Concilium Vat. (1) docet, quaedam perfici «facta divina, quae Dei omnipotentiam luculenter commonstrant.» Atqui nisi ageret Deus praeter particulares ordines, et causarum secundarum virtutem, nulla forent Dei omnipotentiam demonstrantia facta; ergo potest praeter particulares agere ordines rerum.

119. Augustinus (2) docet quaedam vi occulta fieri: «De qui»bus non redditur ratio, nisi, ut dicatur, hanc eorum esse naturam. »Brevis sane ista est ratio, fateor, sufficiensque responsio.» Scilicet, ejusmodi è causa nobis occulta, naturali tamen, procedunt: alia autem facta aliter fiunt, ac de his subdit: «Sed cum Deus auctor sit »naturarum omnium, cur nolunt fortiorem nos reddere rationem, »quando aliquid velut impossibile nolunt credere, eisque redditio»nem rationis poscentibus respondemus, hanc esse voluntatem om»nipotentis Dei?» Unde patet, superare facta ejusmodi secundarum causarum virtutem: quo pacto autem id accidere possit, ipse explicat Augustinus. «Sicut ergo non fuit impossibile Deo, quas vo»luit instituere, sic ei non est impossibile in quidquid voluerit, »quas instituit, mutare naturas.»

120. Angelicus D. paucis nostram dilucide exponit thesim: «A qualibet causa, ait (3), derivatur aliquis ordo in suos effectus, »cum quaelibet causa habeat rationem principii; et ideo secundum

(1) Const. *Dei Filius*, c. III. — (2) De Civit Dei, l. 21, c. 7, et c. 8. — (3) 1, q. 105, a. 6.

»multiplicationem causarum multiplicantur et ordines, quorum »unus continetur sub altero, sicut et causa continetur sub causa. »Unde causa superior non continetur sub ordine causae inferioris, »sed è converso. Cujus exemplum apparet in rebus humanis; nam »ex patre familias dependet ordo domus, qui continetur sub ordine »civitatis, qui procedit a civitatis rectore, cum et hic contineatur »sub ordine regis, a quo totum regnum ordinatur. Si ergo ordo re»rum consideratur prout dependet a prima causa, sic contra rerum »ordinem Deus facere non potest; si enim sic faceret, faceret contra »suam praescientiam, aut voluntatem, aut bonitatem. Si vero con»sideretur rerum ordo prout dependet a qualibet secundarum cau»sarum, sic Deus potest facere praeter ordinem rerum; quia ordini »causarum secundarum ipse non est subjectus: sed talis ordo ei »subjicitur, quasi ab eo procedens, non per necessitatem naturae, »sed per arbitrium voluntatis. Potuisset enim et alium rerum ordi»nem instituere. Unde et potest praeter hunc ordinem institutum »agere, cum voluerit; puta, agendo effectus secundarum causarum »sine ipsis, vel producendo aliquos effectus, ad quos causae secun»dae non se extendunt.»

121. Obj. in III^m^ partem. Particulares rerum ordines in natura causarum secundarum nituntur. Atqui nulla potest res permanere, ejusdem non manente natura; ergo nullus particularis rerum ordo mutari a Deo potest, nisi iisdem rebus sublatis.

Resp. dist. *maj*. Nituntur, quasi ejusmodi ordines naturam rerum intrinsece constituant, vel positi sint juxta naturae rerum exigentiam; conc. Nituntur, ita ut *intrinsecus* ad rerum naturam semper spectent; nego *maj*. Et inde dist. *min*. Nulla potest res permanere, non permanenti illius natura quoad ejus *intrinseca;* conc. Quoad ea quoque quae extrinsecus exigit, nego *min*.

Ad *consequens* patet, ex dictis, quid dicendum. Non potest sane rerum ordo in iis mutari, quae earum naturam *intrinsecus* constituunt, nisi iisdem sublatis rebus; si animam enim a corpore sejungas, homo non erit; ideo factum est diluvium, omnibus deletis impiis; et pari modo delebitur, cum suis, Antichristus, adventante Christo: si autem Deo jubente, sol sistat, vel sursum grave corpus ascendat, vel mortuus homo reviviscat; neque solis, neque corporis, neque animae deficiet essentia, seu natura, neque existentia.

122. Obj. in IV^m^ partem. Ordo particularis, seu proportio causarum secundarum ad suos effectus, innititur ordine universali, seu in proportione rerum omnium ad primam causam; ergo si non potest Deus praeter ordinem facere universalem, neque praeter ordinem agere valet particularem.

Resp. dist. *ant*. Innititur ordo particularis universali, idque con-

nexione hypothetica; conc. Ex connexione absoluta; nego *ant.* Dein, dist. *conseq.* Neque praeter ordinem valet Deus agere particularem cum universali absolute connexum; conc. *consequentiam;* hypothetice tantum connexum; nego. Scilicet, cum Deus in tempore res creare ab aeternitate decrevit, voluit quemlibet illarum ordinem *absolute* connexum cum universali, seu cum dependentia a Creatore; quoad ordines autem particulares non eo modo connexos, «Deus ait S. Th., sic rebus certum ordinem indidit, ut ta»men sibi reservaret quod ipse aliquando aliter ex causa esset »facturus. Unde cum praeter hunc ordinem agit, non mutatur (1).»

§ II.

De miraculi natura.

THESIS IX.

Non est reponendum miraculum in operatione sensibili, quae excedens spectatoris captum, cursui naturae creditur contraria, ac proinde divina.

123. **Nota.** Nonnullis catholicis scriptoribus, at potissimum rationalistis, adversa est thesis ista. Nam, licet non eâdem de causa, in eumdém tamen naturalistae et catholici aliqui consenserunt errorem; scilicet, miracula non esse supra naturae leges posita: illi quidem, quod nulla existat virtus vi naturam superans; hi autem, quod, ut illis videtur, non expediat naturae leges immutari, seu exceptioni subjicere. Unde ajunt catholici isti; Deum (non enim negant rectorem esse et dominum naturae, ac posse eam immutare, funditusque etiam evertere), cum conderet ab initio naturam legesque eidem poneret, abscondidisse simul causas et leges quasdam nobis occultas, è quibus connaturaliter facta ista insolita, quae miracula appellantur, procedunt. Providit quidem Deus, ajunt conciliatores isti catholici, ut occultae istae leges tunc in suos prodirent effectus, cum fides est confirmanda, vel alicujus sanctitas ostendenda, etc.

Haec videntur isti excogitasse, ut morem gererent naturalistis, caputque demulcerent; at incassum laborant: neque enim illis placere queunt, nisi totam iis prodant catholicam veritatem.

124. Prob. thesis 1.° Non intelligo, quo pacto possit cum Vat. Concilii doctrina stare opinatio ista. Uti vidimus (n. 118), docet; «quaedam perfici facta divina, quae Dei *omnipotentiam* lucu-

(1) 1, q. 105, a. 6, ad 3.

»lenter commonstrant.» scilicet, miracula. Atqui si facta ista a causa procedant naturali, etiamsi occulta, Dei non ostendunt omnipotentiam; objective enim et quoad substantiam nec petunt, nec habent altiorem, quam reliqua naturae opera, originem; doctrinae ergo catholicae adversatur haec operis miraculosi explicatio.

125. 2.° Potentiam Christi confessus quidam est dicens (1): *Domine, si vis, potes me mundare;* et Christus confessionem hanc confirmavit: *Volo, mundare.* Ergo non ex lege aliqua occulta naturae illa fiebant miracula, sed ex manifesta Christi potentia. His concinunt testimonia alia (2): *Dedit illis* (Christus) *potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem.* Atqui si vires occultae, ad naturam ipsam spectantes, eos inducebant effectus, inanis ac ficta reputabitur potentia ista Apostolis tradita; quemadmodum si cui diceretur; «tibi potestatem damus faciendi eclipsim, vel terremotum.» cum nempe ejusmodi debent ex naturae legibus accidere.

126. 3.° Absurde a viribus naturae corporeae opera moralia ac spiritualia repeteres. Atqui miracula plurima hujus generis sunt; ergo nequeunt è legibus occultis naturae deduci.

Min. aperte patet. Apparitiones Jesuchristi et Angelorum, interna Apostolorum innovatio ceterorumque fidelium per Sp. Sanctum, infusio scientiae et linguarum, aliorumque spiritualium charismatum, effectus sunt ad moralem et spiritualem ordinem pertinentes.

127. 4.° Catholicos istos percontabimur: ¿utrum praestituerit Creator legem, qua nullus hominum vires illas occultas, è quibus procedere miracula fingitis, noscere valeat, iisque pro libitu uti; vel e contra? Si primum asseritis; fateri necessum est, eos qui operibus utuntur miraculosis, supra naturales suas agere vires, et praeter universalem naturae legem: si, è contra, negatis; nulla manet operibus miraculosis probandi vis, ideoque a perpetuo et universali receditis Ecclesiae sensu, et dogmate a Vaticano Conc. definito (3). Proinde vel sibi contradicit, vel fidei adversa est opinatio ista.

128 5.° Vat. Synodus vim probandi, quae miraculis inest, ab eo deducit et explicat, quod sint facta divina, adeoque Dei omnipotentiam monstrantia. Sed si ponas perfici miracula viribus ipsius naturae, etsi occultis, nihil reapse divini praeseferunt, nisi quod omnibus inest naturae factis. Nam, illud, quod nos causa facti lateat; numquid *divinum quid* esse putabis? Quod si adeo

---

(1) Matth., VIII, 2, 3.—(2) Matth., X, 1.—(3) C. *Dei Filius*, can. 4, de Fide.

velis desipere, ut id putes; num ista tua *divina* ignorantia, qua laboras, quaeque in te, non autem in facto, existit, divinitatem ipsi facto poterit conciliare?

Insuper; ¿nonne pene infiniti sunt naturae motus vel effectus, quorum nescimus causam, et aliqui sane frequentissimi, alii autem perrari? quos tamen nemo, sui compos, divinos esse existimavit. Et sane, hoc unum dici de hisce factis potest, ut notat Augustinus (supra, 119): *hanc eorum esse naturam*. ¿Quid ergo in miraculis elucet, praeter *factum*, quod vobis est naturalis virtutis, et praeter *ignorantiam*, nostrae mentis vitium, non autem miraculi excellentia, ut divinum dici debeat?

129. 6.° Nisi tot huic opinationi gravissima obstarent argumenta, exinde illam saltem rejiceremus, quod communi PP. et DD. catholicorum refragetur sententiae, imo et christianorum omnium sensui. Unde ait S. Th. (1): «Miraculum dicitur »quasi admiratione plenum, quod scilicet habeat causam simplici»ter occultam. Haec autem est Deus.» Et rursus: «*Arduum* dicitur »miraculum... quia excedit facultatem naturae. Similiter etiam »*insolitum* dicitur, non quia frequenter non eveniat, sed quia est »praeter *naturalem* consuetudinem.» Vide et Augustinum (2).

130. Obj. 1.° Si non fuerit in ipsis naturae legibus virtus operis miraculosi, puta, sanatio infirmi, resurrectio mortui; contra exigentiam legum naturalium introducuntur opera ejusmodi in mundum. Sed quod opponitur ordini naturali, seu naturae, et Dei sapientiae opponitur; ergo virtute naturae debent miracula fieri.

Maior perspicua videtur: nam qui miraculi ope sanatur vel resurgit, debebat, juxta causas legesque naturae, infirmus esse et mortuus; ergo contra exigentiam fiunt naturae.

Min. etiam stat: ordo enim naturalis è Sapientia divina emanavit, quae numero, pondere et mensura cuncta disposuit.

Resp. Dist. *maj.* Introducuntur miracula contra exigentiam *absolutam* legum naturae; nego *maj.* Contra *respectivam* et *conditionatam* exigentiam; conc. Deinde, converso sensu, distincta *minore;* neganda *consequentia.*

Leges naturae, seu vires (perinde est quidquid dicas) a Creatore et esse et permanere et agere habent; proinde potius *a se* postulant (negative) non esse, non permanere, non agere, quam aliud. Consequenter, si ex Creatoris voluntate vires naturae aut non sint, aut non permaneant, aut non agant: id juxta ipsarum virium naturam et exigentiam absolutam fiet, non vero contra: è

---

(1) 1, p. q. 105, a. 7.—(2) De Civit. Dei, l. V, c. 16, et q. 110, a. 4, ad 2.m

converso si a Creatore et sint ejusmodi vires et permaneant et agant; suos tunc connaturales respiciunt effectus, qui, nisi fierent, contra legum naturae exigentiam deficerent. Igitur cum efficiuntur a Deo miracula, ea fiunt opera quae non exigunt, si solae agant, vires naturae; ea impediuntur, quae exigerent eaedem vires, si agerent: hac de causa dicuntur miracula legibus naturae adversa, scilicet, respective et conditionate: nequeunt autem absolute contraria vocari.

Ad haec videntur verba Augustini referenda (1): «Deus au»tem Creator et Conditor omnium naturarum, nihil contra natu»ram facit; id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, a quo »est omnis modus, numerus, ordo naturae... Sed contra naturam »non incongrue dicimus, aliquid Deum facere, quod facit contra id »quod novimus in natura. Hanc enim etiam appellamus naturam; »cognitum nobis cursum solitumque naturae; contra quem Deus, »cum aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur.» Id quoque paucis, ut solet, edocet S. Thomas (2).

131. Obj. 2.° Ad operis pertinet perfectionem, quod ad scopum quo tendit sufficiat, nec debeat extrinsecus ad id compleri. Atqui Dei perfecta sunt opera; ergo leges naturae nullam externam ac supernaturalem desiderant virtutem pro hominum utilitate, cui, Deo providente, fuere constitutae.

Resp. Dist. *maj.* Quod sufficiat opus ad sibi connaturalem scopum; conc. Quod ad alium etiam sufficiat celsioris ordinis; nego *maj.* Miracula quidem ob Dei gloriam et hominis inducuntur utilitatem, positam tamen ultra illos terminos ad quos naturalis pertingit ordo.

THESIS X.

Miraculum absolute dictum, opus est cognoscibile, a Deo factum praeter ordinem naturae.

132. **Nota.** Dicimus *absolute* dictum; id est, secundum se, et respectu omnium a quibus dignosci possit: *cognoscibile;* vel per intellectum, vel per sensus etiam, prout ferat natura operis; a *Deo factum;* id est, non a creatura, ut effectus causae in suo ordine principalis: *praeter naturae ordinem;* quia naturae ordo opus ejusmodi non exigit, vel saltem ille naturalis praetermittitur ordo, seu modus, quo fieri solet. Hinc animarum creatio, etiamsi a solo Deo fiat, non est miraculum; quia illam ordo naturalis postulat speciei con-

(1) Contra Faust. l. XXVI, 3.—(2) P. 1. q. 105, a. 6, ad 1m.

servandae: foret tamen miraculum, si, nato jam corpore, anima crearetur eique induceretur.

133. Prob. 1.° Miraculum dicitur *quasi admiratione plenum* (supra, 129). Atqui ad id necessum est, a) ut *cognoscatur* opus; tunc enim admiramur, cum effectus manifesti non elucet causa: b) ut a *Deo fiat;* aliter non est causa absolute occulta respectu omnium: c) *ut praeter ordinem:* si enim, ita praestituto ordine exigente, fieri solet, non est res mira; ut de animarum creatione dictum.

2.° Hanc miraculi definitionem confirmat Vaticana Syn. (1): ait enim, miracula esse «facta divina, quae Dei omnipotentiam lu»culenter commonstrant.» Atqui dictis concurrentibus notis, id stabit; si autem vel una desideretur, minime: ergo.

Augustinus ait, rationem et causam miraculi esse «voluntatem omnipotentis Dei, et in immutatione naturarum» compleri, (supra, 119). Eadem est Sancti Thomae, sententia, ut ex dictis (129) elucet. Jam vero, si posset virtute alicujus creatae naturae, tamquam causae in suo ordine principalis, seu connaturaliter, idem opus perfici, nulla sane subsisteret ratio dicendi, habuisse illud causam Omnipotentiam divinam.

3.° Communi hominum sensu posita definitio confirmatur. Ea namque opera miraculis adnumerantur, quae censentur cursui rerum naturalium contraria, ideoque divina: ergo, juxta commune hominum dictamen, non est verum miraculum opus consequens vires naturae occultas; ideoque auctores isti (de quibus in praecedenti Thesi) non definitionem tradunt miraculi, sed reapse illud negant.

134. Obj. 1.° S. Thomas (2) objicit sibi hanc Augustini sententiam: «Magi faciunt miracula per privatos contractus; boni »christiani per publicam justitiam; mali christiani per signa pu»blicae justitiae. Sed magi faciunt miracula per hoc quod exaudiun»tur a daemonibus. Ergo possunt daemones miracula facere.» Huic autem difficultati respondet S. D. dicens: «Miracula, simpliciter »loquendo, dicuntur cum aliqua fiunt praeter ordinem totius natu»rae creatae. Sed quia non omnis virtus naturae creatae est nota »nobis, ideo cum aliquid fit praeter ordinem naturae creatae nobis »notae, per virtutem creatam nobis ignotam, est miraculum *quoad* »*nos*.»

His positis, dico: ut sit opus quodlibet miraculum *quoad nos,* sat est quod fiat per virtutem creatam nobis ignotam. Atqui eatenus utilis esse potest miraculi definitio, quatenus per eam dignosci pos-

---

(1) Supra, n. 118.—(2) 1, q. 110, a. 4.

sit, utrum opus aliquod sit miraculum *quoad nos;* ergo non est definiendum miraculum, quod sit *praeter ordinem naturae;* sed, praeter ordinem naturae *nobis notum.*

Major ex doctrina patet SS. Thomae et Augustini. *Minor* plane evidens videtur.

Num quis panem vel aurum projiciet, si fuerint panis vel aurum *quoad nos?* E contra quisnam panem emat vel aurum, si *quoad nos* neque panis neque aurum sint, etiamsi talia fuerint *apud se?*

135. Obj. 2.° Definire miraculum sic oportet, ut inde sit hominibus, haud imprudentibus, universim dignoscibile. Atqui nequeunt homines, etsi haud imprudentes, universim dignoscere, quae opera omnem virtutem superent creatam; inepta ergo habenda tradita in thesi definitio.

Major ex eo patet, quod non fiant unice signa pro sapientibus philosophis et theologis, sed universim pro turbis et populis, ac praesertim infidelibus (1): «Turba stabat et audierat... Jesus dixit: non propter me haec vox venit, sed propter vos.» Quod plane confirmat Augustinus (2).» Oportebat quaedam miracula ipsis oculis admoveri, quibus utuntur stulti multo quam mente commodius.» Item inferius: «Homini ergo non valenti verum intueri, auctoritas praesto est: quam, ut antea dixi, partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit; miraculum voco, quidquid arduum, aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet. In quo genere nihil est populis aptius, et omnino stultis hominibus, quam id quod sensibus admovetur.»

136. *Minor* autem non ne apertissima est? Vide S. Thomae verba supra (134) laudata. Augustinus etiam ait (3): «Quid au»tem possint Angeli (transgressores) per naturam, nec possint per »prohibitionem, et quid per ipsius naturae suae conditionem face»re non sinantur, homini explorare difficile est, imo vero impossi»bile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat di»cens: *alii dijudicatio Spirituum...*» Rursus (c. X): «Quemadmodum »haec faciant Angeli, vel potius Deus per Angelos suos, et quan»tum fieri velit etiam per Angelos malos, sive sinendo, sive cogen»do... nec penetrare, nec comprehendere valeo.»

Ut gravibus hisce difficultatibus obviam eamus, aliam ponimus thesim.

---

(1) 1, Cor. XIV, 22. Marc. XVI, 29. Jo. XII, 29, 30.—(2) De utilit. credendi, n. XXXIII.—(3) De Trinit. c. IX, (vel XVIII).

THESIS XI.

137. Opera illa, quae ordinem sensibilem et corporeum virtute superant, Deo adscribenda sunt, seu Dei sunt sigillum; quodcumque igitur Deus hisce operibus commendaverit, erit adprobandum.

Nota 1.° Hanc tradunt thesim Benedictus XIV, Estius, etc. sumimusque illam ex S. Augustini sententia, nec non, ni fallimur, S. Thomae.

Nota 2.° Duobus posse scopis fieri miraculum. Primum, sine ullo respectu ad veritatem aliquam per illud confirmandam, sed solum propter alicujus utilitatem, ut ad conferendam sanitatem, impium aliquem puniendum, vel quid simile. Secundo, fit miraculum in testimonium alicujus doctrinae, ut veram esse confirmet: propterea dicitur in thesi; quodcumque igitur Deus hisce operibus commendaverit, erit adprobandum; neque enim semper id Deus intendit.

138. Prob. 1.° Tum in SS. litteris, tum in Patrum scriptis et vitis sanctorum, innumera exhibentur corporaliter facta, quae leges quidem superant mundi corporei, non tamen omnem creatam potentiam excedere dignoscuntur: atqui ejusmodi opera communi censentur consensu inter miracula Deo adscribenda; ergo non oportet ut superet miraculum virtutem omnem creatam.

Major et *minor* adeo aperta sunt, ut nulla videantur indigere probatione. Divisio maris rubri et aquarum Jordanis, nubes noctu lucens diuque obumbrans, rubus ardens nec combusta, columna ignis supra tabernaculum exurgens, per aquas firmo gradi pede, diaboli è possessis ejectio, ignis super Eliae sacrificium descendens, illudque consumens, piscium mira captura ex mandato Domini, etc., etc., vera habita semper fuere miracula: atqui opera similia omnem creatam excedere virtutem prudens quisque negabit.

139. 2.° Augustinus nostram explicite edocet thesim (1): «Exceptis igitur illis quae in rerum naturae ordine corporaliter »fiunt, sicut sunt ortus, occasusque siderum; exceptis etiam illis »quae in eodem ordine rara sunt, sicut defectus luminum, monstra... Exceptis igitur istis omnibus, quorum quidem prima et »summa causa non est nisi voluntas Dei; alia sunt illa, quae, »quamvis ex eadem materia corporali ad aliquid tamen divinitus »enuntiandum nostris sensibus admoventur, quae proprie mira-

(1) De Trin., l. 3, c. IX.

»cula et signa dicuntur.» Illa igitur sola corporalia opera inter signa et miracula non sunt adnumeranda, quae fiunt *corporaliter*, etiamsi raro, in rerum naturae ordine: proinde, quae virtute fiant ordinem sensibilem et corporeum superante, proprie miracula sunt. His plane consonat alia Augustini ipsius sententia (1): «Neque enim parva visibilium miraculorum potentia, Job cuncta »quae habebat amisit.» Atqui ab aëreis potestatibus fuisse ea miracula effecta, notat Augustinus, et Scriptura testatur. Verum haec cum supra laudatis (n. 136) Augustini verbis conferas.

140. Si autem velimus S. Thomae sequi sententiam, nullus, puto, anceps haerebit: audivimus quippe supra (134) dicentem: «Cum aliquid fit per virtutem creatam nobis ignotam, est miracu- »lum *quoad nos*.» Atqui illud Deo opus est adscribendum quod est miraculum *quoad nos:* ergo. Item, de iis agens miraculosis operibus, quae tum a Sanctis, tum a magis fiunt, differentiam tantum inter illa extrinsecam cum *Augustino* statuit (2): «Cum talia fa- »ciunt magi, qualia sancti, diverso fine et diverso jure fiunt. Illi »enim faciunt quaerentes gloriam suam, isti quaerentes gloriam »Dei; et illi faciunt per quaedam privata commercia, isti autem »publica administratione et jussu Dei, cui cuncta creata subjecta »sunt.»

141. Quoad substantiam ergo operis miraculosi, non oportet quod omnem virtutem superet creatam; *cum talia faciant Magi, qualia Sancti:* at ne Magis opus adscribi possit, illud extrinsecus accedat oportet; ut fiat à *quaerentibus gloriam Dei*, et *publica administratione* et *jussu Dei:* sed ¿numquid sancti et Angeli nequeunt *publica administratione* et *jussu Dei* opus perficere virtutem angelicam minime superans?

142. 3.° Divinae repugnat providentiae, talia hominibus exhibere testimonii sui sigilla, seu argumenta, quae ab illis discerni satis nequeant. Sed a vulgo hominum, praesertim gentilium solaque ratione utentium, discerni tantum hoc potest, an nempe superet opus aliquod leges naturae sensibilis ac corporeae; ergo. *Minor* patet; nam quid possint, quid vero non possint substantiae incorporeae, res est implicatissima, non rudibus tantum, sed sapientioribus etiam: audivimus enim quid ea de re sentiat Augustinus (n. 136). Quin imo Theologi, ac Philosophi, utrum possit creandi virtus creaturae conferri, pro utraque parte disputant; qui autem negandum id jure putant, in solida tradenda ratione laborant et inter se dissentiunt.

143. Obj. Miracula divinam debent omnipotentiam commons-

(1) De Trin., l. 3, c. VII.—(2) De Trin., l. 3, c. VII.

trare, uti supra argumentabamur (124): atqui nequit in opere aliquo divina elucere omnipotentia, nisi supra omnem creatam virtutem positum existat; non ergo satis est quod superet miraculum leges naturae corporeae.

Resp. Dist. *min.* Nisi positum sit opus vel quoad *substantiam*, vel quoad *adjuncta*, supra virtutem omnem creatam; conc. Praecise et necessario quoad substantiam debet opus superare virtutem omnem creatam; subd. Debet illam *physice* superare; nego: *moraliter* saltem; concedo. Ad rem *Augustinus* (1): «Nec ideo putandum »est, istis transgressoribus (Angelis) ad nutum servire hanc visi»bilium rerum materiam; sed Deo potius, à quo haec potestas da»tur, quantum in sublimi et spirituali sede incommutabilis judicat.» Proinde, etiamsi opus miraculosum vires non superet Angelorum, tamen, cum nequeant illud *ad nutum* efficere, sed accepta tantum a Deo facultate; patet, opus ejusmodi ex divina procedere Omnipotentia.

144. Quae autem sint adjuncta ista, in quibus nequit ab ulla creata virtute fieri opus miraculosum, expendit Suarez (2). Summa autem doctrinae est: «Pertinere ad divinam providentiam ut »non permittat aliquid falsum suo sub nomine et auctoritate ita »proponi, atque exterius confirmari, ut secundum rectam rationem »cogantur homines ad credendum illud esse dictum a Deo et assen»tiendum ea certitudine quae omnem dubitationem expellat.» (Disputat. 31, sect. 2, n. 7 in q. 44, p. 3). Verum de his infra paulo fusius.

COROLLARIUM.

145. Quae adversus Thesim X objecta fuere (nn. 134, 135) poterunt ex dictis intelligi. Vera miracula, seu signa divinitus facta, in duo sejunguntur genera: alia nonnisi virtute divina fieri queunt, quia virtutem desiderant infinitam; alia autem possunt quidem virtute perfici creata, dispensatione tamen divinitus facta, quia ab iis efficiendis creaturae prohibentur. Hanc miraculorum differentiam concedendam, ex iis quae praemisimus elucet, et possemus facile ex SS. litteris confirmare; puta, ex libro Job (3), et S. Matthaeo (4).

Ad 1^m ergo difficultatem dico; definitionem ibi datam positam fuisse ad miraculum *absolute dictum* explicandum: ideoque non erat ad ordinem naturae *nobis notum* restringenda.

---

(1) De Trinit., l. 3. c. VII.— (2) De fide, disp. 4, sect. 3, nn. 9, 10, et disp. 31 in 3.^m p. S. Th., q. 44.— (3) C. I et II.—(4) VIII, w. 31, 32.

Ad 2^m autem objectionem reponimus; non ea sola à Deo tradi hominibus signa, quae virtutem desiderent infinitam; sed alia quoque plurima, quae dominium tantum in leges naturae sensibilis et corporeae praeseferunt, ideoque ad captum omnium facilius accommodantur.

§ III.

De causa miraculorum instrumentali.

THESIS XII.

146. Potest Deus uti etiam opera daemonis ad miracula efficienda.

Nota. Deum ministerio uti Angelorum et Sanctorum ad patranda miraculosa facta, nemo dubitat: ideo de his inquirere otiosum videtur.

Prob. 1.° S. Augustinus (1) de potestate agens daemonum ait: «Neque enim parva visibilium miraculorum potentia Job »cuncta quae habebat amisit, et filios et corporis sanitatem.» Nempe, haec nocumenta, a Deo accepta facultate, daemones intulere.

2.° Occisio primogenitorum Aegypti miraculo est adscribenda, ut patet: atqui ad eam usus est Deus opera daemonis, ut tenent Abulensis, Rupertus, Hieronymus, Augustinus, etc. Praeterea, de saeva Herodis morte, de igne è coelo delapso ad preces Eliae, de flammis aemulos Moysis devorantibus, etc., inquirunt Scripturarum interpretes, utrum operam daemonis Deus adhibuerit ad ea perficienda miracula.

3.° Diaboli vires Deo sunt subjectae, et quaevis creatura ad nutum Dei paret: ergo potest Deus iisdem uti ad prodigia efficienda.

Dices: miracula ad Dei gloriam et hominum tendunt utilitatem: sed diabolus ejusmodi aversatur; ergo nequit miraculis cooperari.

Resp. Aliud est ad opus concurrere, aliud ad finem operis; unde dist. *conseq*. Nequit diabulus cooperari miraculis eadem Dei fine; conc. Diverso fine, vel mere coactus Dei imperio; nego.

THESIS XIII.

147. Per pravos homines potest Deus miracula efficere.

1.° Manifeste colligitur ex thesi nuperrime posita: si namque potest Deus opera daemonis uti, et poterit pravum hominem adhibere miraculis efficiendis.

---

(1) L. 3, de Trin., c. 7 (vel 12, 13).

2.° Balaam et Saul, dum peccatores essent, prophetarunt, et Caiphas etiam in Novo Testamento: poterant ergo et alia signa efficere. Ad diem judicii, quibusdam, qui olim et daemones ejecerunt et plurima alia fecere signa, dicet Christus (1): *Numquam novi vos; discedite a me.*

3.° Augustinus (2) id perspicue confirmat; «Aliter Magi fa»ciunt miracula, aliter boni christiani, aliter mali.» Et exponens Matthaeum (3) ait: «Miracula fiunt? Non solum boni faciunt et »mali, sed aliquando non faciunt boni... Quae est ergo vestis nup»tialis? Charitas.» Lucide Hieronymus eumdem exponens Matthaei locum (c. VII); «Prophetare et virtutes facere et dae»monia ejicere, interdum non est ejus meriti qui operatur, sed vel »invocatio nominis Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum »qui invocant, et utilitatem eorum qui vident et audiunt concedi»tur; ut licet homines despiciant signa facientes, tamen Deum ho»norent, ad cujus invocationem fiunt tanta miracula. Nam et »Saul et Balaam prophetaverunt, nescientes quid dicerent; et »Pharao et Nabuchodonosor somniis futura cognoscunt; et »in Actibus Apostolorum filii Scevae videbantur ejicere »daemonia. Sed et Judas Apostolus, cum animo proditoris, »multa signa inter ceteros Apostolos fecisse narratur.»

4.° Rationem, qua etiam sceleratis ejusmodi traditur potestas, exhibet Augustinus (ibid.): «Admonet itaque ut intelligamus, »quaedam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia Sancti »facere non possunt: nec tamen ideo potioris loci apud Deum esse »arbitrandi sunt... Sed ideo non omnibus Sanctis ista tribuuntur, »ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi existimantes, in tali»bus factis majora dona esse quam in operibus justitiae, quibus »aeterna vita comparatur. Propterea Dominus prohibet hinc gaude»re discipulos, cum ait: *Nolite in hoc gaudere.*»

THESIS XIV.

148. Nequeunt daemonia, proinde neque scelerati homines, subvertendo naturae ordinem hominibus nocere, nisi facultatem a Deo suscipiant.

1.° Docemur ex Vet. Test. (4), nullum potuisse nocumentum beato Job diabolum inferre, nisi quatenus illi Deus concedebat. Item, ex Nov. Test. patet, neque potuisse daemones Gerasenorum porcos invadere, nisi venia a Christo impetrata (5). Quod perpendens S. Gregorius (6) ait: «Ex qua re etiam hoc colligi-

(1) Matth. VII, 22. — (2) Lib. LXXX, QQ. q. 79. — (3) De Verb. Matth. Serm. 90, n. 5.—(4) Job. c. I et II.—(5) Matth. VIII, 31.—(6) Dial. l. 3, c. 21.

»tur, quod, absque concessione omnipotentis Dei, nullam malignus »Spiritus contra hominem potestatem habeat, qui in porcos intrare »non potuit nisi permissus.»

2.° Hieronymus (1) ait: «Daemones assidentes idolis saepe »mala fecerunt, sed nisi concessa iis fuisset potestas a Deo, hoc fa»cere non possunt.» Ipse in Matthaeum (2): «*Mitte te deor*»*sum*... Vox diaboli qui semper omnes cadere deorsum desiderat: »*mitte*, inquit, *te deorsum;* persuadere potest, praecipitare non »potest.»

Augustinus (3) consentit: «Nec ideo putandum (nempe, ob »mala Job immissa) est, istis transgressoribus ad nutum servire »hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius a quo haec po»testas datur quantum in sublimi et spirituali sede incommutabilis »judicat.» Et alibi (4): «Nec ipse ergo (diabolus) potest habere ali»quam potestatem nisi permissus... Permittitur autem aut ad poe»nam nostram, aut probationem.»

149. S. Thomas (5) ostendit, ex Dei tantum permissione posse daemones nocere, laudans hanc Chrysostomi sententiam: «Per»misit daemonibus in porcos ire, non quasi a daemonibus persua»sus; sed primo quidem, ut instruat magnitudinem nocumenti dae»monum qui hominibus insidiantur; secundo ut omnes discerent »quoniam nec adversus porcos audeant aliquid facere, nisi ipse con»senserit.» Haec Chrysostomus, et subjicit S. Thomas: «Et »propter easdem etiam causas permisit eum qui a daemonibus libe»rabatur, ad horam gravius affligi.» Ad rem quoque Hieronymus (6). «Aliud quoque signum est, idola deos non esse, quod nec »bene possint facere, nec male. Non quod idola, vel daemones assi»dentes idolis mala saepe non fecerint; sed quod nisi concessa eis »fuerit potestas a Domino, hoc facere non possint.»

150. D. Eximius paucis quid in hac re tenendum absolvit (7): »Observandum est, aliud esse loqui de potestate Angeli (ut sic di»cam) absoluta: aliud vero de hac potestate, ut divinae voluntati »subjecta, ejusque obligationibus alligata. Priori modo fatendum »est, posse Angelos multa, ex his, quae in argumento sumuntur, »efficere, et alia plura. Possent enim Angeli, si nudam facultatem »naturalem spectes, animalia occidere, arbores eradicare, montes »transferre, et similia, quae per violentum motum localem fieri »possunt. Posteriori autem modo non possunt. Et ideo cum ordo »universi certis Dei legibus definitus sit, simpliciter universi ordi-

---

(1) In Isai. l. 12, c. XLI, v. 23. — (2) C. IV, v. 6. — (3) De Trinit. l. 3, c. 7. — (4) Enarr. II in ps. 26, 5. — (5) P. 3, q. 44, a. 1, ad 4. — (6) In Isai. c. XLVI, v. 23.—(7) De Ang. l. 4, c. 27, 6.

»nem invertere non valent. Nam sancti Angeli divinis ordinationi»bus ad nutum parent, nec eis discordare possunt, aut volunt. Mali »autem Angeli, quamvis eis retistere cuperent, non valent; et ideo »tantum nocere possunt, quantum eis permittitur, ut Augusti»nus, notat, l. 3. de Trinit. c. 7. et sequentibus... De quo videri »potest Augustinus, l. 2. de Civit. Dei. c. 23; et l. 7. c. ulti»mo; et l. 18. c. 18; et Cyprianus, l. 3. ad Quirinum, c. 80; »et in epist. 75, quae est Firmiliani ad Cyprianum; et l. »de *Orat. Domin.* circa illam petitionem. *Ne nos inducas;* et Gui»lielmus Parisiensis, in 2.ª parte de *Universo.*» Haec eruditissimus, Eximiusque Doctor.

Quae autem in thesi dicta sunt, conferas cum iis supra traditis, nn. 134, 135.

151. Dices 1.° haud magni videtur faciendum quod in hac statuitur thesi: non enim in iis solis operibus, quibus naturae subvertitur ordo, locum habere deprehenditur quod absque Dei permissione fieri nequaquam possint; sed in ceteris quoque, puta, blasphemare, occidere, etc. Quid enim, nisi Deo permittente, fieri unquam potest?

152. Resp. Dupliciter potest opus quodcumque a Deo sini: vel ita, quod communi lege cuivis volenti permittitur, exceptione autem nonnumquam opus impeditur; uti cum nequiverunt Nazareni Christum e monte in praeceps mittere: vel sic, quod universim non conceditur, sed adhibita tantum ad singulos casus dispensatione. Hoc igitur sensu procedit Thesis, ut proposita suadent argumenta.

153. Dices 2.° Testes existunt Missionarii, qui inter infideles Christum enuntiant; multum spiritus nequam adversus paganos praevalere, eosdemque gravissimis afficere molestiis, quibus, suscepto Baptismo, liberantur. Ergo lege quadam generali possunt spiritus maligni ordinem transgredi naturae.

154. Resp. Nego sequelam. Etenim potius traditam in thesi doctrinam roborat ista Missionariorum experientia: non enim naturalem ordinem consequitur tyrannica illa diaboli in paganos potentia, sed peccatum originis, quo diaboli servi facti fuerunt: inde et cessat servitus ista suscepto Baptismate; gratia autem legibus non derogat naturalibus. Temporalis igitur, provisoria, peccati sigillum dicenda illa nocendi licentia, ideoque et miraculosa; etiamsi, propter molestiarum frequentiam, potentiam illam paganus non admiretur.

SCHOLION.

155. Post dicta, videtur, quaestioni illi concedendum locum; utrum cum, praeter ordinem naturae sensibilem, pravi spiritus per se immediate, vel per magos, quos *Medium* nunc dictitant, mira aliqua efficiunt, dicere oporteat, *miracula fieri?* Ratio favere videtur; quia dum Angeli, vel viri sancti miracula operantur, non sunt in ejusmodi operatione nisi Dei instrumentum: cum ergo simpliciter dicamus, illos tunc miracula patrare; quid obstat quominus et de daemonibus similia agentibus idem dicamus? Unde et Augustinus, ut vidimus, miracula appellat ejusmodi diaboli opera (n. 146). Tamen negant Estius et Benedictus XIV, ejusmodi diaboli opera miracula dici debere; quo sane non videntur sibi satis constare: numquid non definiunt ipsi miraculum; «Opus sen»sibile vires superans sensibiles ac corporeas?»

156. Videtur igitur quaedam adhibenda distinctio. Opera ista mira et diabolica possunt sub duplici perpendi respectu; altero ad Deum, quatenus ab eo juxta sapientissimam ordinantur et dispensantur providentiam; et ad diabolum altero, quatenus ipse ea exsequitur opera. Jam vero, aliter Sancti, et aliter diabolus in hisce Deo cooperantur operibus: sic enim Sancti agunt, ut unum agens *morale* cum Deo efficiant, voluntate eorum Deo subjecta, et ad eumdem divinae gloriae scopum tendente: diabolus autem, malitia tumens, nocere tantum vult; adeoque ad finem miraculorum, gloriam Dei, scilicet, et utilitatem hominis, coactus laborat.

157. His ergo positis, **dicimus**; idem opus miraculosum duplici recte insigniri nomine; quatenus vel refertur ad Deum omnis boni auctorem, et ad Sanctos Deo ministrantes; vel ad diabolum cooperantem quidem nonnunquam, sed ad nocendum unice intentum. Unde cum Angeli vel Sancti ad opus aliquod, supra naturae sensibilis vires positum, concurrunt, dicendi erunt miraculum efficere: diabolum autem nunquam miraculum effecisse dicetur; sed prout ad illum, viribus suis cooperantem, opus aliquod refertur, alio donari debet nomine, vel portenti, vel prodigii, vel signi, vel maleficii, etc.

158. Proinde intelligimus, qua de causa dicantur aliquando ejusmodi opera, quibus concurrit diabolus, miracula; sic enim jure dici possunt quatenus a Deo providentur. Etiamsi enim diabolus gravissima illa mala Job intulisset, hic ad Deum illa referebat, dicens: *Si bona suscepimus a manu Dei, mala quare non suscipiamus...? Quis det ut veniat petitio mea, et quod expecto tribuat mihi Deus? Et qui coepit ipse me conterat, solvat manum suam et succidat me.....?*

Ipse enim solus est, et nemo avertere potest cogitationem ejus; et anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit. Cum expleverit in me voluntatem suam, et alia multa praesto sunt ei, et idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum timore sollicitor. Deus mollivit cor meum, et omnipotens corturbavit me... Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam...? (1).

159. Dices: De operibus agens magicis, opinionem quorundam refert Suarezius negantium, talia opera a daemone fieri, sed Deo illa tribuentium, qui solus naturam immutare valet. Ad quam sententiam respondet Suarez dicens; id blasphemum esse, cum ejusmodi opera sint turpitudinis et vanitatis plena (2). Unde videtur quod nullo modo possint magicae operationes Deo tribui.

160. Resp. Duo sunt in opere magico vel diabolico accurate distinguenda: quaedam sane turpia, aut saltem vana; alia autem bona, vel ex se indifferentia. Prava, ex. gr., sunt societas cum daemone, intentiones tum magi, tum diaboli, et quidquid intercedat inhonestum: cetera, ut apparitiones, sive verae, sive phantasticae, motus locales, aegritudines, curationes, etc., bona sunt vel indifferentia.

Quod igitur Deo, quasi auctori, prava illa et turpia tribuantur, blasphemum sane reputabimus; quod vero Deus daemoni aliquid imperet, vel ipsius utatur actionibus aut magorum, ad honestum alium finem, nemo improbare audebit, quemadmodum, in re simili, ipse docet Suarez (3): «Divini Philistinorum (1.° Reg. VI), dede»runt signum de Arca Domini: *Si per viam finium suorum... ipse* »*fecit nobis hoc malum grande; sin autem minime.* Quod signum ex »se nullius momenti erat, et tamen divina Providentia illud probas»se videtur. Resp. Nihil ergo obstat quin dicamus, divinos illos in »eo peccasse, et ductos fuisse sua consuetudine augurandi et con»sultandi etiam daemones: Deum autem usum fuisse malitia eorum »et speciali Providentia voluisse, ut vaccae irent recta via, ad con»fussionem infidelium, et honorem ac reverentiam suae Arcae con»ciliandam etiam ab hostibus.» De ista quoque divinatione, ait A Lapide (4): «Erant hae sortes divinatoriae, nec a Deo suggestae, »ideoque superstitiosae et illicitae: sed Deus eas direxit; et vel per »Angelos, vel per diabolos, ut ex Origine vult Mendoza, sor»tilegii hujus instigatores, incitavit vaccas ut viam in Israël capes»serent, ut Philistaei ex suis sortibus cognoscerent, a Deo Israël »sibi has plagas fuisse immissas.»

161. Habes ergo duplicem in eodem opere rationem, ex qua et

---

(1) Job. cc. II, VI, XIII, XXIII.—(2) De Relig. l. 2, c. 14.—(3) Ibid. c. 10, nn. 7 et 11.—(4) In 1, Reg.

miraculum illud dicere valeas, quatenus ex *speciali procedit Dei providentia;* et sortilegium ac peccatum, quatenus divinatores et diaboli ad illud malitiose concurrunt. Quum ergo de opere aliquo supernaturali agitur, non est sub miraculi ratione et nomine, diabolo adscribendum; quia non nisi invitus ad ordinem concurrit divinae Providentiae. Sic Benedictus XIV concludit: «Quoties »igitur facultate sua utens daemon, sic volente Deo, aliquid facit »excedens vires naturae sensibilis et corporeae, miraculum tunc »referri debet ad Deum, in similibus peragendis utentem opera dae»monis.»

§ IV.

De miraculorum causa finali.

THESIS XV.

Miraculorum finis generalis ac praecipuus est Dei gloria; particularis autem multiplex.

162. **Nota** 1.° Omnium sane Dei operum finis generalis et ultimus est suae bonitatis communicatio, seu divina gloria, quae ultima est ac plenior bonitatis divinae effussio. At quia sapientissima Dei opera nobis consuetudine vilescunt, ut notat Augustinus, ideo providit divina bonitas miracula, seu insolita quaedam opera perficere, ut nobis clarius divina effulgeret gloria.

163. **Nota** 2.° Cum ergo iste sit generalis miraculorum finis, exinde praeclarum habebis signum ad dignoscendum, utrum ii, qui ad miraculi concurrunt effectionem et exhibitionem, unam moralem cum Deo personam agant, seu nomine Dei operentur ac loquantur: nisi enim divinam in operibus miraculosis gloriam sincere inquirant, fidelis ministri munere minime funguntur; etenim: *Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit; qui autem quaerit gloriam ejus qui misit eum, hic verax est* (1); ait Dominus.

164. Probr. 1.ª pars. Primo: dixit Dominus *Marthae,* indicans Lazari resurrectionem (2): *Si credideris, videbis gloriam Dei.* Item; interrogatus a discipulis de caeco (3): *Quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut caecus nasceretur?* Nempe, putabant peccato aliquo caecitatem illam inductam; verum edocuit eos Dominus, non aliam extitisse causam nisi ut, per miraculum sanationis, Dei gloria effulgeret: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus; sed ut manifestentur opera Dei in illo.*

---

(1) Jo. VII, 18.—(2) Jo. X, 40.—(3) Jo. IX, 2.

165. 2.° Augustinus generalem exhibet omnium miraculorum causam (1): «Erige rationalem aspectum, utere oculis ut homo, »intende coelum et terram... Crede in eum quem non vides propter »ista quae vides... Unde ergo ista quae vides, nisi ex illo quem non »vides? Sed, ut dicere coeperam, quia ista viluerunt, venit ipse ad »facienda insolita ut et in ipsis solitis agnosceres artificem tuum... »Parvane signa, parva ne indicia sunt Creatoris ipsa creatura? Ve»nit etiam, fecit miracula.» Docet insuper (2), aliter signa fieri a diis gentilium, aliter a Sanctis: nam Sanctorum signis «unus com»mendatur Deus... Si ergo Angeli sibi expetunt sacrificia, praepo»nendi sunt qui non sibi, sed Deo Creatori omnium, cui serviunt.»

Et Hieronymum audivimus supra dicentem (n. 147); ad Dei honorem fieri miracula, etiamsi interdum nullum existat meritum in eo qui miraculum operatur.

Quo pacto autem Deus sit miraculis laudandus et honorandus, Paulus et Barnabas praeclare edocuerunt (3).

166. 2.ª pars prob. Fieri solent miracula:

a) Ad doctrinam fidei vel morum confirmandam; unde praedicatum fuit Evangelium (4), *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis*. Sed de hac re infra (Thes. XVIII).

167. b) Ad alicujus sanctitatem commendandam. 1.° Hinc plurima a Deo facta sunt miracula, ut ostenderet suum esse ministrum et servum Moysem; quod ex Sacra Scriptura apertum est (5). Elias quoque dixit. *Si sum vir Dei, descendat ignis*... (6). Conferas etiam Numerorum c. XII et XVII.

2.° Confirmatur Ecclesiae sensu et consuetudine: nam Beatificationis, et Sanctificationis honorem nulli impertitur, nisi miraculis praefulgeat.

168. c) Ad beneficium aliquod sive corporis, sive praesertim spiritus impertiendum.

1.° Apertum fit ex SS. Scripturis; innumera enim, quae in iis enarrantur, miracula eo passim prospiciunt; de miraculis quidem Christi dicitur (7): *Pertransiit benefaciendo et sanando omnes*.

2.° S. Augustinus rem confirmat (8): «Tot jacebant, et unus »curatus est, cum posset uno verbo omnes erigere. Quid ergo in»telligendum est, nisi quod potestas illa et bonitas illa magis age»bat, quid animae in factis ejus pro salute aeterna intelligerent, »quam quid pro temporali salute corpora mererentur?»

---

(1) De verb. Jo. ser. 126.—(2) De civit. Dei, b. 10, c. 16.—(3) Act. Ap. XIV, vv. 10. 17.—(4) Marc. XVI, 20.—(5) Ecclis. XLV et Exod. c. IV.—(6) Reg. I, 10.—(7) Act. Ap. XX, 38.—(8) Trad. 17 in Jo. Ev.

169. d) Fiunt quoque miracula ad peccatorum vindictam.

Multis miraculis fuit durities Pharaonis et Aegyptiorum infidelitas castigata; quinque civitates cum Sodoma fuerunt igne combustae et submersae; et de Moysis aemulis praemonitum fuerat (1): *Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os suam deglutiat eos et omnia quae ad illos pertinent, descenderintque viventes in infernum, scietis quod blasphemaverint Dominum.* Ex novo quoque Testamento novimus, Ananiam et ipsius uxorem fuisse, ad vocem Petri increpantis (2), morte subita á Deo punitos; et magum Barjesu a Paulo caecitate affectum: *O plene omni dolo, fili diaboli... Et nunc ecce manus Domini super te, et eris caecus.*

170. e) Ad exercitium et profectum justorum, et caeterorum exemplum, saepe fiunt miracula.

Supra (146) id ab Augustino didicimus de aerumnis Job disserente. Item, quibus miraculis edoctus a Deo fuerit Jonas propheta ut divinis acquiesceret mandatis, in ejus canonica legimus Scriptura. Dominus quoque Jesus fuit miraculose tentatus, ut nobis vincendi praeberet exemplum. Verum similia in omnibus fere Sanctorum vitis passim leguntur exempla.

Denique plures in sequenti thesi elucebunt causae, propter quas miracula fieri Deus providit.

THESIS XVI.

Etiamsi daemones et magi iis ministrantes, cum illis datur portenta efficiendi facultas, turpem prosequantur scopum, tamen ad honestum aliquem finem ejusmodi miracula a Deo ducuntur.

171. **Nota.** Hanc ponimus thesim ut clarius divina Providentia miraculosis in operibus elucescat; instante enim Antichristi dominatione et senescente fide, fore signa et miracula multiplicanda, praemonitos nos Spiritus S. voluit.

172. 1.° Elucet thesis in SS. litteris.

Diabolus quidem Jobi nocumento erat intentus, tum quoad animam, tum quoad corpus, nec non divinae impediendae gloriae. Etenim contendebat, non gratis et amore Jobum Deo obsequium praebere, sed propter bona et prosperitatem quibus fruebatur: *Mitte manum tuam*, ajebat, et tange os ejus et carnem, et tunc videbis

(1) Num. XVI, 30.—(2) Act. Ap. c. V, et XIII.

quod in faciem benedicat (maledicat) tibi. Deus autem diaboli opera usus est, ut Jobi eluceret fidelitas et fortitudo, et omnibus patientiae praeberet exemplum, atque divina eluceret gloria, et merita servi sui perficerentur. Unde ait Origenes (1): «Ad ingentem »gloriam et laudem hujus rei perditio provenit coram Deo et An»gelis ejus.» Et S. Gregorius (2): «Aperta aliis virtutum exem»pla non daret, si ipse sine tentatione maneret.»

Pariter daemones illi, qui gregem in mare projecerunt, hominibus nocere et in Christum odium creare intendebant; multa tamen bona ex eo miraculo orta, testantur SS. PP.; inde enim pravorum spirituum innotescit existentia; malitia quoque eorundem et in caeteras creaturas odium; potestas Christi et dominium in averni potestates, etc.

Item, ex miraculosis Christi in deserto tentationibus ingentem Deo provenisse gloriam, et nobis utilitatem, perspicuum est; at diabolus mala solummodo meditabatur.

173. 2.° SS. Patres docuerunt etiam, quae provideantur a Deo è diabolicis portentis bona. S. Justinus (3) ait: «Sed quia et sen»sus manet iis omnibus qui extiterunt, et supplicia aeterna reposita »sunt; ne haec pro certis habere ac vera credere negligatis. Nam »et Necyomantiae et incorruptorum puerorum inspectiones et ani»marum humanarum evocationes, et qui apud magos dicuntur »somniorum immissores et assessores, et quae a peritis illarum re»rum fiunt, persuadent vobis animas etiam post mortem sensu »praeditas esse..., et daemoniaci... et quae dicuntur apud vos ora»cula... et quaecumque alia ejusmodi.»

174. Id confirmat Augustinus (4): «Hic video quid infirmae »cogitationi possit occurrere: cur scilicet, ista miracula etiam ma»gicis artibus fiant?... Intelligi datur, ne ipsos quidem transgresso»res Angelos et aëreas potestates, per quas magicae artes possunt »quidquid possunt, valere aliquid, nisi data desuper potestate. Da»tur autem vel ad fallendos fallaces... vel admonendos fideles, ne »tale aliquid facere pro magno desiderent, propter quod etiam no»bis Scripturae auctoritate sunt proditae, vel ad examinandam, »probandam, manifestandamque justorum patientiam.» Et ipse rursus (c. 17 vel 23): «Potestates autem aëreae superbae atque fa»llaces, etiamsi quaedam de societate et civitate Sanctorum, et de »vero mediatore, a sanctis Prophetis vel Angelis audita, per suos »vates dixisse reperiantur; id egerunt, ut per haec aliena vera etiam

---

(1) L. 2, in Job.—(2) L. 3, Mor. c. 2.—(3) Apolog. 1.ª, n.° 18.—(4) De Trull. l, 3, c. 7 (vel 12 et 13).

»fideles Dei, si possent, ad sua falsa traducerent. Deus autem per »nescientes id egit, ut veritas undique resonaret, fidelibus in adju»torium, impiis in testimonium.»

175. S. Chrysostomus (1) rationem tradit, quod Apostolorum tempore aliqui extiterint praestigiatores: «Si praestigiatores »non fuissent, ac deinde hi (Apostoli) vicissent, forte suspicio fuis»set: cum autem illi apparuissent, hi vicerunt. Hoc autem mirum »est. Ideo apparere non prohibentur, ut et sic magis fulgeant »(Apostoli). Ne ergo doleamus quod sectae sint, cum et pseudo-chris»ti fuerint, et antehac et postea, ut obscurarent illum. Sed veritas »fulget et splendet ubique. Etenim morbus sanitatem conspicuam »facit, et tenebrae lucem, tranquillitatemque tempestas... Hoc et »Moysi accidit: concessit Deus ut magi essent, ne magus puta»retur esse Moyses; permisit ut docerent omnes quantum magia »poterat comminisci; ultra autem non deceperunt, sed ipsi sese »victos confessi sunt. Nihil nobis nocent deceptores; imo nos me»liores reddunt, si quis attendere velit. Quid igitur, inquies, si is»torum gloriae consortes simus? Non apud nos gloriam habent, »sed apud eos qui judicio non valent.»

Hieronymus, de diabolicis illis Christi tentationibus (2) ait: «Praecedit tentatio ut sequatur victoria, Angeli ministrant ut vic»toris dignitas comprobetur. Scilicet, Christi ruinae diabolus erat »intentus, Deus autem ipsius victoriae et triumpho.»

176. Unde in miraculosis his operibus, quibus potest Diaboli actio intercedere, necessum prorsus est accurate distinguere, quo Dei providentia homines ducere intendat, quo autem diabolica astutia. «Ille, ait Hieronymus (3), cupit animas hominum tenere capti»vas; Dominus liberare. Ille praedicat idola; hic unius Dei noti»tiam. Ille trahit ad vitia; hic ad virtutes revocat. Quomodo possunt »inter se habere concordiam, quorum opera divisa sunt?»

§ V.

De veris dignoscendis miraculis.

THESIS XVII.

Vera miracula a falsis secernenda sunt, ad idque certae suppetunt regulae.

177. **Nota** 1.° Ex supra statutis constat, miraculum, *absolute* dictum, opus Dei esse (Th. X, n. 130). Deinde si superet opus aliquod

---

(1) In Act. Apt. hom., 46.—(2) In Matth. c. IV, 16.—(3) In Matth. c. XII.

naturae corporeae leges seu vires, Deo esse adscribendum (Th. XI, n. 137); quod si diabolus supra leges naturae sensibilis quicquam efficiat; id minime posse nisi facultate sibi a Deo praestituta, qui potest opera uti diaboli (Th. XII, n. 146: et Th, XIV, n. 148); tunc autem ejusmodi opus, quatenus a Deo procedit et ordinatur, miraculum esse dicendum; quatenus vero a diabolo efficitur et intenditur, miraculi nomine minime appellandum (n. 157).

178. **Nota** 2.° Igitur ex duplici capite, juxta dicta, potest miraculum esse falsum: vel quia in se non est supernaturale opus, positum, saltem, supra naturae sensibilis et corporeae vires; vel quia opus aliquod a daemone ob pravum finem procedens, fingitur a Deo ad eumdem aut similem finem effectum et ordinatum. Duo erga dignoscenda ut a falso verum discernatur miraculum: primum quod superet vires naturae saltem sensibilis et corporeae; secundum, respectus ille et ordo sub quo a Deo procedit, non autem a diabolo.

Nota 3.° Unde, tunc praesertim urget difficultas et necessitas verum miraculum discernendi, cum eo respicit ut doctrinam aliquam vel revelationem commendet; donec enim elucescat utrum ad Deum finis iste referendus sit, nullatenus pro vero miraculo judicium est ferendum. Quod autem eo in casu possit verum miraculum a ficto discerni, est fide definita certum, ex Vat. Conc. (1). «Si quis di»xerit... miracula certo cognosci numquam posse, nec iis divinam »religionis christianae originem rite probari; anathema sit.»

179. Probr. thesis, idque perficiemus criticas assignando regulas.

I.ª Regula. Perspiciendae res illae sunt quae effectum mirum circumstant; quae si ad illud offcium ineptae, vel è contra, ad illud naturaliter obsistebant; non est tunc dubitandum, opus esse supernaturale.

180. II.ª Cum media adhibentur nobis ignota, seu arte aliqua aut praestigiis quis utitur; non est tunc effectus credendus supernaturalis, vel saltem differendum judicium; nisi tantae sit opus magnitudinis, ut clare a priori eluceat, artem ullam naturalem minime parem ad illud futuram.

181. III.ª Cum opus mirum neque ex antecedentibus, neque ex concomitantibus, neque ex consequentibus, aliquid prae se fert turpe, aut vanum; cumque auctor operis nullam praebet mendacii aut levitatis suspicionem, nec sua quaerit, sed Dei

(1) *Can. 4, de fide.*

gloriae tantum est intentus; atque ea de causa opus efficiat supernaturale, ut divina auctorite aliquam suadeat doctrinam; verum illud esse miraculum dicendum.

Nititur regula haec in sensu communi et praxi omnium gentium; et de miraculis sic effectis dicebat Christus: *Si mihi non vultis credere, operibus credite* (1): et Augustinus de iisdem ait (2): «Quanto evidentius haec attestantur divinitati; quae ad horam praedicationis ejus fiunt!»

182. IV.ª Etiamsi non efficiatur opus mirum ad suadendum aliquam doctrinam, si tamen sub caeteris praedictis fiat adjunctis, verum erit simplexque miraculum. Nam cedit unice opus ejusmodi in Dei gloriam: ergo nihil tali operi inest quod daemoni tribui valeat.

183. V.ª Quoties in opere supra naturae vires posito, quicquam exhibetur vanum vel inhonestum vel falsum, non est simpliciter Deo adjudicandum; sed discernere oportet inter Dei finem, et daemonis vel pravi hominis scopum; scilicet, ut fini, quem Deus intendit, assentiamus, alium vero aversemur.

Hac regula discernit Augustinus (3) quae a beatis Angelis et martyribus procedunt mirabilia, ab iis quae per daemones fiunt: «Quibus igitur potius credendum est miracula facientibus? Eisne »qui se ipsos volunt haberi deos ab iis quibus ea faciunt; an eis qui »ut in Deum credatur, quod et Christus est, faciunt quidquid mira»bile faciunt? Eisne qui sacra sua etiam crimina sua esse volue»runt; an eis qui nec laudes suas volunt esse sacra sua, sed totum »quo veraciter laudantur, ad ejus gloriam proficere in quo laudan»tur?» Ad hanc quoque spectat regulam illud adversus falsos prophetas mandatum in Deuteronomio (XIII, n. 1, 2, 3).

184. R. VI.ª Si homo, per quem fiat miraculum, aliquam induceret mendacii suspicionem; puta, quia infidelis est aut peccator, quia vanus aut lucri cupidus; nec statim negandum esset, neque cito credendum, miraculum a Deo simpliciter esse.

Etenim potest Deus pravos etiam adhibere homines ad vera efficienda miracula, ut supra statum fuit, (n. 147, Th. XIII).

VII.ª Si ille qui miraculum efficit, mendacii ali-

---

(1) Jo. X, 28.—(2) De civit. Dei, l. X, c. 17 et 12.—(3) De civit. Dei, l. XXII, c. 10.

quam praebeat suspicionem; quia homo vanus, etc.; atque hoc intendat, ut dubiam aliquam suadeat doctrinam; primo abstinendum erit a judicio, donec justa subsistat suspicio; deinde fides erit illi adhibenda, si ejus testimonium non commodo ulli temporali; sed unice Dei gloriae prospiciat: puta, si summa mala, tormenta, vel mortem subiret ad Deo ea in re obsequendum. Sic enim omnem suspicionem abstergeret mendacii; uti Balaam, qui (1), homo infidelis et lucri cupidus, Dei populo, omni contempta mercede, benedicere coatus est, et Deum laudare, et mala adversus gentem suam prophetare, pro hostili autem Judaeorum populo maxima bona.

SCHOLION.

186. Placet hic aliquas miraculorum subjicere differentias, apud nonnullos indicatas auctores.

a) Primo dividuntur in miracula *primi* ordinis et *secundi*. Hic duplex ordo nihil a duplici illo miraculorum discrepat genere, de quo supra (n. 145) dictum est; ab aliis AA. appellantur miracula *absolute* dicta, seu *quoad se;* et *relative* dicta, seu *quoad nos*.

b) Alii eadem dividunt *quoad substantiam*, quoad *subjectum* et quoad *modum*. Miracula quoad *substantiam* ea dicunt, quae *nullo modo* a natura fieri possunt; puta, corporum compenetratio, vel in diversis locis, reduplicata praesentia, vel manna aliquod absconditum cui producendo nulla par sit creatura, etc. Ut vides recidit genus istud in miracula *primi ordinis*.

Miracula quoad *subjectum* ea dices, quae vires superant naturae, perpensa solum subjecti, in quo perficiuntur capacitate: ex. gr. si cadaver vivicetur, si vitis ficus producat, etc.

Quoad modum denique, si modus tantum operandi naturalem excedat virtutem; puta, si solo vocis imperio febricitans convalescat, si hiberno tempore vitis cito in uvas erumpat, etc.

Facile perspicies differentias istas miraculorum, non formales, sed materiales esse tantum. Nam sive sint supra naturam ratione *subjecti*, sive ratione *modi;* vel transcendunt naturae vires *moraliter* tantum, nempe, quod Deus vetat eas immutari; vel *physice* etiam: si primum ponas, non plus creaturae cujusvis excedit potentiam consiliis Dei obsistere in re maxima, quam in minima; in substantia rerum et subjecto, quam in modo: si autem secundum, *physice*, scilicet, superare dicas, tunc factum mirum, utpote transcendens

(1) Num. c. XXII.

omnem virtutem creatam, respectum habet tantum ad infinitam Dei potentiam; adeoque miraculi ejusmodi impossibilitas non suscipit *magis et minus*, qualecumque illud fuerit. Quapropter, tales istae existunt miraculorum divisiones, quales forent, si quis ea divideret ratione nobilitatis entium; puta ratione *hominis;* ut sanatio infirmorum, suscitatio mortuorum, etc.; ratione *animantium;* ut ranarum productio, serpenti paradisiaci loquela, etc.; ratione *plantarum;* ut ficus maledictio et consequens exsiccatio, etc.; ratione *elementorum;* ut maris rubri divisio, aquae in vinum conversio, etc.: scilicet, in quasdam classes divideres miracula, ut scientia naturalis cultores lapides et plantas dividunt.

c) Plus è re videtur aliena quaedam alia miraculorum distributio, nempe; *contra* naturam, *supra* naturam et *praeter* naturam. Quid enim est praeter naturam? Deus tantum et supernaturalis ordo: atqui hoc ipsum *supra* naturam existit. Illud autem, *contra* naturam, quo sensu intelligendum, supra (n. 130) diximus; *relative*, scilicet: atqui quodvis miraculum *relative* contra naturam efficitur.

§ VI.

De miraculorum praestantia.

THESIS XVIII.

Divina ostenditur esse religio, pro qua confirmanda fiunt miracula.

187. Est thesis fide certa, et constat 1.° ex Vaticano Concilio supra laudato (n. 178, Nota 3.°) 2.° Paulus et Barnabas (1) fiducialiter agebant *in Domino, testimonium perhibente verbo gratiae suae, dante signa et prodigia fieri per manus eorum.* Ac de Apostolis omnibus dicitur (2): *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.*

188. 3.° Augustinus (3) ait, quod fidem divinitas ipsius veritatis, vel veritas «divinitatis, et contestantia miraculorum signa monstrant.» Inde quo pacto persuadebant Apostoli explicat: «Elo»quia namque persuadentium quae dicebant, mira fuerunt facta, »non verba.» Quae et quanta miraculorum sit probandi efficacia, docet et Hieronymus (4): «Neque enim potuissent in tam brevi »tempore credere, nisi signorum miraculis fides eorum quodam-

(1) Ac. App. XIV, 3. — (2) Mar. XVI, 20. — (3) De civit. Dei, XXII, c. 7 et 5. — (4) In Matth. X, 8.

»modo esset extorta.» Et de potestate Apostolis a Christo tradita, ait ipse (1): «Dat potestatem, ut magnitudinem promissorum pro»bet magnitudo signorum.»

189. 4.° Divinam dedecet Providentiam, quod in re summi momenti, qualis est Religio et divinae voluntatis notitia ac intimatio, gentes omnes dubitatione laborent et in errore vagari cogantur. Sed id eveniret, nisi sint miracula probatio certa divinitatis religionis illius cui attestantur: ergo. *Min.* prob. Cum nutat regula, nutant necessario quaecumque tali regula mensurantur. Atqui gentes omnes, ubique terrarum, habuere et habent miracula, quasi primam certissimamque regulam verae religionis ac divinae revelationis; ergo.

Eodem quoque utitur Augustinus argumento (2): «Sola est auc»toritas, quae commovet stultos, ut ad sapientiam festinent. Si »enim Dei providentia non praesidet rebus humanis, nihil est de »religione satagendum. Sin vero et species rerum omnium, quam »profecto ex aliquo verissimae pulchritudinis fonte manare creden»dum est, et nescio quae conscientia Deum quaerendum, Deoque »serviendum meliores quosque animos quasi publice privatimque »hortatur: non est desperandum ab eodem Deo auctoritatem ali»quam constitutam, quo velut gradu nitentes, attollamur ad Deum. »Haec autem, seposita ratione, quam sinceram intelligere, ut saepe »dixi, difficillimum stultis est, dupliciter nos movet; partim mira»culis, partim sequentium multitudine. Nihil horum est necessa»rium sapienti; quis negat? Sed id nunc agitur, ut sapientes esse »possimus, id est, inhaerere veritati.»

5.° Miracula exhibent in principali eorum causa plenissimum in naturam, adeoque erga homines, dominium. Atqui Creatoris istud est sigillum; ergo miracula probant divinitatem religionis cui attestantur. *Major* aperte patet: miraculo enim legibus derogatur quibus natura regitur et subsistit; homo autem hisce legibus obtemperare, vel perire, cogitur. *Minor* per se elucet; qui enim naturae auctor est, ipsius et Dominus existit.

190. Obj. 1.° Ad miraculi spectat veritatem quod sit a Deo factum: sed id nobis patere non potest; ergo nequit pro argumento divinae revelationis adhiberi.

Resp. Dist. *maj.* Debet esse a Deo ut causa *physica*, vel saltem *morali*, et quidem principali; conc. Ut causa *physica;* subd. Si fuerit miraculum absolute (n. 130;) conc. *maj.* Miraculum quoad nos (n. 137;) nego.

---

(1) In Matt., X, 8.—(2) De utilit. credendi, n. XXXIV.

Dein dist. *min.* Patere non potest, esse à Deo saltem *moraliter;* nego; esse *physice* à Deo factum patere non potest; subd. *vulgo* et universim; conc. *Absolute;* nego: (n. 141).

Sane dignoscere saepissime non possumus, utrum superet miraculum, physice inspectum, vires omnes creatas; adeoque fuerit a Deo immediate effectum; tamen potest Deus quodcumque opus per se et immediate efficere, atque ejusmodi dependentiam, veram utique et cognoscibilem, cui velit manifestam reddere, evidentia metaphysica, physica vel morali; et deinde ejusmodi testes poterunt quoque ceteros morali evidentia edocere, ea opera fuisse divinitus effecta. Sic Deum, per insignes prophetas et Apostolos, saepe homines edocuisse censere jure possumus.

191. Obj. 2.° Miraculum *quoad nos* dictum, debet vires sensibiles ac corporeas naturae superare. Atqui quousque ejusmodi porrigantur vires nescimus; ergo ex hisce miraculis nulla statuitur probatio.

Resp. Dist. *min.* Nescimus quo porrigantur *negative;* nego min. Quo pertingant *positive;* subd. Ita ut et nesciamus *modum agendi* quo pertingere debent; nego. Quatenus omnes naturae effectus non cognoscimus; conc. *min.* et nego *consequentiam.*

Nempe, innumera novimus quae *non possunt* vires corporeae efficere, etiamsi aliquos ipsarum ignoremus effectus: tamen hoc scimus; quaecumque vires efficiunt corporeae, sub certis legibus fieri, quia constanter ac necessario natura operatur. Proinde de quolibet naturae insolito effectu, ab ignotis procedente viribus, dicemus cum Augustino: «Quibus licet vis insolita contra na»turam inesse videatur, alia tamen de illis non redditur ratio, nisi »ut dicatur; hanc eorum esse naturam.» (supra, n. 119).

192. Obj. 3.° Ut efficax adhibeatur ex miraculis argumentum, debent jussu et nomine Dei fieri, ut supra ex SS. Thoma et Augustino didicimus (n. 139, 140). Sed id liquidum exploratumque fieri non potest; ergo. Prob. *minor.* Qui vere ope ac nomine Dei miraculum efficit, non est certa fide dignus, etiamsi id protestetur; est enim errori obnoxius: è converso, qui daemonis viribus quicquam praeter naturae leges efficit, non solum errare, sed et mentiri facillime poterit ac asserere, opera diabolica nomine Dei se adhibere; uti Mahumes; ergo.

193. Resp. Nego *min.* Ad probationem, distinguo quoad utramque partem: qui nomine Dei operatur errare potest *physice* et *remote;* conc. *Moraliter* ac *proxime;* nego.

Item; qui nomine daemonis agit, potest et mentiri; sic ut ejus mendacium dignosci nequeat; nego: aliter; conc.

Mahumes, utique, mentitus est, dixitque se prophetam Dei esse:

at praeter gladium, latrocinia et turpissimos mores, nulla neque divina, neque diabolica exhibuit prodigia; unde, evenit ut regnum erigeret, ignorantia, vi et lenociniis tantum innixum.

194. Nomine ac jussu Dei miracula efficere, non id tantum refert, quod minister asserat, nomine Dei signa fieri; sed praecipue quod tum dicta tum facta, tum finis tum media in unam Dei referantur gloriam, sicut legitimum divinumque decet ministrum ac legatum, «publica administratione et jussu Dei agentem,» ut loquitur, cum Augustino, D. Angelicus. Ubi autem periculum imminet ne daemoni divina adjudicentur miracula, vel è converso; providit Deus, ut daemon illa falsis signis oppugnaret, quo veritas et magnitudo illorum magis magisque eluceret, ut notavit Chrysostomus, (supra, n. 175).

195. **Nota**. Quae praemonuit Suarezius, ut dictis, ac similibus, responderet difficultatibus, nostra libenter facimus: «Haec »argumenta (ut verum fatear) sunt apud me difficilia, et vellem »potius eorum solutionem ab aliis discere quam docere. Unde Du»randus, (q. 1. Prologi) illa breviter attingens, propter ea ne»gat, miracula facta in testimonium veritatis efficere evidentiam »ejus. Cujus sententia fortasse est vera de evidentia mathematica, »non tamen de evidentia morali, quae sufficit ad convincendum »intellectum non admodum prave dispositum (1).»

§ VII.

De Prophetiae natura.

PRAENOTANDA.

196. Si velimus vocis vim perpendere, *Propheta* dicitur, quasi ante loquens, seu praenuntians, ex graeco προφήτης; radix πρὸ et φημί.

Ita S. Thomas cum S. Gregorio (2): «Cum ideo prophe»tia dicta sit, quod futura praedicat; quando de praeterito vel prae»senti loquitur, rationem sui nominis amittit.» In latiori alio sensu dicitur propheta quasi procul videns, vel potius è longe videre faciens, a προφαίνω, è *longe eluceo:* sic quoque S. Thomas (a. 1) cum S. Isidoro. Proinde in latiori sensu definitur prophetia; «veritatis supernaturaliter cognitae certa enuntiatio,» ut ait Augustinus (3): «Propheta Dei nihil est aliud nisi enunciator verbo-

---

(1) De myst. vitae Christi, disp. 31, sec. 2, n. 7. — (2) 2, 2, q. 171, a. 3. — (3) Qq. in Exod., q. 17.

»rum Dei hominibus, qui Deum non possunt vel non merentur »audire.»

197. At prophetia, in stricto accepta sensu, est: Certa praedictio alicujus futuri eventus, qui praevideri naturaliter nequit. *Certa*, ut conjecturalis excludatur notitia: *futuri eventus;* quia, ut plurimum, istud est prophetiae objectum' ut supra censet S. Thomas: *qui naturaliter;* nam necessarii illi eventus, qui, cognita causa, praecognoscuntur, ad rem hanc non spectant.

THESIS XIX.

Eorum, quae nequeunt ab homine naturaliter cognosci, triplex est gradus (1).

198. Prob. Ut homo naturaliter objectum aliquod cognoscat, necessum est, ut potentia cognoscitiva per objectum determinetur. Atqui objecta aliqua non determinant, seu afficiunt, potentiam cognoscitivam omnium hominum, sed quorumdam tantum; alia autem nullos hominum afficiunt seu determinant; et quaedam objecta nec vim habent ad determinandum; ergo tres gradus existunt eorum, quae nequit homo naturaliter cognoscere.

Majorem ex Psychologia notam supponimus. *Minor* facile intelligetur: objecta aliqua sic posita sunt, ut nonnullos utique afficiant, alios vero non; nam vel absentia, vel supra captum sunt quorumdam: alia supra capacitatem omnium existunt; uti Deum esse unum in essentia, et trinum in personis: alia denique objecta necdum existentiam habent; uti futura contingentia, sive absoluta, sive conditionata; jam vero quod non est, nec vim ullam ad mentem determinandam et actuandam habere potest: ergo.

199. Unde juxta primum gradum, non poterat Elias naturaliter scire, quid ejus discipulus Giezi absens egerat (2); juxta secundum, novit supernaturaliter Isaias (3) divinam Trinitatem; et juxta tertium, cognovit Christus divinitus trinam Petri negationem, et Tyriorum ac Sidoniorum poenitentiam (4).

200. Obj. Quae non sunt, neque veritatem habent determinatam. Sed verum indeterminatum repugnat: veritas enim de eo quod est, vel non est, esse debet: ergo neque supernaturaliter cognosci potest veritas indeterminata, seu objecti quod non est.

Resp. Dist. *maj.* Quae non sunt neque de praesenti, neque de futuro absoluto vel conditionato, non habent veritatem determinatam; conc. *maj.* Quae sunt saltem de futuro absoluto vel conditio-

---

(1) S. Th. 2, 2, q. 171, a. 3.—(2) IV, Reg. c. V.—(3) C. VI, 3.—(4) Matth. XI, 21.

nato, non habent veritatem determinatam; subd. Determinatam *physice* veritatem non habent; conc. Determinatam *intentionaliter;* nego, vel iterum subdistinguo: respectu intellectus qui determinari physice ad actum indiget; conc. Non habent veritatem intentionaliter determinatam respectu intellectus infinite actuati ac per se determinati ad verum quodcumque; nego. Scilicet, intellectum divinum veritas quaelibet terminat tantum, non autem determinat, quia infinitus est. Verum de his plura suo loco.

§ III.

De Prophetiae praestantia.

THESIS XX.

Prophetia est Divinitatis sigillum, seu praerogativa.

201. **Nota** 1.ª Hic prophetiam potissimum intelligimus juxta tertium gradum nuper expositum (n. 198): nam, ut notat S. Thomas. «Quod est universaliter et secundum se, potius est eo quod »est particulariter et per aliud; ideo ad prophetiam propriissime »pertinet revelatio eventuum futurorum, unde et nomen prophetiae »sumi videtur.» (loc. cit.)

202. 2.ª Nec tamen abnuimus duos priores prophetiae gradus ad divinitatem spectare: cum enim ea quae captum superant, vel absentia existunt, aliquis attingit medio supra naturae leges posito; nequit, absque miraculo, id locum habere: juxta regulas ergo supra de miraculo traditas, oportet tunc exquirere, quo pacto prophetia ista a Deo procedat. Nam si lumine prophetico, seu divino, notitia illa habita directe fuerit, erit prophetia formalis, a Deo directe procedens, et miraculum simpliciter dictum: si autem alio medio supernaturali ortum duxerit, cum Deus nonnumquam «utatur etiam »malis ad utilitatem bonorum,» ut ait Angelicus D. (1), regulae illae prae oculis erunt habendae, ut proprio loco infra dicendum erit.

203. Prob. 1.° é Vaticano Conc. (2): «Voluit Deus cum in»ternis Sp. Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumen»ta, facta scilicet divina, atque in primis miracula et prophetias, »quae divinae revelationis signa sunt certissima.»

2.° Et Sacra confirmat Scriptura (3): *Non enim voluntate*

---

(1) 2, 2, q. 172, a. 6, ad 1.m—(2) Const. *Dei Filius,* c. III, de fide.—(3) 2.ª Petri, I, 21.

humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu S. inspirante locuti sunt sancti Dei homines. Ac rursus (1): *Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus quia Dii estis vos.*

204. 3.° Communis hominum attestatur consensus; non soli enim judaei et christiani, sed mahumetani quoque et pagani Deo solum adscribunt prophetandi virtutem: unde et actionem prophetandi *divinationem* appellabant, ac prophetas dicebant *divinos*.

Confir... Nonne insanire dicendus esset qui, posse se uno saltu oceanum pertransire, assereret? Cur? quia abest proportio. Pari ratione, non est in mente proportio, seu medium attingendi contingenter futura.

205. 4.° Ad mentem creatam quod spectat, se habent futura contingentia quasi non ens: sed non ens rationem veri et cognoscibilis habere nequit; ergo. *Maj.* prob. Mens finita determinanda est extrinsecus et objective, ut objectum attingat hoc vel illud. Sed nulla potest enasci determinatio ab eo quod est *summe* indeterminatum, id est, quoad esse; ergo ad mentem...

Obj. Respectu Dei quoque se habent futura contingentia quasi non ens; ergo neque a Deo cognosci queunt.

Resp. Nego *ant.* Rationem autem recolas supra (n. 200).

SCHOLION.

206. Etiamsi prophetia fieri naturali virtute nequeat, aliqua futurorum praecognitio per inductionem potest naturaliter haberi. «Et talis cognitio futurorum, ait D. Th. (2), potest intelligi esse »in homine dupliciter a natura. Uno modo sic quod statim anima, »ex eo quod in se ipsa habet, possit praecognoscere futura; et sic, »sicut dicit Augustinus, quidam voluerunt animam humanam »habere quamdam vim divinationis in se ipsa. Et hoc videtur esse »secundum opinionem Platonis, qui posuit quod animae habent »omnium rerum cognitionem per participationem idearum, sed ista »cognitio obnubilatur in eis per conjunctionem corporis; in qui»busdam tamen plus, in quibusdam vero minus, secundum corpo»ris puritatem diversam. Et secundum hoc posset dici quod homi»nes habentes animas non multum obtenebratas ex corporum »unione, possunt talia futura praecognoscere secundum propriam »scientiam... Sed quia verius esse videtur (discant modeste loqui »qui pro opinabilibus, quasi pro aris et focis, dimicare solent) quod »anima ex sensibilibus cognitionem acquirat, secundum sententiam »Aristotelis, ideo melius est dicendum alio modo; quod prae-

(1) Isai. XLI, 23.—(2) 2, 2, q. 172, a. 1.

»cognitionem futurorum homines non habent, sed acquirere pos-»sunt per viam experimentalem, in qua juvantur per naturalem »dispositionem; secundum quod in homine invenitur perfectio vir-»tutis imaginativae et claritas intelligentiae.»

§ IX.

De veris discernendis prophetiis.

THESIS XXI.

Pro cognitione et usu prophetiarum Regulae non-nullae prae oculis habendae.

207. I.ª Ut isto divinatis signo recte utaris, primum tenendum; non esse prophetiam fide divina dignam ante rei praedictae eventum, nisi aliunde ipsa divinitus commendetur.

Ex S. Scriptura hanc desumimus regulam. a) *Quomodo possum intelligere verbum quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit; hoc Dominus non est locutus* (1). Et Jeremias ait (2): *Propheta qui vaticinatus est, cum venerit verbum ejus, scietur propheta quem misit Dominus in veritate.* b) Et Jesus dixit discipulis (3): *Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis.* Dignus quidem fide erat Dominus propter alia signa; at praedictio illa vim suam *intrinsecam* post factum erat habitura, ut Augustinus commentatur: «Visuri erant discipuli, post mortem viven-»tem, et ad Patrem ascendentem, eoque credituri Filium esse Dei »qui haec posset facere et praedicere antequam faceret.»

c) Moyses, a Deo missus ut populum è captivitate eriperet, dixit (4): *Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent: non apparuit tibi Dominus.* Tunc dedit illi Deus potestatem miracula efficiendi, dixitque: *Si non crediderint tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis.* Proinde, ante eventum, etiam prophetiae credendum, si aliunde propheta divinitus commendetur.

208. II.ª Etiamsi divinitus per alia signa non commendetur propheta, humana ac naturali certitudine suscipietur prophetia, etiam ante eventum, si insigni donatus sit prudentia et morum sanctitate, ac certo asserat nomine Dei loqui; potiori de causa ei

(1) Deuter. XVIII, 21. – (2) XXVIII, 9.—(3) Jo. XIV, 29.—(4) Exodi, IV, 1, 8.

fides erit adhibenda, si, alias, vera eumdem praedixisse innotescat, ut ajebat Augustinus (1): «Ostendimus fidem »prophetarum ex iis quae ventura cecinerunt et venisse cernuntur:» et rursus (2); «Quorum tam multa impleta conspicimus, ut recta »pietate futura esse caetera confidamus... Nullis enim prudentius »credimus, vel de praeteritis quae olim facta sunt, vel de futuris »quae nondum facta sunt, quam eis qui nobis fidem verborum »suorum, tam multis, tamque magnis, quae ab eis praedicta jam »facta sunt, probaverunt.»

209. III.ª Ante rei praedictae eventum, non est continuo repudianda prophetia, ex eo tantum quod per peccatorem dicta fuerit; si aliunde prudenter suspicari liceat, ipsum nomine Dei fuisse locutum.

Scimus quippe, Caipham, iniquissimum hominem, prophetasse (3); Balaam quoque et Saulem.

210. IV.ª Postquam eventu veritas fuerit comprobata prophetiae, ut recte hoc divino utamur signo, eaedem ac pro miraculis adhibendae regulae supra traditae (n. 177 et seq.): est enim prophetia quoddam miraculi genus. Vide praesertim R. V., n. 183.

211. V.ª Hinc si prophetia aliqua per hominem peccatorem, vel ope diaboli fieret, quod accidere posse docet S. Thomas cum Hieronymo et Augustino (4), finis Dei accurate est a fine instrumenti discernendus; ut illum nempe prosequamur, hunc autem aversemur.

§ X.

De doctrinae veritate ac sanctitate.

212. **Nota**. De iis egimus signis, quae divina esse dignoscuntur ratione summae potentiae vel sapientiae è qua proficiscuntur; scilicet, de miraculis ac prophetiis: jam pauca dicenda de tertio revelationis signo, quod supra indicavimus (n. 113, IV).

THESIS XXII.

Doctrinae complexus de Deo, de homine, de mundi origine, nec non de officiis hominum erga Deum.

---

(1) Contr. Faust. L. XIII, c. 13, 7, 14.—(2) De Civit. Dei: L. X, c. 32, n. 3: et Contra Faust. L. XIII, n. 14.—(3) Jo. XI, 51.— (4) 2. 2. q. 172, a. 4, ad 1.ᵐ et a. 6, ad 1.ᵐ; et supra, n. 147.

erga se ipsos et erga ceteros agens, ac nihil turpe ac rationi repugnans prae se ferens, argumentum exhibet validissimum divinae revelationis.

Doctrinam in hac thesi tradi *chatolicam* existimamus; at omnino saltem esse certam nullus, puto, in dubium vertet.

213. Probr. 1.° Docet Vaticana Syn.: «divinae revelationi »tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae ra»tioni per se impervia non sunt... nullo admixto errore cognosci »possint.» Tria nempe bona, asserit, divinae tribuenda revelationi: quod de divinis doctrina possit ab omnibus cognosci expedite, quod firma certitudine, quod nullo admixto errore.

214. 2.° Universim gentes omnes, sibi ipsis, absque revelationis subsidio, traditas, testatur experientia, non solum mira laborasse ignorantia, sed in crasissimos etiam errores incidisse: neque vulgus tantum, sed sapientes quoque, principesque philosophorum, in divinis et in humanis, in moralibus et speculativis, turpissimas absurdasque tenuisse sententias. Jam vero, quid inter haec duo interest, utrum nemo sit sapiens, an nemo esse possit? sicut supra ex Cicerone dictum fuit (n. 96): ergo doctrinae complexus...

215. 3.° Jure igitur SS. PP. ex sanctitate et purissima doctrinae veritate, è coelo hanc fuisse deductam argumentabuntur, uti supra (n. 76) Clemens Alex: «Veritatem, cum sapientia late splen»dente, in sanctum Dei montem, sanctumque Prophetarum cho»rum è coelo deducamus. Haec autem clarissima sua luce omnes »homines, qui in tenebris volutantur, undique illustret; et intelli»gentia, tamquam opitulatrice dextra, porrecta, ex erroribus in sa»lutem vindicet.» S. Eucherius, (et passim ceteri PP.) sic fidem, supra omnem philosophorum doctrinam, extollit (1): «In illis nam»que eorum praeceptis, vel adumbrata virtus, vel falsa sapientia: »in his vero (revelatis) consummata justitia, solida virtus contine»tur, etc.»

216. Gregorius Naz. docet (2) ac ostendit, in quot nos errandi versemur periculis, si nostrae solummodo suppetant vires: «Ve»rum enim vero veritas omnis et disputatio plurimum diffi»cultatis atque obscuritatis habet; ac nos, velut parvo quodam »instrumento, res magnas efficere molimur, humanae videlicet »sapientiae adjumento rerum cognitionem aucupantes; ac res, »quae animi tantum intelligentia comprehenduntur, per sensus »cognoscere aggredimur, aut certe non sine sensibus, quibus un»dique jactamur et in errorem pertrahimur; nec nuda mente cum

(1) Ep. ad Valer.—(2) Orat. Theol. 2.ª, n. 21.

»nudis rebus versari, atque inde ad veritatem propius accedere, »rebusque perceptis ac comprehensis mentem informare possumus.»

217. Haec quidem multis confirmat argumentis et exemplis, et tandem concludit: «Haec si pro rei dignitate a nobis praedicata »sunt, Trinitati atque uni in tribus Personis divinitati gratia ha»benda est; sin autem desiderio minus satisfactum est, sic quoque »orationi palma parata est. In hoc enim omni dicendi contentione »incubuimus, ut ostenderemus, ipsam quidem secundarum rerum »naturam, supra hominis mentem existere, nedum primam illam »ac solam; vereor enim dicere, omnibus rebus excelsiorem.»

218. Obj. 1.° Nulla invenitur, sub religionis nomine, superstitiosa hominum secta, quae veram ac puram se profiteri doctrinam non protestetur. Ergo signum istud, in puritate ac veritate doctrinae constitutum, nullius potest esse roboris.

Resp. Distin. *ant.* «Nulla invenitur... quae non protestetur,» ita ut nec facile refelli possit; nego *ant.* «Quae non protestetur,» idque gratis vel levissimo fundamento; conc. *ant.* et inde nego *consequentiam.*

219. Et sane, numquid facillime ostendi nequeunt paganorum ac politheismi errores ac turpitudines? Nonne ob oculos omnium Mahumetismi foeda dogmata versantur, et Alchorani contradictiones inmumerae, quas nec ipsi Mahumetis sectatores dissimulant sed excusare conantur, mentem, ex caeca voluntatis protervia, exuentes? Protestantium autem sectas prope innumeras, ad invicem oppositas; imo secum ipsis numquam constantes, sed pro libitu fidem suam corrigentes, nonne in propatulo omnes intuentur? Quod si earum secta aliqua contendere praesumat, se esse unicam veri Protestantismi progeniem; quam facillime ab omnibus stultitiae coarguetur; nulla enim earum parentem novit alium, nisi *sensum privatum*, qui tot peperit sectarum et errorum et turpissimarum opinationum monstra.

220. Obj. 2.° Non potest divinae revelationis validum esse argumentum, id cujus cognitio in ipsa nititur revelatione. Sed complexus iste veritatum, de quo in thesi, per revelationem est assequendus; ut thesis ipsa affirmat; ergo.

Resp. Cognitio potest ex revelatione haberi dupliciter; *proxime* vel *remote*. Si enim nescienti exponas quod ex revelatione noveris, ea, quam ipse accipiet notitia, procedet remote ex revelatione. Item, quae *proxime* ex revelatione habetur notitia, duplici potest assentiendi niti motivo; scilicet, vel propter ipsam revelationem, vel propter revelatae rei veritatem, prout hanc mens perspicere valeat simul atque ei proposita fuerit. His positis,

221. Dist. *maj.* Id cujus cognitio nititur solum *remote* in revela-

tione, nequit revelationis esse argumentum; nego. Si nitatur in revelatione *proxime;* subd. Si *unice* propter ipsam revelationem, rei revelatae assensus praebeatur; nequit revelationis fieri argumentum; conc. Aliter, nego *majorem.*

Dein, dist. *min. Complexus iste veritatum* est ope revelationis assequendus, ita ut nequeamus exinde, *rationis lumine,* illud perpendere, cum adversis erroribus conferre, dubitationum umbras dissolvere, ac miram, qua omnium superat philosophorum doctrinas, sapientiam dignoscere; nego *min.* et *consequentiam.* Sive enim immediate et proxime revelatam attigeris doctrinam, sive mediate per Ecclesiam, SS. Patres et doctores; potes, duce ratione, illius miram ac divinam rimari veritatem et excellentiam, atque ad eamdem amplectendam deduci. *Complexus iste veritatum* est revelationis ope adsequendus, salva tamen rationis vi et intelligentia ad eas, sic habitas, perpendendas veritates, et cum oppositis erroribus conferendas, adeoque et propter earumdem splendorem adprobandas et amplectendas; concedo. Hinc, ejusmodi adhibita reflexione, ad originem exsurgit mens earum veritatum, et divinitus acceptas dignoscit.

CAPUT III.

De Religionis revelatae existentia.

ARTICULUS I.

De Religione Mosayca.

THESIS XXIII.

Religio Mosayca vera atque divina fuit.

222. Ad fidem referenda catholicam haec propositio, et probatur.

1.° In symbolo fidei Concilii Contaginen. IV, quod Leo IX aliique approbarunt Pontifices, quo etiam utitur Ecclesia tum ad episcopos examinandos, tum ad reconciliandos haereticos, habetur: «Credo etiam Novi et Veteris Testamenti, Legis ac Pro»phetarum et Apostolorum, unum esse auctorem Deum ac Domi»num Omnipotentem. Haec est vera fides catholica...»

223. 2.° Passim asseritur religionis Judaicae divinitas in sacris libris, praesertim in cap. VI Deuteronomii: *Haec sunt prae-*

cepta et ceremoniae atque judicia, quae mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos et faciatis... Atque de Mosayca lege Judaeis dixit Stephanus (1): *Qui accepistis Legem in dispositione Angelorum et non custodistis.*

3.° Jesus Christus (cum christianis agimus dum haec urgemus argumenta) Religionem commendavit judaicam et coluit; (2) praevaricatores illius objurgabat, ac Dei mandatum eamdem appellavit: *Relinquentes mandatum Dei, tenetis traditionem hominum.*

224. 4.° Innumeris Deus confirmavit miraculis, Moysem suum esse servum ac prophetam (3), nec non servandam illam esse legem per eumdem intimatam et promulgatam: *Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quae fecit, ut custodiatis omnia mandata illius, quae ego praecipio vobis...*

5.° Multos diversis temporibus misit Deus Prophetas, ut populum ad legi obsequendum adhortarentur: illi autem apertis prophetiis et aliis signis, se vere fuisse a Deo missos ostendebant: sic Elias (4), propheta Bethel (5), etc.

225. 6.° Judaica religio veram circa Dei naturam et attributa edocet doctrinam, rerum omnium originem mira evolvit sapientia, circa mores nihil non honestum praescribit. Deum ritibus honestis et sanctis colebat. Sed ejusmodi doctrinae complexus non nisi è divina ortum habere potuit revelatione (supra, n. 212); ergo divina est lex Mosayca.

7.° Populo rebelli, durissimae cervicis, vitiis omnibus prono et gentilicis moribus, legem sanctam ac difficilem Moyses imposuit, idque nomine ac auctoritate Dei invisibilis, quem nulla gens colebat vel dignoscebat: sed id supra hominum positum est vires; ergo a Deo lex Mosayca venit.

226. Obj. 1.° Religio judaica Deum colit corporeum; nam ambulat in medio Paradisi et cum Adam loquitur (6); Abraham parat illi convivium; et quidem comedit, etc. Ergo conficta dicenda.

Resp. Dist. Exhibet Deum corporeum *in se;* nego. Sub signis corporeis agentem; conc. Scilicet, signa adhibebat Deus corporea, ut facilius homines cum eo agerent, et paulatim per sensibilia ad spiritualia assurgerent. Comedisse Deum, vel potius Angelos qui Deum unum et trinum referebant, dicit scriptura; non utique *proprie* dicta comestione, sed similutidinaria et ad speciem: *Numquid,* ait (7), *manducabo carnes taurorum, et sanguinem hircorum potabo?* Et Raphaël Tobiae dixit (8): *Videbar quidem vobiscum man-*

---

(1) Act. Ap. VII, 53.—(2) Matth. V, 17; Marc. VII, 9.—(3) Exod. IV; et Deuter. c. XI. — (4) III, Reg. c. XVIII; et IV, Reg. c. I. — (5) III, Reg. c. XIII. — (6) Gen. c. III, et XVIII.—(7) Ps. 49, v. 13.—(8) Tob. XII, 19.

ducare et bibere; sed ego cibo invisibili, et potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.

227. Obj. 2.° Concedebat Lex Judaeis ut usuras ab alienis exigerent (1). Atqui jure naturae prohibentur usurae; ergo divina esse non potest Lex Moysis.

Resp. *Concedebat*, id est, non puniebat; conc. sic censent Lyranus, Cajetanus, etc., quod Lex *toleraret* malum istud, ob cordis duritiem, et ne suos etiam dilacerarent fratres. *Concedebat,* id est, licitum faciens, nego; vel subdist. Quatenus Deus, supremus omnium Dominus, poterat dominium rerum in populum sum transferre; conc. *Concedebat*, quasi rem *per se* licitam; nego. In Psalmis enim et Prophetis saepe, nulla facta exceptione, reprobantur absolute usurae.

Nota. Cetera, quae possent in thesim objectari, consulto in particulares Theologiae tractatus remittimus.

SCHOLION.

De auctoritate et veritate librorum Pentateuchi.

228. Aliqua, pro divinitate religionis Mosaycae, tradita argumenta testimonio nituntur libri, omnium, qui dignoscuntur, librorum antiquissimi, Pentateuchus dicti. Quam ergo sit authenticus ac verax liber iste, paucis hic indicabimus rationibus, caeteras autem apud auctores, qui de libris disserunt sacris, facile sibi lector comparabit.

229. **Dico I.** Pentateuchum authenticum esse, atque Moysen auctorem habere non est dubitandum.

Prob. 1.° Tuta est res haec ab omni dubio christianis omnibus; Christus enim, et deinceps Apostoli, ad Moysen Pentateuchum referunt.

Dixit Dominus Judaeis, qui utique Moysen constanter Pentateuchi auctorem habuerunt; *Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem: est qui accussat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis; quomodo verbis meis credetis?* (2) Ecce, agit Christus de scriptis Moysis, de litteris Moysis, prout Judaeis omnibus notum erat: atqui non alia, praeter Pentateuchum, illi Mosayca noscebant scripta. Nec semel adprobavit Dominus Judaeorum traditionem ac communem sententiam; dixit enim (3), quasi ex ore Abra-

(1) Deut. XXIII, 19.—(2) Jo. V, 45.—(3) Luc. XVI, 29.

hae: *Habent Moysen et Prophetas, audiant illos.* Jacobus etiam (1) dixit: *Moyses a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.* Atqui ex continua Judaeorum traditione notissimum est, librum *Moysis* alium non legi praeter *Pentateuchum:* cujus rei antiquum habemus testimonium ex translatione Israëlitici regni ad regionem Assyriorum. Sublatis Judaeis è loco suo, misit rex Assyriorum gentes alias quae ibi morarentur et terram colerent; et cum eis simul sacerdotem judaeum, qui *edoceret eos legitima Dei terrae* (2). Atqui Pentateuchum gentibus illis tradidit et praedicavit sacerdos iste, quemadmodum ex textu elucet Samaritano. Non est ergo, juxta *S. Jacobum*, in dubium revocandum, opus esse *Moysis Pentateuchum.* Paulus etiam explicite ad Moysen refert (3) libros Levitici et Deuteronomii: *Moyses scripsit; quoniam...*

230. 2.° Neque intrinseca desunt argumenta. In libro Deuteronomii, in quo summa et compendium totius Legis traditur et eventuum qui in Exodo narrantur, ipse libri Auctor se Moysen esse passim asserit, praesertim in libri prooemio (4): *Coepit Moyses explanare legem et dicere:* et inde prosequitur ipse omnia scribendo enarrans, ac de se ipso loquens: ex. gr. *Dixique vobis illo in tempore... Tunc respondistis mihi... Tulique de tribubus vestris viros sapientes... praecepique eis dicens: audite illos*, etc. Ne autem quis putet, solam rerum narrationem ac legis explanationem ad Moysen referendam, non autem libri scriptionem, legitur versus finem (5): *Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam foederis Domini, et cunctis senioribus Israël. Praecepitque eis, dicens: post septem annos, in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israël.... ut audientes discant, et timeant Dominum, et custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus.*

231. 3.° Ex laudatis postremo verbis facile concludimus, nedum Deutoronomii volumen, sed alios quoque *Pentateuchi* scripsisse Moysen libros. Lex enim Mosayca non in solo definitur Deutoronomio, sed in ceteris quoque libris; imo *explanatio* potius legis, ac adhortatio ejusdem servandae dicendus est liber iste, quam *lex*, uti ipse loquitur Moyses (n. 130). Cum ergo ait: *Scripsit Moyses legem hanc*, id cogimur ad ceteros quoque referre libros.

Et ita sane; de lege in monte Sina suscepta, prout in Exodo (6) traditur, legimus (7): *Scripsit autem Moyses universos sermones*

---

(1) Act. Ap. XV, 21. — (2) IV, Reg. c. XVII. — (3) Rom. X, vv. 5, 6. — (4) Deut. c. I, s. — (5) Deut. XXXII, 9.— (6) XX et seq. cc.— (7) XXIV, 6.

Domini... Assumensque volumen foederis, legit audiente populo. Neque solos Domini scripsit sermones: de bello enim et victoria adversum Amalech ait (1): *Dixit autem Dominus ad* Moysen: *scribe hoc ob monimentum in libro, et trade auribus* Josue. Quod si haec jussus est Moyses scribere, et quidem in Exodo scripta legimus ¿numquid alia, majoris longe momenti, putabimus non scripsisse, *ob monimentum*, Moysen? Puta, mirum illius populi, inter tot portenta, ab Egypto exitum; Patriarcharum electionem è quibus ortum duxit et promissa ac benedictiones haereditavit; mundi creationem, ac diluvium, et alia quae in Genesi traduntur. Scilicet, parva quedam facta, ex Dei mandato, scripsit Moyses, *ob monimentum;* cetera autem longe clariora, summi momenti, transmisit, et alienae curae tradidit! Numquid non insanire videntur, qui populi judaici traditionem contemnere audent, et quemvis alium, praeter Moysen, sibi fingunt Pentateuchi auctorem?

232. 4.° Si Pentateuchum non scripserit Moyses, dicendum a fallaci aliquo fuisse in errorem inductum universum judaicum populum: etenim non solum Jesuchristi et Apostolorum tempore, et deinceps usque adhuc; sed antea, usque ad Moysis ipsius tempora, censuerunt christiani ac judaei esse Moysi adscribendum. Et quidem in libro Josue, ducis post Moysen Judaeorum, habetur (2): *Custodias et facias omnem legem quam praecepit tibi* Moyses *servus meus... Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quae in eo scripta sunt:* et rursus: *Post haec legit* Josue *omnia verba benedictionis et maledictionis, et cuncta quae erant scripta in legis volumine; nihil ex iis quae* Moyses *jusserat reliquit intactum.* Ex quibus inferes, non Deutoronomium tantum lectum fuisse; non enim in eo omnia Moysis mandata scripta sunt. Tempore regum (3) eadem vigebat traditio: *Juxta quod, scriptum est in libro legis* Moysi, ait Sacer scriptor: imo jusu Dei fuisse tunc à Moyse legem traditam, testatur (4): *Et tulerunt filii* Levi *arcam Dei, sicut praeceperat* Moyses *juxta verbum Domini.* Salomon quoque sacrificia offerenda praecepit *Juxta praeceptum Moysi* (5): quod quidem Moysis mandatum in Exodo legitur (6), et in libro Numerorum (7).

233. Verum lex illa Moysis adeo complexa, quae non solum cultus caeremonias, sed civilia etiam, ac domestica, et jura gen-

---

(1) XVII, 14. — (2) C. I, v. 7; et c. VIII, vv. 34, 35; et c. XXIII, 6.— (3) IV. Reg. XIV, 6; XXIII, 25. — (4) Paralip. 1.°, c. XV, 15.—(5) 2.° Paral. VIII, 13. —(6) Exod. XXIX, 38. — (7) Num. XXVIII.

tium complectebatur; nec tunc existentem populum, sed futuras generationes respiciebat; prorsus postulabat quod scriptis traderetur: Moysen ergo id providisse nemo prudens potest in dubium revocare. Ac sane de iis quae in monte Sinai evenisse narratur in Exodo, explicite legimus (1): *Scripsit autem* Moyses *universos sermones Domini: et mane consurgens aedificabit altare ad radices montis... assumensque volumen foederis, legit audiente populo, qui dixerunt: omnia quae locutus est Dominus faciemus et erimus obedientes.* Quod si haec scripsit, cur de reliquis, quae ad *Deuteronomium* usque sequuntur, dubitabitur? Proinde, cum totus Pentateuchi liber sic facta omnia historica cum legibus connexa exhibeat, ut sejungi inter se minime valeant; ejusdem est opus auctoris, ideoque Moysi est adscribendum.

234. Quod autem nequiverint judaei in hac re illudi, facile patet. Error enim coepisset ipso Moyse superstite, vel proxime post mortem ipsius: nam regebatur constanter populus judaicus, juxta leges in Pentateucho scriptas, et quidem sub nomine legis Moysis, ut ex libris omnibus historicis veteris Testamenti elucet, praesertim ex libro Josue qui Moysi successit. Atqui extante Moyse, vel extantibus tot populi principibus, sacerdotibus, Levitis ac aliis innumeris Moysi coaetaneis nullus sic mentiri ac fallere potuit, ut Moysi librum apocriphum falso adscriberet. Cito namque omnibus mendacium illuxisset, ex iisdem, quae in libro narrantur et praescribuntur, rebus.

235. Confirmatur. Non pauci ex ethnicis antiquissimi auctores Pentateuchum Moysi adjudicabant; uti Manethon aegyptius, Philocorus atheniensis, Eupolemus, etc., quorum opera Josephi tempore, Clementis Alexandrini, et Eusebii usque manebant: idem pariter testantur Diodorus Siculus, Trogus, Pompejus, Strabo, etc.

236. Objiciunt 1.°, quod Moysis laudes eximiae in Pentateucho leguntur, quas ipsum scripsisse non est credendum.

Resp. 1.° Ad Legis scopum multum spectabat, quod legislatoris sanctitas et excellentia nota fieret: se ipsum autem vere, non falso, laudare, et quidem boni communis intuitu, non vana gloriae cupiditate, haud est a modestia et viri gravitate alienum.

Resp. 2.° Si ejusmodi cogeret ratio, multis oporteret auctoribus denegare genuina ipsorum opera: tamen ipsis conceduntur communi criticorum consensu.

Obj. 2.° Ad finem Pentateuchi ea enarrantur quae vel in morte

---

(1) Exod. XXIV.

Moysis, vel post mortem etiam, accidere: ergo ab alio fuisse scriptum, partim saltem, fateri oportet.

Resp. Credentibus omnibus parum haec urget difficultas; scimus enim prophetam Domini Moysen fuisse: qui ergo plurima alia, sive praeterita, sive futura, spiritu prophetico didicit ac scripsit; potuit pariter ea, quae ad mortem vel post mortem suam evenerunt, praescire et litteris tradere. Aliqui tamen catholici DD. non verentur concedere, fuisse a Josue ad Deutoronomii librum adjecta illa omnia, quae Moysis mortem respiciunt.

237. **Dico II.** De veritate historica librorum Pentateuchi non est ambigendum.

Planum apertumque est, propositionem hanc fidelibus omnibus esse fide certam; pro comperto enim habent, esse Pentateuchi libros divinitus inspiratos. Verum ab ejusmodi firmissimo abstinebimus nunc argumento; et concedi nobis intendimus, non posse, juxta rationalis critices regulas, historicam Pentateuchi veritatem in dubium revocari: 1.° Si falsa, fictaque ea forent quae in Pentateucho scripsit Moyses, non potuisset adeo effrons apertumque mendacium populum illum Israëlis universum latere, scilicet, sacerdotes, principes, ac reliquum vulgus. Atqui sciens volensque nullatenus acquievisset populus ille apertis Legislatoris mendaciis: ergo. *Major* patet: non enim privati eventus vel obscuri, aut exigui momenti, in ea narrantur historia, qui historiatorem tergiversari sinerent; sed magni, conspicui, illustres, universum attingentes populum; quorum etiam ipse populus testis ocularis a Moyse asseritur; eo ducentes, ut legem perdifficilem, quasi a Deo datam, amplecterentur; populi peccata, inconstantiam, infidelitatem exhibentes: atqui ejusmodi rerum poterant omnes testimonium exhibere certum; ergo si falsas corruptasque exhibuisset Moyses merces, id neminem latere potuisset. Nam ¿numquid poterant ullum latere Aegypti plagae, divisio maris, legis in Sinai monte inter fulgura promulgatio, mannae quadraginta annorum spatio pluvia, etc., etc.?

Minor, scilicet; non potuisse populum illum apertissimis connivere mendaciis, a nullo potest in dubium revocari. Quicumque enim Deo fideles, legique obsequentes erant, ad mendacia cooperari et falsitates renuissent; ii autem qui adversus Moysen ac Legem saepe rebellabant, mendaciis Legislatoris assentari multo minus acquievissent.

238. 2.° Inverecundia foret aperta, nec non summum stultitiae aut nequitiae culmen, apertissimis contendere mendaciis illud quasi verum suadere, quod mendacia ipsa falsissimum esse aperte demonstrant. Sed id fecisset Moyses, si falsam fictamque tra-

didisset Israëlitico populo historiam: etenim illud ubique contendit Moyses ac suadere vult; se legatum Dei esse, et nomine ipsius loqui, legesque ferre. Sed huic supremo, et sanctissimo muneri quodcumque adversatur mendacium; ergo inverecundus, stultus vel nequissimus habitus fuisset, si fictam tradidisset historiam. Atqui Moysis prudentia, modestia ac honestas ubique ita clare effulgent; ut constanti populi Israëlitici traditione, et omnium qui Mosaica noverunt scripta, communi consensu, vir plane insignis fuerit reputatus; ergo.

ARTICULUS II.

De Christiana Religione.

THESIS XXIV.

Religio Christiana est divinitus revelata, adeoque verissima.

239. Probr. 1.° Divina illa est religio, cujus Deus auctor extitit. Sed religionis christianae auctor, Christus, scilicet, Deus est; quod in tractatu de Incarnatione demonstratur; ergo.

2.° Religio quae miraculis confirmatur est divinitus revelata: sed talis est christiana; ergo. *Major* ex supra (n. 187. Thes. XVIII), demonstratis elucet: minor ex authenticis patet historiis; imo perenni experimento a Christi tempore et deinceps usque adhuc.

Hujusce facti paucos indicabimus testes. a) Judaei ipsi id fatebantur: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* (1). De Christi discipulis et Apostolis dicitur (2): *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.* Et ipse Dominus doctrinam suam miraculis confirmabat (3): *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre.* b) Tum ex Evangeliis et Actibus Apostolorum, tum ex priorum seculorum scriptoribus et Patribus liquet, inductos fuisse homines magnis, plurimisque miraculis ad Christi amplectendam religionem. Martyrum passiones fuisse prodigiis passim illustratas, Acta illorum, in plurimis ac dissitis orbis partibus scripta, testantur. Hinc et ajebat Augustinus (4): «Eloquia namque persuadentium, mira fuerunt facta,

---

(1) Jo. XI, 47. — (2) Marc. XVI, 20. — (3) Jo. X, 38. — (4) De Civit. Dei, l. 22. c. V.

»non verba.» Et Hieronymus (1): «Neque enim potuissent in »tam brevi tempore credere, nisi signorum miraculis fides eorum »quodammodo fuisset extorta.»

240. 3.° Divina ostenditur religio, quae prophetiis adprobatur. Sed Christi D. religionem prophetiae commendant; ergo. *Major* supra ostensa fuit (n. 201, thes. XX). Minor autem pluribus elucet prophetiis a Christo peractis, puta, de eversione Jerusalem et Judaeorum excidio; de sua passione et morte cum adjunctis multis; de resurrectione post tres dies; etc. Hisce prophetiis Christus discipulorum roborabat fidem: *Amodo dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis* (2).

241. 4.° Divina est religio quae a solo potest Deo procedere: atqui ejusmodi est Christi religio; ergo. *Major* ex se ipsa clare patescit. *Minor* cuivis christianae religionis doctrinam et cultum expendenti elucebit, ex supra positis (Thes. XXII).

242. 5.° Argumentamur cum D. Bonaventura: vel nequissimum hominem, aut stupidissimum, extitisse Christum; vel ipsius doctrinam et religionem esse divinam, fatendum est. Atqui illud primum ratione plane repugnante diceres; ergo secundum fateri debes.

Min. probr. a) Vanum ab hominibus captum honorem, seculi divitias, cupidinem omnem Christus abhorrebat: homines ad omnem hortabatur virtutem, justitiam, ac unius summi Dei reverentiam: homines honestate praeditos, sinceros, innocuos et ceteros diligentes, sibi charos habebat: altissimis eluxit sapientia et prudentia, quibus nemo, vel callidissimus quisque, obsistere valebat. Atqui toto coelo distant ejusmodi ab homine aut nequam, aut stulto; ergo. b) Adversatur quoque illorum sententiae, quibus innotuit Christus: de illo namque dicebant: *propheta magnus surrexit in nobis; Dominus visitavit plebem suam; benedictus qui venit in nomine Domini; de Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo;* etc. Cum autem magnates, invidia tabescentes, testes adversus Jesum quaererent; nullus inveniri potuit, qui verisimile testimonium afferre posset: et Christo eos interroganti: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Nihil prorsus objicere potuerunt. Imo sacerdotes ipsi et primates ajebant: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Tamen nec plebis vitia fovebat neque temporalia bona, sed spiritualia tantum et aeterna adipiscenda promittebat. Atqui haec omnia ab homine nequissimo vel stulto sunt undequaque aliena: ergo primum fateri necessum est;

---

(1) In Isai. LXX, 25.—(2) Jo. XIII, 19; et XIV, 29.

veram, scilicet, tradidisse doctrinam, ac divinam esse Christi Religionem: nisi enim fuerit a Deo missus, Dei Filius ac Patri aequalis, vel magna impietate, vel incredibili stoliditate, id conatus fuit suadere.

243. Obj. Gentilium populi miraculis Apollonii Thyanaei, aliorumque magorum, fidem adhibuere: tamen vana illa erant figmenta: sic ergo fictis Christi et Apostolorum miraculis potuere decipi christiani.

Resp. 1.° Plurimi sane decepti sunt, fidem quorumdam hominum testimoniis praebentes; ergo nullius, vel gravissimi viri, dicto assentiendum. Nonne id stulte ac absurde dici putares?

Resp. 2.° Negando *consequentiam* et paritatem. Nam a) neque illis fictis miraculis multitudo populorum omnis aetatis et conditionis fidem adhibuere, quemadmodum ubique terrarum Christi et Apostolorum miraculis fides data est: b) neque testes et scriptores utrorumque prodigiorum et numero et gravitate pares inveniuntur, quemadmodum de illis notavit Augustinus (1); «Quorum multa mira nullo fideli auctore jactitant:» c) neque possunt miracula ipsa invicem aequiparari (2): «Quamvis et daemones nonnulla faciant Angelis sanctis similia, non veritate sed specie, non sapientia sed plane fallacia.» Et alibi (3): «Quis autem vel risu dignum non putet, quod Apollonium et Apulejum, ceterosque magicarum artium peritissimos conferre Christo, vel etiam praeferre conantur.»

THESIS XXV.

Religionis christianae propagatio miraculis est adscribenda; ideoque divina existit Christi Religio.

244. Prob. 1.° Res summe difficiles nequeunt communes evadere, praesertim brevi tempore. Atqui cum propagata fuit, erat religio christiana summe difficilis, et brevi tempore communis evasit; ergo non humanitus, sed miraculose id evenisse dicendum est.

Major propositio experimento nota est: et causa existit; quod summe difficilia sint vulgo moraliter impossibilia. *Minor* etiam facile elucet; injungebat enim christiana lex, ea uti falsa respuere quae communiter reputabantur vera; ea adstruere et credere quae captum superabant mentis, imo quae videbantur rationi adversari; indeque Judaeis quasi *scandalum*, Gentilibus autem quasi *stultitia*

---

(1) Epis. 102, 32.—(2) August. ibid.—(3) Ep. 138, 18.

visa sunt (1); ea denique praescribebat mandata quae erant naturae lapsae, communibusque gentium moribus adversa.

Quod autem brevi tempore fuerit religio christiana propagata, testes erant ipsi Pagani, qui deorum templa, teste Plinio in epistola ad Trajanum Imp. seculo secundo, vacua evadere lamentabantur: unde ajebat Apostolus (2): *Pervenit ad vos* (Evangelium), *sicut et in universo mundo est et fructificat et crescit sicut in vobis.* Scribebat Tertulianus (3) ad *Nationes*: «Quotidie adolescentem »numerum christianorum ingemitis. Obsessam vociferamini civi»tatem: in agris, in castellis, in insulis Christianos; omnem sexum, »omnem aetatem, omnem denique dignitatem transgredi a vobis »quasi detrimento doletis.» Et Arnobius Ethnicos constringebat: «Vel haec saltem fidem vobis faciant argumenta credendi, quod »jam per omnes terras in tam brevi tempore immensi nominis ejus »sacramenta diffusa sunt; quod nulla jam natio est tam barbari »nominis, quae non ejus amore versa molliverit asperitatem »suam (4).» Et Justinus M. (5), saeculo II, ajebat: «Nullum om»nino genus est sive Graecorum, sive Barbarorum, sive quolibet »nomine appellentur, vel Hamaxobiorum, qui in plaustris degunt, »vel Nomadum qui domibus carent, vel Scenitarum qui pecora pas»centes in tentoriis habitant; nullum, inquam, ejusmodi genus est, »in quo non per nomen Jesu crucifixi preces et gratiarum actio»nes Patri et Creatori universorum fiant.»

245. Prob. 2.° Divina virtute fuit christiana religio propagata, si illis caruit praesidiis quae ad id unice poterant humanitus juvare. Atqui ita se res habuit: sapientes quippe et potentes, non nisi aliis sapientibus ac potentibus superari queunt; humana commoda aliis tantum compensantur hujusmodi commodis et vincuntur: jam vero cum adversarentur Christi religioni potentes hujusce mundi, sapientes, omniaque mundana commoda; non fuit hisce munita praesidiis in mundum propagata; quod mirabatur Apostolus (6), et divinae adscribebat virtuti: *Perdam sapientiam sapientum et prudentiam prudentum reprobabo... Quae stulta sunt mundi elegit Deus ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia.*

246. 3.° Si praeter summam rei difficultatem, et mediorum naturalium carentiam, religioni obsistebant christianae opprobia, temporalium bonorum jactura, tormenta et crudelissimae caedes; longe difficilior ac humanitus impossibilior ejusdem fuit propagatio. Atqui sic rem evenisse notum omnibus est; ergo virtute divina

---

(1) 1.ª Cor. I, 23.— (2) Colos. I, 6. — (3) L. I, n. 1. — (4) Contra Gents.— (5) Dial. cum Triph.— (6) 1.ª Cor. I, 19.

hominum obtinuit mentes christiana religio, sicut notavit Augustinus (1); quod non potuisset id compleri, nisi opus istud, «Virtutis fuisset divinae, non persuasionis humanae.» Nempe, media quae ab hominibus, natura duce, adhibentur ad suos delendos hostes, ea Deus assumpsit ad fidem Christi propagandam; uti ad Imperatorem dicebat Tertulianus (2): «Nec quicquam profi»cit exquisitior quaeque crudelitas: illecebra est magis sectae; plu»res efficimur quoties metimur; semen est sanguis christianorum.»

247. 4.° Praeclarum aliud adjungimus argumentum. Si Christi praecones ex sese impedimento erant, potius quam juvamini, ad ejus evulgandam doctrinam; non poterit velox lataque ejusdem propagatio hominum adscribi virtuti, sed Dei: atqui praecones extiterunt religionis christianae ignari ac simplices homines, ideoque sapientibus contemptibiles; pauperes, qui non trahunt ad se, sed avertunt potius ceteros; judaei, gentibus universim odibiles; ignavi et inermes, injuriis omnium et vexationibus subjacentes; adeoque non ulla ex parte faventes, sed retardantes ad felicem praedicationis exitum; ut inde illud patenter eluceret quod notavit Apostolus (3): *Ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei:* ergo.

248. Ad rem Augustinus (4): «Et ipse modus quo mundus »credidit, si consideretur, incredibilior invenitur (ceteris Religionis »Christianae mysteriis). Ineruditos liberabilibus disciplinis, et om»nino, quantum ad istorum doctrinas attinet, impolitos, non peri»tos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos, »piscatores Christus, cum retibus fidei, ad mare hujus saeculi pau»cissimos misit; atque ita et ex omni genere tam multos pisces, et »tanto mirabiliores quanto rariores etiam ipsos philosophos cepit... »Si multi nobiles, sublimes, docti eam (Ascensionem Christi) se vi»disse dixerunt, et quod viderunt diffamare curarunt; eis mundum »credidisse non mirum est; sed istos (hodiernos incredulos) adhuc »credere nolle perdurum est: si autem, ut verum est, paucis, »obscuris, minimis, indoctis eam se vidisse dicentibus et scri»bentibus credidit mundus; cur pauci obstinatissimi, qui re»manserunt, ipsi mundo jam credenti adhuc usque non credunt? »Qui propterea numero exiguo ignobilium, infirmorum, impe»ritorum hominum credidit, quia in tam contemptibilibus testi»bus multo mirabilius divinitas se ipsa persuasit. Eloquia nam»que persuadentium quae dicebant, mira fuerunt facta, non verba. »Qui enim Christum in carne resurrexisse, et cum illa in coelum

(1) De civit. Dei, l. 22, c. VII.—(2) Apolog. c. 5.—(3) 1.ª Cor. II, 5.—(4) De civit. Dei, c. V.

»ascendisse non viderant, id se vidisse narrantibus, non loquenti»bus tantum, sed etiam mirifica facientibus signa credebant... Si »vero per Apostolos Christi, ut eis crederetur, resurrectionem atque »ascensionem praedicantibus Christi, etiam ista miracula facta esse »non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod »eam terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.»

Obj. Sic Apostoli, ceterique religionis Christianae praecones, Christum depingebant, ut corda allicerent hominum; humilem, scilicet, perhumanum, beneficum, sanctum, miracula operantem, virtutibus denique omnibus fulgentem; insuper è mortuis resurrectum et in coelo regnantem. Sed ejusmodi efficacissima sunt media, ut praeconibus Evangelii homines fidem praeberent; ergo connaturalis dicenda est religionis Christianae propagatio.

Resp. dist. *maj.* Sic Christum depingebant... in illis tamen rerum adjunctis, quibus talem extitisse Christum foret humanitus, seu, non intercedente divina virtute, credibile; *nego.* Secus; conc. *majorem*, et dist. *min.* Sed haec efficacissima sunt media ad... semel ac ejusmodi animo insiderint; concedo: sed hic opus, hic labor! Aliter seu, donec menti illa persuadeas; nego.

Sane facile illum induces ad religionem Christi amplectendam, qui eum credat sanctum esse, mira facientem, e mortuis surrexisse, etc. Sed eum talem extitisse, qui fuit inter latrones crucifixus, a Romanis et Judaeis capite damnatus, qui ab hominibus predicatur contemptibilibus, et cum ceteris adjunctis; hic opus, inquam, hic labor!

THESIS XXVI.

Resurrectio D. N. Jesuchristi veram divinamque ostendit Religionem Christianam.

Theseos probatio sic potest institui: I. Christus resurrexit: II. Resurrectionem suam ipse praenuntiavit: III. Idque factum ut in eum crederemus: ergo divina est Christi doctrina et religio.

249. I.ª Pars ostenditur. 1.° In symbolis fidei credimus: «Tertia »die resurrexit a mortuis.»

2.° Aperte loquuntur Scripturae sacrae, et quidem saepissime. Sic Petrus, coram omni Principum et Sacerdotum concilio testatus est (1): *Principes populi, et seniores, audite: si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est; notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israël: quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis.*

(1) Act. Ap. c. IV.

quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Et Paulus ajebat (1): *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.... miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

3.° Praetermittimus Patrum testimonia, ab initio et deinceps semper consentientia, et historicum sufficiat indicare argumentum.

250. Si Christus non resurrexit, dicendum; vel quod falsi fuere Apostoli, vel quod fallere alios inique voluere. Sed neque errorem passi sunt Apostoli, neque fallere alios intenderunt, neque id volentes potuissent: ergo vere Christus resurrexit. Probatur *min.* per partes.

a) In primis non errarunt Apostoli. Plurimi testes, omnis aetatis et conditionis, circa factum illustre, constans, propriis oculis manibusque expositum, et dum ipsi promptiores existunt ad illud negandum, quam asserendum, errare nequeunt in eodem agnoscendo. Atqui ejusmodi erat Christi resurrectio, et Apostolorum dispositio: ergo.

Min. prob. Non singuli tantum, et privatim, viderunt discipuli Jesum Christum post resurrectionem, sed etiam omnes simul (2); imo aliquando visus est, ait Paulus (3), *Plusquam quingentis fratribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormierunt:* Item, illustre factum, omniumque provocans animum et mentem ut attentissimi essent, fuisse resurrectionem tanti Prophetae, a principibus Judaeorum damnati, a Praeside Romano occisi, stante universo populo, et in frequentissima urbe crucifixi, res est aperta. Constans etiam, non fugax ac unius diei, sed multis propositum experimentis fuisse resurrectionis factum, omnes narrant Evangelistae; nam per quadraginta dies apparuit eis, et egit cum illis, ac manducavit Christus (4): et non tantum oculis Apostolorum se praebuit videndum, sed manibus etiam palpandum, ne phantasma esse putarent. Quod autem discipuli nullatenus propensi forent ad credendum, multo minus ad sibi confingendam Christi resurrectionem, aperta ostendunt indicia. Nam Thomas, licet omnes testarentur se Christum redivivum vidisse, ait (5): *Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Ceteri Apostolorum, cum primum nuntium resurrectionis audierunt, *Visa sunt ante illos sicut deliramenta verba ista, et non crediderunt illis* (6). Imo, cum jam praesentem se illis Dominus praebuit, *Existimabant se spiritum videre. Et dixit eis:*

---

(1) 1.ª Cor. XV, 14.—(2) Jo. XX, 26. — (3) 1.ª Cor. XV, 6. — (4) Act. I, 3.— (5) Jo. XX, 25. – (6) Luc. XXIV, 11.

videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum: palpate et videte... Adhuc illis non credentibus... dixit: habetis hic aliquid, quod manducetur? (1).

Patet igitur; errorem, circa tale factum, locum habere non potuisse; nisi velis, ut unum neges miraculum, aliud majus, imo apertum absurdum effingere.

251. b) Dicimus secundo, non voluisse Apostolos in errorem homines inducere. Nam 1.°: ubi in fallendo nihil est commodi, sed potius gravissima sequuntur mala, cum a Deo, tum ab hominibus, tam in hoc seculo, quam in futuro; nemo, nisi amens sit et furiosus, mentiri vult. Atqui Apostoli, ceterique resurrectionis testes, dementis ac furiosi animi nulla exhibuerunt indicia; et ex mendacio gravissima tantum expectare potuissent supplicia: ergo. *Min.* patet. Nam a Deo mendaces et blasphemi poenas tantum et reprobationem expectare valent: homines autem flagellis, carceribus, suppliciis et morte Apostolos mulctabant propter resurrectionis testimonum: unde ajebat Paulus, *Si Christus non resurrexit, miserabiliores sumus omnibus hominibus.*

2.° Confir. Antequam Christus D. contemptus, derisus, flagellatus, cruci affixus obiret; dum vitam honestissimam ageret, promitteret bona, ejusdemque potentia magnis fulgeret prodigiis: cum sincerum se exhibebat amicum, et insignem Prophetam, et Filium Dei esse Apostoli putarent; tamen omnes, instante periculo, fugae se tradiderunt; nullum tentarunt medium ut a morte Jesum eriperent, calumnias rejicerent, et ejus testarentur innocentiam. Atqui nolentes quidquam pro amico facere, pro vivo, pro potente, praemia promittente, et se Filium Dei exhibente; non poterant falso testari pro mortuo, pro impotenti, pro impostore, pro blasphemo, qui suae iniquitatis poenas tandem turpissime luisset: ergo fallere Apostoli noluerunt.

252. c) Denique, si stulte ac impie tentassent fallere Apostoli, nullatenus potuissent. 1.° Quia Christus, in omnium conspectu mortuus, publica auctoritate in sepulcro signato et militibus munito custodiebatur: ergo discipuli ignavi et inermes, ac timore magno perculsi, nec quicquam moliri valebant ad abscondendum cadaver, neque ad simulandam resurrectionem. 2.° Non tantum testes facti se ipsos dicebant Apostoli, sed alios plurimos, plusquam quingentos testes, ut dictum est supra, appellabant. Atqui coram tot testibus, aetate, conditione, sexu diversis; quibus a mendacio nihil utilitatis, ab Apostolis nihil honoris ac

(1) Luc. XXIV, 37.

divitiarum, a testimonio resurrectionis persecutiones tantum et vitae discrimen imminebant, abscondere mendacium Apostoli nequibant: ergo.

Et sane, inter tot testes, aliqui saltem, vel amore veritatis, vel pudore tanti ac talis mendacii, vel minis hominum, vel tormentorum vi, vel timore Dei, vel pro suae gentis et religionis amore et honore, imposturam aperuissent.

253. 3.° Christi resurrectionem Apostoli omnibus ab initio praedicabant, ut primarium salutis et evangelicae veritatis argumentum, iis existentibus quos testes fuisse resurrectiones asserebant: ergo tum omnes, qui Evangelio crediderunt, tum magistratus et Judaei, qui nihil non moliti sunt adversus Christi fidem, veritatem resurrectionis sollicite inquirere cogebantur, et omnem umbram ac suspicionem mendacii removere; igitur fallere non poterant Apostoli. Et quidem conati sunt sacerdotes ac magistratus mendacii Apostolos arguere, sed dormientes tantum opponere illis potuere testes, ut notavit Augustinus.

254. II.ª Pars probatur. 1.° Ipsi Judaei praedictam fuisse a Christo resurrectionem testati sunt ante Pilatum (1): *Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit, adhuc vivens: post tres dies resurgam.* S. Matthaeus (2) Christi refert verba: *Sicut fuit* Jonas *in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.* Et iterum: *Coepit Jesus ostendere discipulis suis, quia oportet eum ire Jerosolymam, et multa pati... et occidi, et tertia die resurgere.* Pariter S. Lucas (3): *Et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget.*

255. III.ª Pars probatur. Ea denique de causa resurrexisse, et praenuntiasse Christum resurrectionem ut fidem strueret, aperte testantur Evangelia (4). *Magister, volumus a te signum videre; qui respondens ait illis; generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei nisi signum* Jonae *prophetae. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.* Apostolis quoque dixit: *Audistis quia ego dixi vobis: vado et venio ad vos... Et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis.* Hinc et Angelus, post resurrectionem, confirmavit ex ipsa Christi praedictione discipulorum fidem (5): *Non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilaea esset, dicens: quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum*

(1) Matth., XXVII, 63.—(2) XII, 40; XVI, 21; XVII, 22.—(3) XVIII, 33.—(4) XII, 38; Luc. XI, 29; Jo. II, 29.—(5) Luc. XXIV, 6.

peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. Et recordatae sunt verborum ejus.

256. Obj. 1.° Resurrectionis factum non constat nisi christianorum testimonio; ergo in propria causa non sunt audiendi.

Resp. 1.° Permisso *antec.* negatur *consequentia;* haec enim sensui communi et rationi primo intuitu adversatur. Alias scriptor nullus esset audiendus patriae historiam enarrans, sed extranei tantum forent credendi: neque homo posset humana facta scribere, sed angelus foret expectandus, qui ea referret.

Resp. 2.° Dist. *antec.* Constat christianorum testimonio, ita ut, iis credatur praecise qua christiani sunt; nego. Quia aliunde praefulget eorum auctoritas; conc. Et sane scriptores illi. Judaismum, vel Gentilismum prius profitentes, facta religionis Christianae in examen revocarunt; nec alia ratione eam amplexi sunt, nisi quia facta illa prius comprobarunt. Quod vero deinde scriptis facta tradiderunt, et in eis credendis perstiterint, postquam Christo nomen dederunt; non ideo minoris sunt auctoritatis: nam Christi doctrina mendacia prohibet, et pro veritate etiam vitam prodere jubet.

257. Obj. 2.° Judaei, apud quos resurrectio Christi accidisse dicitur, eam non crediderunt, et Christi discipulos illam praedicantes suppliciis damnarunt. Si ergo tunc facti indicia ad Judaeos suadendos vim non habuere; quo pacto, post tot secula, eam habere queunt?

Resp. 1.° Dist. *ant.* Non crediderunt defectu probationis; nego *ant.* Propter eorum in errore obstinationem, vel quia Scribae et iniqui Sacerdotes eos in rei ignoratione detinuerunt; conc. Item, distinguo *consequens.* Post tot secula vim habere nequeunt suadendi eos qui Judaeorum imitantur obstinatum animum; concedo. Vim non habent suadendi objective ac per se; nego.

Et sane, omnibus patebant, incredulis etiam, insignia Xaverii miracula in seculo XVII; et Immaculatae Virginis Lourdensis, in praesenti, pariter effulgent, ut alia taceamus exempla. Scilicet, ut dicit Propheta (1). Injustus *noluit intelligere, ut bene ageret.*

Resp. 2.° Judaeorum infidelitas, quin officiat resurrectionis certitudini, potius eam confirmat; etenim praedixerant prophetae, populum illum fore in sua caecitate reprobandum.

258. Obj. 3.° Christus non fuit in sepulcro tribus diebus et tribus noctibus. Atqui id futurum fuisse dixerat Christus, ut Matthaeus testatur: ergo falsitatis ea praedictio arguitur. (Vide Matthaeum, XII, 40.)

(1) Ps. 35, 4.

Resp. dist. *maj.* Tribus diebus et tribus noctibus distinctis quidem, sed inchoatis; nego. Plenis; concedo *maj.* Dein contradistincta *minori*, nego *consequentiam.*

Inst. Joannes (1) narrat venisse Mariam ad monumentum, cum adhuc tenebrae essent: Marcus, è contra (2), asserit, illam venisse, orto jam sole: ergo contradictionibus falsitas testium demonstratur.

Resp. Nego *consequentiam.* Nulla enim est in narratione contradictio: sufficit temporis durationem distinguere, qua mulieres ad monumentum perrexerunt. Scilicet, cum coepit Maria moveri, parari, socias vocare mulieres, etc., nempe, initio viae, adhuc tenebrae erant; seu in crepusculo diei, et valde mane, ut ipse Marcus loquitur, id praestiterunt: cum autem ingressae sunt monumentum ortus erat sol.

THESIS XXVII.

Sola Religio christiana vera et salvifica est.

Nota. Corollarium ex praecedenti thesi deductum dici haec potest; doctrinam enim hanc christiana religio profitetur; si vera igitur existit, nequit extra illam via ulla esse salutis ac verus Dei cultus. Et sane, quaevis alia ficti nominis religio, non uno ex capite, christianae adversatur, id est, divinae religioni; ergo impia ac falsa dicenda. Sed ad particularia veniamus argumenta.

259. Probatur 1.° In Symbolo fidei cristianae, quod Athanasii nuncupatur, dicitur: «Quicumque vult salvus esse, ante »omnia opus est, ut teneat catholicam fidem... » Pariter in Professione fidei Tridentina creditur: « Extra catholicam fidem, nemo salvus esse potest.»

2.° Christus D. de sua ait doctrina (3): *Docete omnes gentes... Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur:* Eamdem saepe indicant rem Scripturae (4).

3.° Hieronymus (5) ait: «Non ante filii esse possumus, nisi »Filii ejus Jesu fidem et intelligentiam recipiamus... Et tunc Spi»ritum adoptionis accipimus cum credimus in Filium Dei.» Et rursus (6): « Dicimus, omnem qui salvatur, salvari in Ecclesia.» Pariter Augustinus (7): «Qui autem non credit, jam judi»catus est. Quid est, *jam judicatus est?* Damnatus est. »

4.° Qui Christi non amplectitur doctrinam, gravissime in Deum

---

(1) Jo. XX, 1.--(2) XVI, 2.— (3) Marc., XVI, 16. —(4) Jo. III, 16, 17... Act. Ap. IV, 12; Ad Tit. III, 10. — (5) In ep. ad Ephes., III, 5. — (6) In Joël. I, 1. — (7) Serm. 294, (vel 14).

peccat: ergo extra salutis viam versatur. *Maj.* patet: qui enim non vult Deo credere revelanti et obedire praecipienti; in eum sane peccat: sed Christi doctrina a Deo revelata est et praescripta; ergo.

260. Obj. Quod ad Christi spectat doctrinam, plurimas, ignorantia vel errore invincibili, gentes ea latet. Atqui a Dei videtur providentia alienum quempiam ex insuperabili errore damnatum iri; ergo.

Resp. cum Pont. Pio IX (1): «Notum nobis, vobisque est, »eos qui invincibili circa sanctissimam nostram religionem ig»norantia laborant, quique naturalem legem sedulo servantes, ac »Deo obedire parati, honestam rectamque vitam agunt, posse, »divinae lucis et gratiae juvante virtute, aeternam consequi vi»tam... cum Deus minime patiatur, quempiam aeternis puniri »suppliciis, qui voluntariae culpae reatum non habeat.»

Unde dist. *maj.* Errore latet *absolute* invincibili; nego: *hypothetice;* conc. Deinde contradistincta *minore;* dist. *consequens:* potest ad salutem extra christianam perveniri religionem, *absolute* ac per se; nego: *conditionate*, quatenus ille qui ignorantia laborat, Deo, ad salutis viam aperiendam parato, obedierit, et gratiam praebenti minime obstiterit: concedo *consequentiam.* Scilicet, *facienti quod in se est*, ut loqui solent theologi, praesto Deus erit lumine gratiae, ut in Christum ea, qua oportet, fide credat, et hinc salutem assequatur. Quapropter Pius IX in laudata ait Encyclica: «Atqui hic... iterum commemorare et reprehendere »oportet gravissimum errorem, in quo nonnulli catholici misere »versantur; qui homines in erroribus viventes, et a vera fide atque »catholica unitate alienos, ad aeternam vitam pervenire posse »opinantur. Quod quidem catholicae fidei vel maxime adversa»tur... Notissimum est catholicum dogma, neminem, scilicet, »extra Ecclesiam Catholicam posse salvari.»

THESIS XXVIII.

Post veterem illam Judaicam, novam debuisse succedere Religionem, et quidem pro omnibus gentibus, ab antiquis praenuntiatum erat Prophetis.

261. Pars I.ª Probatur 1.° Christiani quidem hanc thesim fide certa tenent; ait enim Tridentinum (2): «Quoniam sub priori »Testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici Sacer-

(1) Encycl. ad episcop. Italiae, a. 1863.—(2) Sess. 22, c. I.

»dotii imbecillitatem, consummatio non erat; oportuit Sacerdotem »alium secundum ordinem Melchisedech surgere D. N.m Je»sum Christum, qui posset omnes consummare et ad perfectum »adducere... Is igitur... Corpus et Sanguinem suum sub speciebus »panis et vini Deo Patri obtulit. Et haec quidem illa munda est »oblatio... quam Dominus per Malachiam Nomini suo, quod »magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offe»rendam praedixit... Haec denique illa est, quae per varias sacrifi»ciorum, naturae et Legis tempore, similitudines figurabatur.»

2.° Isaias Deum Christo sic loquentem praenuntiat (1): *Dedi te in Foedus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum...* Jeremias autem (2): *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israël et domui Jacob foedus novum... Et hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos: dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam...*

3.° Antiqui Ecclesiae Patres ejusmodi ex antiquis Prophetis argumentum passim, tum adversos Judaeos, tum contra Gentiles, urgebant. Tertullianus, ex. gr., ostendit (3): «Quaerendum »et expectandum, secundum Prophetas, Novae Legis latorem, No»vi Testamenti haeredem, et novorum Sacrificiorum sacerdotem.»

262. II.ª Pars. prob. 1.° Paulus testatur (4): *Vocavit nos non solum ex Judaeis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam.* Isaias (5): *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob et faeces Israël convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Verum hac de re perpendendi fere Prophetae omnes, praesertim David in Psalmis 21 et 71, quos antiqui quoque Rabbini de Christo D. intellexere, idque planum apertumque est legenti. Nec solum de Christi adventu et Novae religionis institutione locuti sunt; sed de Christi persona, nativitate, passione, morte et subsequente gloria ac resurrectione sic praenuntiaverunt, ut sincero ac pacato animo legentes non possint ea de re dubitare.

Nota. Omnium pro re Christiana argumentorum compendium, ex Augustino depropmtum (6), adjicere placet.

---

(1) c. XLII, 6; et XLIX. — (2) XXXI, 31. — (3) Adv. Judaeos, c. 6. — (4) Rom. IX, 24.—(5) XLIX, 6.—(6) Litt. 137 (a. 3, vel s. XVII.)

THESIS XXIX.

(Ex Augustino). «Nulla mens avida salutis aeternae potest religionem Christianam non amplecti.»

263. 1.° *Ex splendore divinae sapientiae Christianam religionem praeeunte.*

«Christum Dei Verbum, Dei Filium, Deum in carne venturum, »moriturum, resurrecturum, in coelum ascensurum, praepollentis»simo suo nomine in omnibus gentibus dicatos sibi populos habi»turum, inque illo remissionem peccatorum, salutemque aeternam »futuram esse credentibus; omnia gentis illius (Judaicae) promissa, »omnes prophetiae, sacerdotia, sacrificia, templum, et cuncta omnia »sacramenta sonuerunt.»

264. 2.° *Ex divino comitante fulgore.*

«Venit et Christus, complentur in ejus ortu, vita, factis, pas»sionibus, morte, resurrectione, ascensione omnia praeconia Pro»phetarum. Mittit Spiritum Sanctum, implet fideles una in domo »congregatos, et hoc ipsum promissum, orando atque desideran»do, expectantes. Impleti autem Spiritu Sancto, loquuntur repente »linguis omnium gentium, arguunt fidenter errores, praedicant »saluberrimam veritatem, exhortantur ad poenitentiam praete»ritae culpabilis vitae, indulgentiam de divina gratia pollicentur. »Praedicationem pietatis, veraeque religionis signa congruentia »et miracula consequuntur. Excitatur adversus eos saeva infide»litas; tolerant praedicta, sperant promissa, docent praecepta. »Numero exigui per mundum disseminantur, populos facilitate »mirabili convertunt, inter inimicos augentur, persecutionibus »crescunt, per afflictionum angustias usque in terrarum extrema »dilatantur.»

265. 3.° *Ex consequente divino splendore.*

«Ex imperitissimis, ex abjectissimis, ex paucissimis illuminan»tur, nobilitantur, multiplicantur praeclarissima ingenia, cultis»sima eloquia; mirabilesque peritias acutorum, facundorum atque »doctorum subjugant Christo, et ad praedicandam viam pietatis »salutisque convertunt. Alternis adversitatibus et prosperitatibus »rerum, patientiam et temperantiam vigilanter exercent: mundo »declinante in extrema, fessisque rebus aetatem ultimam protes»tante, multo fidentius, quia et hoc praedictum est, aeternam civi»tatis coelestis felicitatem expectant. Atque inter haec omnia »contra Ecclesiam Christi impiarum gentium infidelitas fremit: »evincit illa patiendo, et inconcussam fidem inter obsistentium »saevitiam profitendo. Revelatae Veritatis, quae diu praemissis

»mysticis velabatur, sacrificio succedente, illa sacrificia quibus »hoc figurabatur, templi ipsius eversione tolluntur. Reproba per »infidelitatem gens ipsa Judaeorum, a sedibus extirpata, per mun»dum usquequaque dispergitur, ut ubique portet codices sanctos, »ac si prophetiae testimonium, qua Christus et Ecclesia praenun»tiata est, ne ad tempus a nobis fictum existimaretur, ab ipsis »adversariis proferatur; ubi etiam praedictum est ipsos non esse »credituros.

»Templa et simulacra daemonum, ritusque sacrilegi paulatim »atque alternatim, secundum praedicta prophetica subvertuntur. »Haereses adversus nomen Christi, sub velamento tamen nominis »Christi, ad exercendam doctrinam sanctae religionis, sicut prae»nuntiatae sunt, pullulant. Haec omnia, sicut leguntur praedicta, »ita cernuntur impleta, atque ex his jam tot et tanta, quae res»tant, expectantur implenda.»

266. «Quae tandem mens avida aeternitatis, vitae»que praesentis brevitate permota, contra hujus »auctoritatis lumen culmenque contendat! Quae dis»putationes, quae litterae quorumlibet philosophorum, quae leges »quarumlibet civitatum, duobus praeceptis, ex quibus Christus di»cit totam legem Prophetasque pendere, ullo modo sunt comparan»dae? «*Diliges Dominum Deum tum ex toto corde tuo, et ex tota ani»ma tua, et ex tota mente tua; et diliges proximum tuum tamquam »teipsum.*»

SCHOLION.

De librorum N. Testamenti authentia.

267. Adeo valida et praeclara militant pro veritate et divinitate religionis christianae argumenta, ut non alia remaneat Rationalistis angustias evadendi via, nisi historicam librorum sacrorum respuere authenticitatem. Quare hoc pertinacis animi effugium paucis praecludemus.

Dicimus ergo 1.° non tantùm libri sacri facta illa, ex quibus argumentamur, protestantur, sed diversissimorum populorum perpetua traditio, innumeris munita monumentis, et plurimis per singula secula scriptorum roborata testimoniis.

2.° A primis inde religionis Christianae seculis, constans et universalis traditio authentiam agnovit et suscepit librorum sacrorum; stulta ergo haec est a Rationalistis tentata dubitatio, nullo intrinseco vel extrinseco momento innixa: secus liceret etiam de libro quocumque, vel monumento dubitationem injicere.

3.° Christiani universi, ex ipso Apostolorum tempore, libros istos summo honore prosecuti sunt: in Ecclesiis universis publice legebantur; viri apostolici, id est, ab Apostolis instituti, eos adhibuere ad explanandam Christi doctrinam, eorumque exemplum dein sancti Patres universi secuti sunt: ex iisdem libris conati sunt haeretici omnes cujusvis seculi errores suos commendare, scientes, nempe, in iis genuinum esse veritatis fontem, et ineluctabile argumentum; ethnici quoque, uti *Celsus*, *Porphyrius*, etc., ex iisdem doctrinam depromebant christianorum, quam expugnare conabantur. Omnes ergo, hostes quoque, in eo consentiebant, genuinos esse libros illos et authenticos.

268. 4.° Si impostor aliquis, sub nomine cujusvis Apostoli vel Evangelistae, illos evulgasset libros; vel id tempore Apostolorum, vel proxime, vel longe post illos praestitisset. Non primum; cito enim eluxisset impostura: non secundum; nam vel Apostolorum discipuli, qui fidei acceperant depositum, vel tot episcopi quibus commissum erat munus libros sacros explanandi; vel tot martyres, qui ne sacros traderent libros mortem crudelissimam libenter obibant, fraudem facile agnovissent: non tertium; nam, ut diximus, ab ipso exordio fuere libri sacri maximo in honore habiti; et quidem Athenagoras, Irenaeus, Justinus, Clemens Alex. qui secundo saeculo floruere, quatuor Evangeliorum auctoritatem ubique receptam sexcentis in locis testantur. Tertullianus, istorum aequalis, ipsa Apostolorum autographa suo tempore extitisse scribit (1). Utique nonnulli conati fuere libros aliquos spureos quasi authenticos obtrudere, ut refert Hieronymus; at Ecclesia ab initio eos rejecit, et presbyterum quemdam, hujusce criminis reum, è loco et dignitate sua dimovit: in hac ergo re, utpote gravissima, diligenter invigilabat Ecclesia, ideoque authentici illi libri sunt quos ipsa probavit.

---

(1) De Praescrip. c. 26.

CAPUT IV.

De superstitionibus ficte revelatis.

Nota. Non de falsis Christianae Religionis sectis, seu haeresibus, hic agendum, cum ad alium id differamus tractatum; neque de singulis falsarum religionum formis; infinitum enim et intolerabile aggrederemur negotium: sat ergo nobis erit eas universim refellere superstitionum formas quae latius serpunt, revelatae finguntur, et a Christiana alienae prorsus existunt.

De Sinensis imperii religione nihil peculiare dicendum; Paganismum enim sectantur, et qui praeterea dogmaticum quicquam prosequuntur, Buddhismo sunt addicti: idem censeas de Japonica gente, aliisque finitimis regionibus. Persae, ut quibusdam visum est, Brahmanis primitus consenserunt; postea, cum igni et astris cultum exhibuere, idololatris simpliciter sunt accensendi; deinde eorum non pauci christianam fidem sunt amplexati, at in haeresim lapsi Nestorianam, et sub ditionem Mahumetanorum deducti, Mahumeticae sectae nomen dedere; nonnulli tamen fidem retinent christianam, aliis Buddhistarum placitis conniventibus.

ARTICULUS I.

De Paganismo.

THESIS XXIX.

Paganismus in dogmatibus absurdus, in ritibus impurus dicendus.

269. Probatur 1.ª pars. 1.° Paganismus infinitam profitetur deorum multitudinem; ergo absurdus est ex suis ipsis dogmatibus. *Consequentia* ex supra (n. 2), praenotatis elucet. *Antecedens* tum historia, tum hodierna patet experientia. Diodoro Sic. teste (1), Chaldaei duodecim deos majores, pro mensium numero colebant. Varro 300 Joves diversos recensuit. Hesiodus (2) 30,000 deorum per aera volitare ajebat. Apud Mexicanos duo deorum

(1) Hist. l. 1.—(2) Oper. et dier. V, 250.

millia in honore habebantur. Uno verbo, omnia apud ethnicos plena diis; sidera, aër, aqua, nemora, horti, domus, etc. Qua de re vide Augustinum (1) et Ciceronem (2).

270. Prob. 2.° Absurda assignat Paganismus diis officia: ergo. *Ant.* exemplis ostenditur. Lucina mulierum parturientum dea existebat: deus Dispiter partum perducebat ad diem: deus Opis opem ferebat nascentibus; et in terra recipiebat: Levana dea è terra eos levabat, et Cunina cunas tuebatur, et Rumina mammam parvulo emulgebat: Patina, dea quoque, potum praebebat, et Educa escam ministrabat. Segetia segetes, Pomana poma, Bubona boves curabant, et dea Pecunia divitias et pecunias concedebat, ac Strenia strenas initio anni providebat; etc.; etc. Consulas Augustinum (3) et Arnobium (4).

271. Prob. 3.° Paganismus diis suis absurda attributa, moresque perversos adjudicabat: ergo. *Antec.* probatur. Deos corporeos, sexibus distinctos, sensuum voluptatibus addictos, invidia tabescentes, discordiis intestinis turbatos, adversae fortunae subjacentes excogitabat. Bacchus ebriosus reputabatur, mulierosus Hercules, fratricida Romulus, et impius in patrem Jupiter. Hephostion et Antinous, etiamsi notissima forent eorum vitia, tamen templis, sacrificiis, sacerdotibus non caruerunt. Hinc dicebat S. Cyprianus (5): «Deos suos, quos venerantur, imitantur; fiunt miseris! »et religiosa delicta;» et Propheta ait (6): «facti sunt abominabi»les, sicut ea quae dilexerunt.»

272. II.ª Pars ostenditur. Ritus Paganismi diis erant accommodati, ideoque impurissimi vel vanissimi. Religionis magna pars erant ludi. Saturnus venationibus colebatur, ludis scenicis Liber, circensibus Neptunus, et reliquis pariter diis ludi consecrabantur. Sedebant, teste Arnobio, in his spectaculis, sacerdotes omnes, magistratus, pontifices maximi, augures, castae virgines ignis nutrices, populus et senatus. In hisce religionis ludis comoediae fiebant ac tragediae nequitias, flagitia, amores tractantes: erant satyrae, mixtae faunis et sylvanis, per jocos et saltus agrestes ludentes et delectantes, et tamquam immundi dii spurciora jactantes. Erant et mimi, impudicos motus in silentio dantes, nulli parcentes turpitudini. Haec tamen honesta videri possunt si Bacchanalibus, Lupercalibus, Saturnalibus, Floralibus, etc., comparentur, quae a meretricibus, et perditis hominibus celebrabantur datis temporibus. Erant praeterea spectacula gladiatorum, in quibus innumeri saeve dilacerabantur; erant et sacrificia humana ferme ubique; et multi

(1) De civit. Dei, l. 6.—(2) De natura deorum l. 3.—(3) De civ. Dei, l. 4 et 6. —(4) Contra Gentes.—(5) Epist. 1, ad Donat.—(6) Osee, IX, 10.

populi, ut Chananaei, Phoenices, etc., diis filios suos sacrificabant. Sacrificia humana etiam Romanis placuisse testatur Livius (1), et Lactantius suo tempore factitatum scribit (2).

273. Conferas turpes hos ritus cum verae Religionis praeceptis (3). *Quid dignum offeram Domino?... Numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, et fructum ventris mei pro peccato animae meae? Indicabo tibi, ò homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.*

§ II.

Brahmanismus et Buddhismus.

THESIS XXX.

Brahmanismus et Buddhismus, licet non paucas ex primaeva traditione veritates retinuerint, pluribus tamen erroribus, tum speculativis, tum practicis eas foedarunt.

274. **Nota** 1.° Hae sectae in universa fere Asia, ideoque plusquam in dimidia generis hominum parte dominantur. Buddhismus est quaedam Brahmanismi reformatio, et dominatur in Japonia, imperio Sinensi usque ad Syberiam et Persidem: Brahmanismus vero in India; unde etiam orti Buddhistae et a Brahmanis expulsi. Tempus, quo ortum sectae illae habuerunt, incertum; cum regiones illae historiam et chronologiam contempserint, et fabulosas ac mythologicas temporum infinitas successiones finxerint. Verum longe ante nostram aeram vulgarem eas sectas extitisse pro certo habetur (544 communiter): non tantum priores Ecclesiae Patres, sed antiquiores profani scriptores de illis loquuntur.

275. **Nota** 2.° Libri qui Brahmanismi doctrinam retinent, Vedae appellantur (4).

Quaedam eorum fabula asserit, in coelo a Brahm scriptos: alia autem refert, primum viva voce revelatos, deinde a Vyasa, divo quodam, scriptos. Libri Buddhistarum dicuntur Tripitaka, id est, triplex canistrum, quia in tres dividuntur collectiones: prima dicitur Soûtra Pitaka, et habet sermones Buddhae: secunda, Vi-

---

(1) L. 22, c. 57. — (2) Div. Inst. l. 1, c. 20. — (3) Mich. VI, 6. — (4) Primus Veda appellatur Rig-Veda, in quo preces et hymni continentur: secundus Jadjur-Veda, in quo et preces prosaicae: tertius Sama-Veda, in quo preces ad canendum: quartus Atharvan, in quo ritus sacri describuntur, ad consecrationes, imprecationes... Seculo 17 aerae Xtae, in compendium redacti sunt et in linguam Persanam versi, quod Vpnekhat dicitur.

naya Pitaka, et amplectitur disciplinam: tertia Abhidharma Pitaka, et refert legem revelatam, seu eorum Metaphysicam. Dicunt non scripsisse Buddham eos libros, sed illius discipulos post Buddhae mortem compinxisse. Fingunt etiam, Buddham fuisse Vichnu incarnationem nonam, et continuo renasci in suis successoribus qui primatum tenent sectae.

276. Pars I.ª prob. Docet Brahmanismus unitatem Dei, quem Brahm appellant; eum autem infinitum, aeternum, principium omnium, et immortalem esse fatentur. Cum per creationem Brahm exterius se revelavit, factus est Brahma; cum se per conservationem et restaurationem manifestavit, factus est Vichnu; cum vero per destructionem, Shiva. Quamlibet autem harum personarum dicunt esse Brahm, et tres illas, Trimurtim vocant; in aliquibus autem regionibus unam, in aliis aliam praecipue colunt. Omnia, ajunt, per Brahm esse et subsistere. Docent etiam, universale fuisse diluvium, et omnes periisse homines praeter regem Satyavrata, qui praemonitus a Vichnu ingressus est navim cum septem sanctis, et plantis utilibus, et animalibus.

277. Hominis perfectionem, ajunt in eo sitam esse, ut unum cum Brahm fiat: media id assequendi non esse alia, nisi sui mortificationem, contemptum omnium, orationem, et contemplationem Brahm. Post mortem homines perfecti Brahm uniuntur: valde criminosi in Naracam (infernum) praecipitantur, ubi horribiliter torquentur per centum annos Brahm: unus autem dies Brahm conficitur, 86.400.000 seculorum. Ceteri non omnino puri, bonorum quidem operum mercede non carent, verum damnantur ad renascendum, vel in humanis, vel in brutorum corporibus, donec omnino mundentur. Quoad cultum, unum dicunt esse verum sacrificium, scilicet mundum universum; et in hoc sacrificio omnia esse unum; sacerdotem, victimam, ignem holocausti, scilicet Brahm ipsum. Credunt etiam sectae istae, Mediatore homines indigere; quapropter plures fingunt Vichnu incarnationes, pro supervenientibus avertendis infortuniis.

278. Plures Vichnu fingunt ea de causa incarnationes. De octava autem incarnatione, in quodam, quem Crichna appellant, peracta, eas referunt circunstantias quae Christo Domino mire conveniunt. Hanc incarnationem dicunt factam ad omnia mala reparanda; matrem Crichnae eo fuisse puriorem et pulchriorem quo magis ad partum appropinquabat; natum Crichna media nocte, parentibus coelesti luce circumfusis; et choris divorum suaviter canentibus, etc., etc. Mortem Crichnae diversimode referunt; sed communior eorum traditio eum in arbore sagitta transfixum occubuisse asserit. Quoad postremam incarnationem quam in Buddha factam

dicunt, multa referunt Buddhistae quae ab Evangeliis desumpta videntur: ut natum de Virgine, prophetas et sapientes illum uti Deum agnovisse, speciosum prae omnibus hominibus, aqua pura a quodam rege baptizatum, sub arbore sedentem edocuisse, turbas avide eum sequentes et audientes; semetipsum sacerdotem consecrasse, decem dictasse mandata, etc.. etc. Denique credunt, mundum, in decima et postrema Vichnu incarnatione, periturum et in pulverem reductum iri. Ex quibus elucet sectas illas pene primarias fidei catholicae veritates in suis traditionibus obumbrasse.

279. II.ª Pars probatur. Quod Apostolus de sapientibus hujus saeculi dicit, apud Indos evenisse conspicimus; *evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum* (1). Et ut a postremis incipiamus: quoad mundi finem, dicunt; decimam Vichnu incarnationem in quodam insigni equo futuram, qui pede semel mundum concutiet et in pulverem reducet. Mediatoris officiis, cujus necessitatem fatentur, ridiculas, infirmas et aniles fabellas et incarnationes miscent: 1.° Vichnu incarnatus est in piscem, ut Manu e diluvio liberaret, et Vedas, quos diabolus rapuerat, redimeret: 2.° in aprum, ut terram super aquas attolleret: 3.° in testudinem, ut pharmacum inveniret immortalitatis: 4.° in leonem, ut vinceret gigantem Hiranaya: 5.° in pumilonem, ut homines a tyranno Bali liberaret, etc.

280. Retributionem fatentur meritorum, at Pantheismum inducunt et Metempsycosim, dum bonos Brahm fieri, pravos in bestias converti commentantur. Perfectionem et beatitudinem in unione et cognitione Brahm reponunt, sed illam in identitatem vertunt; aiunt enim: «qui cognoscit Brahm est Brahm.» Perfectus ita orare debet: «ego sum Brahm: a me non distinguitur Brahm: mihi ipsi sacrificium offero,» etc.

281. Mortificationem et contemplationem extollunt; verum usque ad inverecundam nuditatem, usque ad amentiam illas perducunt Gymnosophistae. «Primus perfectionis gradus, ajunt, legere Vedas, relinquere omnes et omnia etiam desideria, excepto frustulo panni ad turpitudinem tegendam, et baculo, et uno vase luteo, et eleemosyna ad victum necessaria. Secundus gradus: nihil legere, nec Vedas; nihil cogitare, nihil curare, neque morbos, neque valetudinem, neque vitam, neque mortem, neque modestiam, neque nuditatem, sed hoc unum semper cogitare: «ego sum Brahm, »ego sum anima mundi.»

---

(1) Rom. I, 21.

282. Ad ejusmodi perfectionem, seu potius amentiam, certis orandi, vel verius delirandi, modis perveniunt Sannyasi. Ita recedere ab omnibus opus est, ut nihil audiri queat: item, corpus et membra omnia in formam testudinis replicare: sensus omnes, corporisque meatus ita occludere, ut ventus nullus (ajunt, quinque esse in corpore ventos) exire valeat, aut ingredi. Ad id pervenitur, manibus pedibusque applicatis, et sedente Sannyasi super talos. Unum conceditur tantum narium foramen alternatim aperire; fortiter et diu adspirando per unum, et deinde inspirando per alterum: qui perseveraverit, fiet perfectus. Imo si interim saepe dicat Sannyasi (seu Sanctus): Oum (1); nempe duodecies dum inspirat, et totidem dum adspirat; qui id per tres menses fecerit, videbit Devas (deos inferiores); ad quintum mensem, eorum induet qualitates; ad sextum vero erit ipse Brahm. Alia methodus, ajunt, optima est; si interim ad modum testudinis compositus, inspiciat constanter extremum nasi, dicendo: *oum*. Imo erit citissime perfectus qui venam extremae partis nasi bene perspiciat.

283. Retinent diluvii traditionem, sed ridiculis fabulis conspersam. Brahma, creator, post innumera secula dormiebat ut quiesceret paulisper: interim ecce fortis diabolus Hayagriva ingreditur coelum et furatur Vedas a Brahma elucubratos, devorat illos et descendit ut absconḍatur in profundum maris. Infelicem ut corrigat casum Vichnu incarnatur in piscem, qui apparet optimo regi Satyavrata, septimo Manu, dum lavabatur ad ripam fluminis. Manu miratus piscis pulchritudinem piscatur illum et reponit in stagno: tantae vero evasit magnitudinis, ut in oceanum transferri debuerit: ibi splendens factus piscis et fortissimo munitus cornu, monuit Manu ut fabricaret arcam, quia operirentur terrae aquis: quod cum Manu fecisset, assumpto magno serpente, cum illo alligavit in cornu piscis arcam, quo ducente, è diluvio evasit. Descendente deinde pisce in profundum maris redemit Vedas et Brahmae tradidit.

284. Docent, omnia per Brahm subsistere; id tamen intelligunt pantheistico modo, ideoque quaslibet res, etiam turpissimas, adorant, et in omnem se tradunt immunditiam. Affirmant, Brahm omnium esse principium: at contendunt, stirpem Brahmanorum procedere a capite Brahmae, stirpem virorum militarium a scapulis, mercatorum a ventre, artificum a pedibus; et ceteram plebem esse omnino immundam, adeoque agere cum aliis, neque ad domos illorum appropinquare eis non licet: ex qua fabula primatum etiam

(1) Tres litterae in honorem Trimurtim.

ac dominationem erga omnes Brahmani sibi vindicant. Verumtamen in quibusdam solemnitatibus turpissime omnes miscentur; quin timeant aliquam inde contrahere immunditiam. Trinitatem quamdam, seu Trimurtim, venerantur; sed temporalem, corpoream, cujus personae conjugia celebrant, et longam habent progeniem: tertia persona, idest, Shiva, impurissimis colitur ritibus, bacchanalia superantibus.

Unum Deum infinitum, immortalem, ore fatentur; factis autem et fabulis negant, ut ex dictis elucet.

285. Diximus Buddham Brahmanismum limavisse. Quod ad Deum spectat, etiamsi ea, quae Brahmani docent, Buddha non reprehendat, tamen ita semper loquitur ac si nullus Deus existeret, vel plane inutilis foret ad hominum felicitatem: unde plures existimant illum atheum fuisse: vulgus tamen buddhistarum theologiam sequuntur Brahmanistarum, nisi quod et Buddham ipsum uti Deum colunt. Perfectionem ergo et beatitudinem non in Brahm reponit Buddha, sed in Nirvana, quod nihilum, seu nihilatio sui, interpretantur. Unde praescribit quoque Buddha contemptum omnium rerum, sui mortificationem, contemplationem, uti Brahmani, sed aliter; reprobat luxuriam, et perfecti etiam ab uxore abstinere debent; prohibet nuditatem, sed vestes ex frustis panni assutis et ubivis corrogatis conficiendae: contemplationem nihili et vanitatis rerum omnium, non autem Brahmae, injungit. Dolorem effugere, negare penitus se ipsum, tota Buddhae sapientia. Beneficentiam commendat erga omnes, sine stirpium discrimine, et eas ad sui sequelam aequaliter invitat: unde et dicunt buddhistae quod indifferenter in qualibet illarum Buddha renascitur. Promittit, quod justi tandem aliquando progrediendo erunt beati, id est, *nihil;* at pravi renascuntur ad majores aerumnas ita, ut etiam in inferno a malis geniis torqueantur: non quidem ex justitia vel retributione aliqua, sed fato, cui omnia subjacent. Ex his facile elucet, cur multo plures Buddhismo quam Brahmanismo adhaereant: verum Buddhistae practice, seu in moribus, Buddham deserunt, eadem turpissima idola colentes, eosdem inverecundos ritus sectantes, cum Brahmanis, eorumque sectatoribus.

Ex dictis elucet, hisce infidelibus evenisse quod Apostolus (1) ait: *Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt: et commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis... propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua*

(1) Rom. I, 22.

in semetipsis, qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et coluerunt et servierunt creaturae, potius quam Creatori, qui est benedictus in saecula. Amen.

Qui ampliorem velit rei notitiam, videat Rohrbacher.—(Historia universalis tom. 2. p. 106); et «Dictionaire Encyclopedique de la Theologie, par Wetzer, (art. Buddisme).»

COROLLARIUM.

286. Quam facillime ex paemissis inferes; irrito conatu Rationalistas aliquorum dogmatum causari similitudinem, ut dictitent, christianam religionem a Brahmanismo et Buddhismo ortum duxisse: tot enim erroribus et stultitiis eam qualemcumque foedarunt similitudinem sectae istae, ut inde potius deducere oporteat, non quidem eas christianismum genuisse, sed primaevae traditionis fuisse corruptrices. Primi enim post Noëmum patriarchae, ut notum est, regiones illas Asiaticas incoluerunt; Abraham, a Deo vocatus et sub peculiari susceptus tutela, puram religionis progeniei tradidit formam et doctrinam; ceteri autem idololatriae et cavillationibus indulgentes, diversas induxerunt superstitiones. Praeterea in ortu ipso christianae fidei enuntiatum apud Indos fuit Evangelium, uti certis constat documentis; ibique radices per aliquod secula fixit: necesario igitur evenit, ut, ab Ecclesiae centro remote sejunctae et a fidei puritate deflectentes, plurimas, licet deformatas, retinerent gentes illae christianas veritates. Hoc quidem, utpote obvium ac proclive, jure dicimus; è coeno autem illarum superstitionum sinceritatem doctrinae christianae, morumque sanctitatem profluxisse, adversantibus omnium hominum erroribus et corruptelis, adeo ab omni verisimilitudine remotum existit, ut caeca tantum impietas id somniare potuerit.

ARTICULUS III.

De Islamismo.

THESIS XXXI.

Mahumetismus falsa est religio, id est, miserc errantium superstitio.

287. **Nota.** Nationes omnes ac gentium varietates mire nunc miscentur et inter se communicant, mercatura impellente, et totum orbem peragrandi juvante facilitate: qua de causa, omnibus utile et peropportunum censendum diversarum superstitionum

noscere deliramenta, earum praesertim quae longe lateque fuerunt evulgatae, uti turpissima ista Mahumetis secta: at theologis, non utile tantum, sed necessarium quoque jure dixeris; ad eos enim et veritatem agnoscere et tueri spectat; ac errores, communiores saltem, profligare; et faciliores vias, per quas possint errantes ad rectam reducere semitam, probe scire.

288. Probatur 1.° Mosayca lex, nec non Jesu Christi Religio, fuerunt a Deo revelatae, adeoque verae, divinaeque existunt. Atqui Mahumetis secta, cum suo Alcorano, tum Mosaycae, tum Christi adversatur religioni: ergo falsa est, et mera fictaque superstitio.

Majorem syllogismi praemissam supra ostendimus (nn. 222, 261): verum, adversus Mahumetanos minime eamdem necessum est demonstrare, cum in Alcorano, Mahumetis libro, quem illi jurant, passim edoceatur (1).

Minoris apertam quisque veritatem videbit, si innumeros errores, infinita mendacia, quibus totus conspergitur Alcoranus, legat. Uno alterove exemplo id confirmabo. Homines libertate donari, ut bene agant vel male, qua salutem assequantur, vel, e contra, pereant: in utroque clare docetur Testamento: atqui oppositum saepe in Alcorano leges (2). Item; Messiam Regem futurum aeternum, et Dei Filium, ac in ejus fide benedictionem et salutem gentes omnes habituras, docet Judaica et Christiana Lex: sed id passim (3) negat Mahumetana secta. Infra (n. 325) plurimos Mahumetis errores videas.

289. Probatur 2.° Falsa est secta et superstitiosa, quae erronea tradit de Deo dogmata. Atqui Mahumetismus ad peccata et errores a Deo homines necessario induci tradit (4), vel, è contra ad recte operandum; deinde tamen illos in gehenna puniri, hos autem praemiis affici; ergo. Item; Deum mutabilem exhibet, vel mendacem: docet enim revelasse ac auctorem fuisse Legis Mosaycae, postea Evangelii et christianae religionis, et tandem Alcorani ac Mahumetismi, qui illis toto coelo adversatur. Insuper; cum nollent prudentiores fidem Mahumeto praebere, ajebat ipse maledicendo (5): «Avertat Deus cor eorum a veritate, ut illam non intelligant. Quem »Deus regit, bene dirigitur; quem vero seducit, perit. Plurimos crea»vimus homines ad gehennam; hi corda habent quibus nihil inte»lligunt.» Ita blasphemus iste, ut terrorem incuteret, loquebatur, fingens ejusmodi a Deo inspirari.

---

(1) C. II, 81, 254: c. V, W. 48, 50, 51; etc., etc. Nota: cum Alcoranum citamus, ad novam respicimus versionem ex texto arabico, a Kasimirski concinnatam, an. 1844, Parisiis, edit. Charpentier. — (2) C. VII, 178; XI, 120; XCI, 7, 8.— (3) C. CXII. — (4) Alcor. C. VII, v. 178; XI, v. 120; C. XCI, vv. 7, 8; etc.— (5) C. LXVI, 2.

THESIS EADEM CONFIRMATUR.

Aliis argumentis ad hominem, uti loquuntur logici, thesim confirmamus.

290. a) Ii soli dirigentur a Deo et beatitudinem assequentur, qui credunt revelationi ante Mahumetum factae. Sed huic credere non possunt Mahumetani; ergo Mahumetismus non est vera religio, sed mera superstitio. Major patet ex se; nam cuivis Dei revelationi est credendum; nec non Alcorani testimonio (1): «Alcora»nus est eorum directio, qui revelationi tibi datae, et aliis qui te »praecesserunt, credunt. Isti soli a Deo dirigentur, eruntque beati.» Item ait (2): «Fecit Deus descendere Pentateuchum et Evangelium »propter hominum directionem.» «Credimus libris Sanctis quos »Moyses, Jesus et Prophetae è coelo receperunt.»

Est quoque evidens *Minor* syllogismi. Docet passim Alcoranus, nullum a Deo genitum esse filium (3); et similiter alios non paucos errores fidei christianae adversantes: tamen in sacris litteris aperte discimus, Dei Filium Unigenitum esse Jesum (4). Damnantur igitur Mahumetani omnes, et quidem Alcorani ipsius sententia.

291. b) Vera esse nequit religio, sed absurda potius superstitio, quae contradictoria docet et credere injungit: atqui ejusmodi est Mahumetica secta; ergo.

Nemo *majorem*, ut puto, negabit: impossibile namque dicendum, falli Deum vel fallere, ideoque et contradictorias revelare sententias.

Quoad *Minorem* neque ipsi negare audent Mahumetis sectatores: in I.° capite triginta esse contradictiones fatentur; in II.° autem decem; in III.° viginti quatuor; in toto denique Alcorano ducentas viginti quinque concedunt. Nonnullum exhibebimus exemplum. Docet, (5) Christianos, Judaeos, etc., posse salutem assequi; alibi autem (6), necessum esse Islamismum profiteri, ut quivis salutem assequatur. Insuper docet, non esse ulli coactionem faciendam circa religionem (7); verum mutata postea sententia, praecipit; infideles exterminari et magnam eorum fieri carnificinam; christianos autem et judaeos expugnandos et subjiciendos tributo nisi profiteantur Mahumetis fidem (8).

---

(1) C. II, vv. 1-4.—(2) C. III, 2, 78.—(3) C. IV, v. 169; CIIX; etc.—(4) Vide tract. de Incarn.—(5) V. 51, 73, etc.—(6) II, 4; VIII, 13; c. XXII, vv. 48, 49, 50.—(7) Cap. II, 247; X, 99.—(8) VIII, vv. 7, 8; IX, 29; XLVII, 3.

292. Perspicuam etiam exhibet circa miracula contradictionem. Ait; ideo noluisse Deum miracula a Mahumete fieri, quia iis homines non crederent, et virtuti magiae adscriberent (1): quemadmodum cum antiquis factum Prophetis, Moyse, Jesu Filio Mariae, etc. «Jurarunt coram Deo juramento solemnissimo, se »crediturос si unum videant miraculum. Dicas (oh Mahumes: »Deus pro suo beneplacito disponit miracula; sed non vult ea fieri, »ut intelligatis, eos non crediturос etiamsi fieret miraculum.» At alibi (2), suarum fictionum, mendax homo, penitus oblitus, dicit, et utilia fore miracula si fierent; et facienda promittit, verum ad aliud differri tempus; imo, aliqua, ut propheta crederetur, finxit plane ridicula, quaeque ipse tantum videbat et testabatur. Sic cum vicit Mechanos, mercatorum turmam defendentes a Mahumae depraedationibus, plura finxit in ea victoria miracula, quasi ad fidem confirmandam a Deo facta: «Ad veritatem sta»tuendam et delendum mendacium, voluit Deus infideles, nullo »excepto, exterminari... Mementote horae illius, cum immisit »Deus vobis somnum in protectionis signum, et aquam è coelo »ut vos purificaret, et averteret Satanae abominationem, et fide »confirmaret corda vestra.» Scilicet, antequam pugnae se committerent, dormierant praedones illi, pluerat quoque: deinde infelices mercatores, suas defendentes merces, trucidarunt Mahumetani, uti solent latrones: et ecce mira prodigia ad confirmandam Mahumetismi fidem perutilia! Rursus aliam refert revelationem: «Dicunt: si aliquod saltem è coelo ei daretur facere miraculum, »crederemus. Dicas eis: occulta ad Deum pertinent: Expectate »tantum, et vobiscum expectabo.» Item; sic Deum loqui fingit: «Si mihi placuisset, prodigium è coelo misissem, cujus conspectu »humiliati caput flexissent.» «Laus Deo: cito vobis signa suae »potentiae dabit, quae negare minime valebitis.» Rursus: «Elu»cere miracula nostra faciemus in diversis terrae partibus, donec »Alcoranum esse verum illis demonstretur.»

Ex his Corani, aliisque pluribus antilogiis, obvia fluit argumentatio. Nequit vera esse religio, quae illa nititur credendi norma ac fundamento, ubi multa traduntur contradictoria, adeoque falsa. At regula et norma credendi in Mahumetica secta, Alcoranus nempe, plurimas exhibet contradictiones: ergo mera superstitio, non autem Religio, dicendus est Mahumetismus.

293. c Ut validissimum eludant Mahumetani nuper positum argumentum; non fieri, ajunt, in Alcorano *contradictiones*, sed

(1) C. II, 140; III, 180, 181; VI, 109; etc. — (2) VIII; X, 21; XXVI, 3; XXVII, 95; XLI, 53.

derogationes: verum nihil inde proficiunt. Ejusmodi enim *derogationes*, ut ajunt, non circa legem aliquam positivam tantum versantur; sed respiciunt etiam facta vel praeterita vel futura, et veritates etiam dogmaticas; puta, utrum Christus mortuus fuerit, vel non; an libera voluntate moveantur homines, vel fatalismo, etc. Atqui in his locum habere nequit *derogatio*, sed pura contradictio ac mendacium. Deinde quaerimus: inter duas contrarias sententias, quae illarum dicenda est derogata? quae, è contra, vera et derogans? Aliquando ejusmodi antilogiae in eodem leguntur capite; nonnumquam in eodem versiculo; non semel, ajunt, sententiam derogantem praeisse tempore sequentem derogatam. Quid stultius! Oportet igitur, ut a coelo expectent Mahumetani alium Alcoranum, quo declaretur, quid de hoc censendum sit: verumne, an falsum, derogatum vel integrum existat. Fingitur in Alcorano dixisse Deum Mahumeti (1): «Accidere »potest, ut partem aliquam eorum, quae tibi revelata sunt, obli»vioni tradas.» Ponamus ergo, Alcoranum totum a Deo fuisse derogatum, at Mahumetem oblitum fuisse hujusce derogationis. Quomodo noscitis, oh Mahumetani, non fuisse omnino derogatum? Praesertim cum Auctor et inspirator ipsius non potuerit non videre, a scopo suo omnino Alcoranum aberrare. Scilicet, ad confirmandam Moysis et Jesu Christi revelationem missus dicitur, et eisdem passim opponitur. Quid ergo congruentius Alcorani scopo, quam quod fuerit universim derogatus?

294. d) Certum et evidens est Moysi, Prophetis et Jesu Christi Evangelio Alcoranum contradicere. Atqui ex duabus oppositis doctrinis, altera falsa sit oportet: ergo vel Pentateuchum et Evangelium, vel Alcoranum falsitate laborare, debent Mahumetani fateri. Subsumo: atqui divinitus fuisse Pentateuchum revelatum, nec non Christi Evangelium, centies asserit Alcoranus, adeoque id ipsi negare non possunt; ergo falsus, fictusque dicendus Alcoranus in iis, saltem, quae Pentateucho et Evangelio Christi opponuntur. Neque id Mahumetanis mirum videri debet, quum sibi ipsi liber iste contrarietur.

295. e) Centies fatetur Mahumes in Alcorano, evidentibus miraculis tum legem Moysis, tum Jesu Christi revelationem Deum comprobasse (2); è contra, (3) centies provocatus Mahumes ut unum saltem exhiberet miraculum pro sua confirmanda revelatione, centies fassus est, non ad miracula patranda se missum, sed tantum ad exhortandum nomine Dei. Unde arguimus: Alco-

---

(1) XI, 15; LXXXVII, 6, 7. — (2) C. II, vv. 81, 86; V, 110; etc. — (3) III, vv. 179, 180..... VI, 7, 37, 109, 124; XIII, 8, etc.

rani doctrinam fuisse a Deo revelatam nullo miraculo comprobatur, sed solis Mahumetis affirmationibus; è contra, Moysis et Jesu Christi revelationes non solus Mahumes divinas esse affirmat, sed multis Deus miraculis confirmavit. Atqui absurdum est atque impium pluris facere hominis assertiones, quam evidentissimum testimonium Dei: ergo nihil potest Alcoranus de divinis Veteris et Novi Testamenti doctrinis derogare; sed potius quidquid in illo legitur divinis Scripturis adversum, debent Mahumetani derogatum, reprobatumque censere. «Qui Dei miraculis non credit, ait »ipse Alcoranus (1), terribili punietur supplicio.»

296. f) Tandem aliud ad hominem urgebimus argumentum. Dicitis, divinum esse opus, magnumque potentiae ac sapientiae divinae argumentum, Alcoranum vestrum. Igitur fateamini oportet, (nisi velitis in librum istum ejusque auctorem blasphemare scopo, quem sibi Deus praefixit, congruere, non vero adversari: aliter, non sapientiae et potentiae, sed ignorantiae et infirmitatis signum existeret. Atqui in eodem Alcorano passim asseritur, datum a Deo fuisse ad divinas Moysis, Prophetarum et Jesu confirmandas Scripturas: ergo quaecumque in Alcorano habentur legi Moysis et Christi adversa, debetis, quasi a Deo reprobata, rejicere; ideoque totam Christi legem cum Baptismo suscipere.

En quid in Alcorano de eodem dicitur (2): «Deus tibi (oh Ma»huma) Librum misit, qui Scripturas confirmat quae hunc prae»cesserunt: ille Pentateuchum et Evangelium è coelo misit, ut »homines dirigeret.» «Hic liber (Coranus) non ab alio, sed a Deo »inventus est; datus ad id confirmandum quod praecesserat ante »illum, et Scripturas explicandas, quae a Domino mundi proce»dunt.» «Quod tibi hucusque de Libro revelavimus, ea confirmat »quae prius, ante hanc revelationem, tradita fuerant.»

297. Obj. Pro Mahumetismo illud videtur adhiberi posse argumentum, quod pro Christiana Religione urgebat S. Augustinus: vel operatus est Mahumes miracula ad propagandam sectam, vel non; si primum concedamus, divina dicenda erit ac revelata; si autem negemus, hoc erit magnum prodigium, quod tam brevi tempore latissimas pervaserit regiones.

Resp. Nego assertum et paritatem. Etenim pro Religione Christiana ideo validum est Augustini argumentum, quia difficilia et supra mentem posita praedicabant Christi discipuli dogmata, et mores sanctissimos suadebant naturae corruptae propensionibus adversantes; idque humanis omnibus destituti adminiculis, qui-

(3) C. III, 2; XXII, 50; XL, 78. — (4) C. III, 2; c. V, 52; VI, 92; X, 38; XXXV, 28; XLII, 11; etc.

bus allicerentur homines; imo contradicentibus summa saevitia terrenis potestatibus. At contrarium prorsus evenisse constat Mahumeticae superstitioni. Dogmata enim omnia difficilia, quae Judaica et Christiana tradidit Religio, negavit vel praetermisit Mahumes; et quoad mores, luxuriae, avaritiae, vindictae, cupiditatibus omnibus latam aperuit viam: hinc verissime in ipso asseritur (1) Alcorano: «Nihil vobis praecepit Deus difficile in vestra »religione.» Item; non signis, non persuasionibus, sed externa potentia et coactione fuisse dilatatam, ex eodem Alcorano, nedum ex historia, discimus; sic enim Deum loquentem fingit (2): «Juro »per Deum tuum; non credent donec te judicem constituant sua»rum dissensionum. Postea non habentes ullam credendi difficul»tatem in iis quae dijudicaveris, sponte acquiescent.» Ecce, principatum ambiebat Mahumes, et cum illum assecutus fuit, coepit et sectam propagare; prius enim pauci stulti ac rapinarum cupidi aures illi praebebant: hinc scripsit in Alcorano (3): «Cum Dei »adjutorium et victoria nobis veniunt, tunc videbis homines tur»matim accurrere et amplecti fidem in Deum:» victos enim trucidabant, nisi mendaci prophetae darent fidem (4).

SCHOLIA.

Quam vana et turpis sit Mahumetis superstitio.

298. **Praenotand.** Quae in praecedenti thesi dicta ad Mahumetismi ostendendam falsitatem, sat superque ad hunc scopum sufficere, ut puto, videbuntur: praesertim si brevitatem, cui plurimum consulimus, in ceteris adhibitam, perpenderimus. Verum quia praeter erroris cognitionem, alios fructus, pro errorum varietate et occasione, colligere oportet; alia pauca adjicienda censemus ad pleniorem mahumeticae sectae notitiam, ac faciliorem Mahumetanorum correctionem, nec non ad christianae fidei splendorem. In monstruosa enim ista superstitione, ad Christi Ecclesiam labefactandam, simul magna manu convenere Paganismus, et quidem deterioris generis, Augustino teste (5), Haeresis, Schisma et Judaismus: non solum enim paganis, haereticis, schismaticis et judaeis usus est Mahumes, quo plures seduceret, sed etiam Islamismum ex omnium placitis congessit.

Sistere ergo hic aliquantulum opus est, ut bona illa quae Dei

---

(1) C. XXII, 77.—(2) IV, 68.—(3) CX.—(4) VIII, vv. 7, 8; 40, 52.—(5) De Relig., c. XXXVIII.

Providentia Ecclesiae providit, permittens sectam istam latissime serpere, qua possimus, capiamus. «Haec enim Ecclesia catholica, »ait Augustinus (1), per totum orbem valide lateque diffusa, om»nibus errantibus utitur ad provectus suos, et ad eorum correc»tionem cum evigilare voluerint. Utitur enim gentibus ad mate»riam operationis suae, haereticis ad probationem doctrinae suae, »schismaticis ad documentum stabilitatis suae, Judaeis ad compa»rationem pulchritudinis suae.» Quae postrema Augustini verba, *ad comparationem...* urgent praecipue ne Mahumetis errrores, turpitudines et stultitias levi pede percurramus. Nam orta istiusmodi secta, cum jam christiana religio magnam totius mundi regionem obtinuerat: qua de causa ex hac illa deprompsit, non tantum documenta primaria unitatis Dei, vanitatis idolorum, immortalitatis animae et spei vitae futurae; sed factum etiam, necessitatemque revelationis divinae, quam sibi quoque concessam simulavit Mahumes, et innumeras gentes sic excaecavit, ut praecipuum pro Ecclesiae dilatatione impedimentum Mahumetismus evaserit: semel enim hujusce prejudiciis imbuti, difficillime ad perspiciendum veritatis lumen adsurgere valent et ad virtutis amorem.

Utamur ergo christiani mahumetanis *ad comparationem pulchritudinis* divinae nostrae religionis, ne forsitan eorum latissimam diffusionem demiremur et obstinatos animos, atque exinde scandalum patiamur, unde, divinae Providentiae intuitu, provectus desumere oportebat.

§ I.

De Mahumetismi turpitudine.

Dico I. Mahumetana secta turpissima est.

299. Prob. Finem ultimum et beatitudinem pro futura et aeterna vita, constituit Mahumes in sensuum delectamentis, praesertim venereis; quod passim in Alcorano legimus (2): «Qui timent Deum »erunt in hortis deliciarum; gustabunt Dei munera. Manducate et »bibite bona valetudine; hoc praemium vestrorum meritorum. »Discumbentibus in lectis ordine dispositis, tradidimus in sponsas »puellas magnorum oculorum nigrorum. Pueri in aeternum ju»venes circuibunt lecta, cum calice vini exquisiti caput non tur»bantis, et fructibus, et carne avium, quas concupiscunt, etc.» «Et »invenientur ibi fructus, palmae et malogranata: juvenes virgi-

(1) De Relig., c. VI.—(2) IV, 60; LII; LVI.

»nes et pulchrae, tentoriis inclusae; sponsi earum in culcitris »viridis coloris et preciosis requiescent aulaeis, etc.»

300. Cum in ea regione, etiam inter paganos, vigeret monogamia, seu unius cum una conjugium, prout primitus a Deo fuerat instituta, et a Christo instaurata; tamen Mahumes, impotens luxuriae, ut omnibus notissimum erat, polygamiam licitam fecit, et quatuor habere uxores primarias Mahumetanis permisit; ancillas autem captivas vel emptas quotquot concupiscerent. Verum Mahumetis effraenatae libidini impar ejusmodi erat licentia; insidiabatur enim alienis mulieribus, cum omnium scandalo et obmurmuratione. Quid ergo excogitavit? Privilegium sibi datum, et revelationem acceptam, qua Deus a communi lege eum dispensatum volebat, confinxit. Hujusce privilegii occasio manifestius tum pseudo-prophetae, tum Alcorani turpitudinem ostendit et impietatem. Habebat Mahumes filium adoptivum, Zeida dictum, cujus uxorem concupivit et sollicitavit. Uxor autem viro suo rem aperuit; qui, ne Mahumeti, patri adoptivo et benefactori, displiceret, statuit dilectam uxorem repudiare, ut eamdem posset propheta ducere. Inde, ex tali conjugio cum filia adoptionis, murmuria et scandala orta; ut autem impurus propheta infamiam a se averteret, ficta revelatione, Deum complicem ac defensorem libidinis suae constituit, et revelationem consuit Alcorano (1): «O »propheta! conceditur tibi in uxores suscipere mulieres, quibus »dotem dederis; et praeterea ancillas quas dedit tibi Deus in par»titione praedarum; itemque filias patrui tui, et amitarum tuarum, »et avunculi tui, et materterarum tuarum, quae peregre profectae »sunt tecum: et quamcumque mulierem fidelem, quae sponte se »ipsam prophetae tradiderit, si voluerit propheta eam sibi matri»monio copulare. Hoc autem tibi peculiariter conceditur privile»gium praeter ceteros fideles. Nos scimus quid sanciverimus circa »matrimonia fidelium, tam pro uxoribus liberis quam pro ancillis: »tu ne torquearis hac in re conscientiae stimulis.» Ecce quam latam aperuit libidini Mahumetis viam illud uxoris filii sui Zeidi repudium, non alia peractum causa, nisi ut patris consentiret libidinosae inverecundiae!

301. Et ista est Mahumetismi turpitudo alia: lex, nempe, repudii, et quidem quacunque ex causa. Nam sive toleratum, sive licitum in lege Mosayca fuerit repudium, quod nondum est definitum; certe fuit a Christo sublatum, et quidem ex divina revelatione et auctoritate, ipso fatente Alcorano. Imo cautum in Moysis lege

(1) C. XXXIII, 49...

fuerat, ne posset repudiata mulier ad virum redire priorem, si ab alio viro ducta fuisset: Mahumes, e contra, magnam corruptelis aperuit januam (1) statuens; non posse mulierem, ter a suo repudiatam viro, iterum ab eodem duci, nisi primum ab alio ducatur et repudietur. Rogatus propheta, quid liceat uxoratis, ait (2): «Uxores »sunt ager vester; accedite ad agrum quomodo velitis.» Quoad ancillas, permittit eas prostitutioni ab heris exponi (3), si ipsae consentiant.

Quoad mulieres captivas, etiamsi virum habuerint, concedit Mahumetanis in matrimonium sibi copulare (4). A fide data et juramento firmata, permittit Alcoranus (5) recedere; fidem exterius negare, ad periculum aliquod avertendum (6), dummodo in corde retineatur. Item, constans inter Mahumetanos est traditio, salutem omnes assecuturos qui in unum Deum et prophetam Mahumetem fidem habuerint, etiamsi moechi fuerint et fures, juxta revelationem per Gabrielem a propheta acceptam; idque ex Alcorano (7) confirmant. Quae fides quantum honestis adversetur moribus, nemo non videt.

302. Ad invadendas alienas regiones (8), ad praedandum (9), ad crudelitatem exercendam (10), impelluntur Mahumetani fictis Alcorani revelationibus, non sola falsae religionis propagandae causa, sed praedandi et dominandi cupidine (11). Iis, qui ad praedandum et bellandum exire noluerunt, dicent Angeli die judicii: «Unde »es tu? Respondebunt: nos eramus ex infirmis et pauperibus terrae. »Angeli dicent: nonne satis late patet terra Dei? Numquid e regio»ne vestra exire, et asylum alibi quarere nequibatis? Nunc ergo sit »infernus vestra habitatio.»

303. Haec ab Alcorano delibavimus, ubi turpissima Mahumetis vita et documenta aliquo pietatis velamine dissimulantur: verum scriptores ipsi Mahumetani, a verecundia plus quam eorum propheta aberrantes, alia de eodem enarrare minime erubuerunt: de quibus pauca, ut inde deducas; si tale fuit exemplar, quales erunt et Secta et sectatores? Dicit enim *modestus propheta* in Alcorano (12): «Eximium habetis in vestro propheta exemplar: exemplar »pro iis omnibus qui in Deo spem habent.»

304. Ajunt Mahumetani mitem hominem fuisse suum prophetam: at in ejus vita scribunt; eos, qui camelos illius diripuerant et pastores occiderant, fuisse ab eo crudelissime interfectos, abscissis

---

(1) C. II, 230.—(2) C. II, 223.—(3) XXIV, 33.—(4) C. IV, 28.—(5) C. LXVI, 2 et C. VII, vv. 177.—(6) C. XVI, 108.—(7) C. IV, vv. 45, 116.—(8) IV, 99 XLVIII, 16.—(9) IV, 99; VIII, 70.—(10) VIII, 52, 53, 68; IX, 5, 124. XLVII, 4.—(11) IX, 29.—(12) XXXIII, 21.

eorum pedibus, manibusque, oculis candenti ferro fossis, et donec animam traderent, sic relictos. Mira mansuetudo!

Item, ajunt, pudicum fuisse ac modestissimum: referunt tamen a septenni puella, Aisa dicta, fuisse prophetam iratis verbis reprehensum, quod inverecunde ab eodem tractaretur. Multas habens uxores, tum liberas, tum ancillas, nihilominus alienis non parcebat, neque etiam filiae suae Phatemae, licet jam nuptae. In vita ipsius, ab auctore libri *De signis Directionis*, scripta, habetur: «Acce»pimus per traditionem a patribus nostris, Legatum Dei Mahume»tum consuevisse multiplicare oscula in ore Phatemae, Dominae »mulierum omnium saeculorum: ita ut dixerit ei Aisa (ex uxori»bus una zelo tacta): Oh Legate Dei, ego video te valde frequen»ter osculari os Phatemae, et intrudere linguam tuam in buccam »ejus. Respondit ille: ita est, o Aisa: nam postquam nocturno »tempore (ecce unum eorum, quae solus Mahumes vidit, miracu»lorum) translatus fui in coelum, introduxit me Gabriel, cui sit »pax, in Paradisum, et adduxit me ad arborem Tuba, et praebuit »mihi unum ex pomis ejus, et comedi illud, et conversum est in »sperma in lumbis meis. Cum autem descendissem in terram, con»cubui cum Chadige, quae concepit Phatemam. Quotiescumque »ergo subit mihi desiderium Paradisi, osculor illam, et ingero lin»guam meam in os ejus, et sentio ex ea auram Paradisi, et odorem »arboris Tuba, qui est mixtus ex terreno et coelesti.»

Alia ipsius narrant historiographi; ut de incestu cum Zeidi, filii sui adoptivi, uxore; de adulterio cum Maria Aegyptia, in quo deprehensus ab uxoribus magnas cum iisdem rixas sustinuit, ita ut ab iisdem ad tempus recesserit, et cum sola adultera fuerit commoratus: in itineribus secum semper ferebat unguenti vasculum, et stibium et speculum; dicere consuetus: «Deus posuit delectatio»nem meam in suavibus odoribus, et in mulieribus.» Sed de his satis.

305. Ex dictis, nullus, puto, mirabitur turpissimis infici moribus Mahumeti sectatores; ac praedones esse, mendaces, perjuros et iis praesertim deditos fruitionibus, in quibus repositam eorum esse beatitudinem existimant. Singillatim autem eorum turpissimos describere actus et renuit rubor, et vetat ad utiliora properandi necessitas: consulat autem, si cui placeat, Rssm. Thyrsum Gonzalez de Santalla, in opere, «Manuductio ad Conversionem Mahumetanorum.» (Pars. II.ª lib. 5, cap. XXXIV.)

§ II.

Quam stulta sit mahumetana secta.

306. **Dico II.** Mahumae superstitio suis se stultitiis prodit et damnat.

Nota. Quasi *a priori* facile intelligitur, cur innumeris scateat Alcoranus stultitiis. Mahumetus, ad annum usque fere quadragesimum, turpi et stulto deditus Paganismo, et mercaturae ac pascendis pecoribus vacans, quid *liber* esset, quidve *religio* ignorabat; ut in Alcorano ipso legitur (1); nec legere aut litteras exarare noverat (2): donec tandem, miraculose ac Gabrielis mandato, legere aggressus fuit, ut fingebat ipse ac mentiebatur. Etenim a christianis quibusdam ac judaeis audiebat SS. Scripturarum historias ac documenta; quae, cum memoriae mandasset, dictabat, cum ceteris suis figmentis, librario cuidam, ac postea, veluti legens, recitabat. Illusit autem eum librarius, et fictionem falsi agnovit prophetae: scripsit enim in chartis res prorsus contrarias iis quas Mahumes dictabat, postea tamen ea sola quae memoriae mandaverat, non autem quae scripta erant, nescius legebat. Qua re experta, a falso recessit propheta librarius, cum pluribus qui jam in errorem fuerant inducti.

307. Probr. thesis, nonnullis adductis in exemplum stultitiis.

STULTITIA CONTRADICTIONUM.

1.° Elucet in primis Mahumetismi stultitia in tot contradictionibus a Mahumeto in Alcorano traditis (3). Quicumque contradictoria profert, vel mentiri, vel quid loquitur nescire, vel priorum oblitus dicendus est: quaevis autem ejusmodi contradictionum causa fuerit, cum earum nulla Deum deceat, magna auctoris arguitur stultitia, quod voluerit quasi propheta Dei haberi, et omnibus persuadere, tot a se fictas et cumulatas stultitias fuisse a Deo revelatas: nec minus suam produnt Mahumetani caecitatem fidem tali prophetae praebentes.

STULTA DEFENSIO APOSTOLATUS.

308. 2.° Stultas profert Mahumes responsiones, quoties ad suae missionis reddendam rationem urgetur; ita ut passim rationis usu

(1) C. XLII, 52.—(2) XXIX, 46, XCVI.—(3) Supra, n. 291.

caruisse videatur (1). Nemo sane mirabitur; nullam ficti sui apostolatus valuisse mendacissimum illusorem proferre rationem; verum id ipsius plane prodit stultitiam, nec non suorum quibus illudebat; quod suas inanes, sine sensu, illusorias, versatiles et a re alienas scripto traderet responsiones, quasi a Deo inspiratas, et miraculosae scientiae portenta.

MAHUMETIS NONNULLA STULTITIAE EXEMPLA.

a) Cum objicerent: «Ipse finxit Alcoranum.» Respondit: «Si feci, »poenam ego subibo; sed vestrorum criminum innocens sum (2).» Utique, poenam subibis: non autem in hoc sistit calamitas; sed misere fallentur qui tibi crediderint.

b) «Dicunt increduli: nihil aliud est Alcoranus nisi mendacium »ab eo fictum; imo non ex se, sed aliorum auxilio illum fecit.» Resp. «Ecce qualis eorum est malitia et perfidia (3).» E contra, nisi ostendas te esse prophetam, tua est malitia, tua perfidia.

c) «Sunt antiquae historiae scriptis per eum mandatae, quas ei »mane et vespere quidam recitant.» ajebat populus. Ille, quasi Deo loquente, reponit: «Dicas; qui terrae et coeli noscit secreta, ille mi»sit librum (4).»

d) «Coranus est recens mendacium, a daemoniaco confectum.» Resp. «Dicas: accedite bini Deum invocantes, et perspicite, utrum »sit daemoniacus; an aliud sit quam apostolus. Juro per sapientem »Coranum: tu es missus ad viam rectam edocendam. Est revelatio »Potentis et Misericordis (5).»

Jurat per Coranum, cum hic censeatur mendacis et daemoniaci opus! Sic constanter probat idem per idem.

e) «Quid vobis videtur? Si venit a Deo Coranus, et non ei creda»tis, dicite: nonne a via omnino aberravit qui ab eo recessit (6)?» Sane: si autem non venit a Deo Coranus; quid?

f) «Dicent: sub Dei nomine confixit mendacium.» Respondet: «Deus sane potest cor ejus sigillo cludere, et mendacium delere» (7). Ita: et potest permittere ut incautos seducas, uti eos alii falsi prophetae seduxerunt.

---

(1) Mahumes epilepsi affectus erat; qua de causa apud ejus sectatores honorantur cultu quodam epileptici: jam vero, ejusmodi saepe insanire, praesertim post quemlibet morbi accessum, notum est.—(2) C. XI, 37.—(3) XXV, 5. —(4) XXV, 6, 7.—(5) XXIV, 45, XXVI, 1. — (6) XLI, 52.—(7) XLII, 23.

STULTITIAE CIRCA MIRACULA.

309. 3.° Nec minus solet, cum agit de miraculis, stulte loqui Mahumetus cum suo Alcorano.

a) Saepissime ab eo concives postulabant supra, n. 295[1], ut aliquo miraculo verum se esse prophetam ostenderet; quemadmodum Moyses, Jesus Christus, ac alii Prophetae fuerunt a Deo commendati. Respondebat: «se hominem tantum esse, et apostolum Dei.» Scilicet, non hominis esse, sed Dei potentiae miracula edere. Verum quidem, sed cum hominis sit mentiri; unde constat te Dei esse Apostolum? Nonne homo fuit Moyses? Ut autem se a Deo missum ostenderet, mira fecit. Tua ergo responsio, *quod homo sis tantum*, ostendit potius alicujus miraculi necessitatem, ut te apostolum esse credamus, non autem pseudoprophetam. Respondet etiam ibid. n. 98[2]: «Deus erit testis sufficiens inter vos et me; ille enim novit »actus servorum suorum.»

At quid hoc ad rem? Sciunt omnes Dei sufficere testimonium: ideo ostende Deum pro tuo apostolatu testificari. Pro Moyse et Jesu Christo Deum magnis miraculis testatur, uti fateris: tu autem utrique adversaris absque ullo divino testimonio.

Item respondet 2: «Si fieret miraculum, non crederent.» Oh mira stultitia! Unde scis, non crediturus? Tu fateris esse Dei omnipotentis opus miracula, ac divinum testimonium: nonne facilius est Deo testanti credere, potius quam luxurioso et ambitioso homini?

Respondet etiam 3: «Venerunt Apostoli evidentibus miraculis »commendati, et negarunt incredituli eorum divinam missionem.»

Quid effrons mentiris, vel stulte tergiversaris? Licet aliqui credere Apostolis noluerint, plurimi tamen, visis eorum signis, crediderunt: *Nisi signa et prodigia videritis, non creditis* 4, dixit Dominus.

Ait quoque 5: «Etiamsi fecissem miracula, nullus, nisi Deo volente, crederet.»

Quid hoc ad rem? Etiamsi comedamus et bibamus, nemo, sine Dei voluntate, vitam retinet: tamen necessum est comedere et bibere. Fatalismum hic videtur pseudopropheta respicere, quo impio errore saepe utitur.

310. b Persentiebat sacrilegus iste ac mendax propheta, iteratae huic et urgenti objectioni, quod suum apostolatum nullo signo ostenderet, minime posse satisfacere; ideo nonnulla excogitavit

(1) XVII, 92, 93.—(2) VI, 109.—(3) XI, 23.—(4) Jo. IV, 48.—(5) VI, III.

portenta (quae tamen solus ipse viderat) et tot absurdis vestita adjunctis, ut ejusdem stultitiam, vel potius amentiam, clare ostendant. Supra (n. 292) indicavimus quae fingit miracula in Mechanorum expugnatione et mercatorum spoliatione. Aliud extollunt Mahumetani miraculum, quod paucis innuitur in Alcorano (1): «Laus illi, qui transtulit servum suum noctu ab oratorio Meccae »ad oratorium remotissimum, cui benediximus, ut ostenderemus »signa nostra.» Quod miraculum et revelationem fuse narrat ipse Mahumes in libro, *Sonna* dicto: at vero tot refert ridicula et spurca, ut clare pateat, non Dei miraculum, sed ignorantiae et stultitiae esse portentum. Ait, ductum se fuisse a Gabriele Archangelo usque ad septimum coelum, imo, usque ad arborem Sedrum, ultra quam transire nemini licet; «est arbor illa, ait, omnium rerum, quas creavit Deus, pulcherrima; unum ejus folium certe cooperiret totam Arabiam.» Vidit etiam ibi jumentum Alborac; quod, cum vellet Mahuma conscendere, illud fugam tentavit. At Mahumetus dixit: sta firmiter; Mahumetus est qui vult te ascendere: respondit jumentum: Numquid pro eo missus sum? Gabriel dixit: Utique. Tunc jumentum dixit: non permittam eum ascendere, nisi prius pro me rogaverit. Mahumes pro jumento Deum rogavit, et sic facile illud conscendit. Haec Mahumetani credunt, et ajunt, Mahumetum promisisse jumento Alborac gloriam paradisi, et ibi revera esse, quaemadmodum et Abrahae arietem et camelum Mahumeti.

Quem è Paradiso isto bestiarum carpserit Mahumes fructum, supra ipse dixit (n. 303) in historia illa Phatemae.

Narrabat etiam, sibi fuisse locutum camelum; et arbores eum transeuntem salutasse, etc.

311. c) Praeter ejusmodi invisibilia miracula, dicunt Mahumetani, in duas partes a propheta lunam divisam, et deinde conjunctam, quod factum ex Alcorano confirmant (2): «Appropinquavit »hora et scissa est Luna.» At non est istud miraculum nisi illorum figmentum, a nemine fide digno visum: locum autem illum Alcorani fatentur plures Mahumetani interpretes diem respicere judicii, quem, inter alia signa, praecedet Lunae divisio. Et quidem, minime tacuisset Mahumes celeberrimum istud Mahumetismi portentum, cum toties argueretur, quod nullo signo apostolatum suum commendaret, et paratissimus esset ad signa fingenda.

312. d) Hoc sane saepissime affirmat, et quidem multis Dei ipsius juramentis et assertionibus; Alcoranum quoddam summum

(1) C. XIV. — (2) LIV.

esse prodigium, necnon quodlibet Alcorani caput, imo singulos versiculos totidem esse Dei signa (1): «An nondum satis fuit illis »quod demiserimus ad te Librum, qui legitur illis?»

Verum quam facile id falso asseritur, tam facile, ac vere contemni et negari potest: nec in singulis versiculis, nec in singulis capitibus, neque in Alcorano toto ullum reperire est miraculum; sed plures quidem ineptias, nugas, fabulas, errores, mendacia, ac spurcitias. Saepe sane Dei opera in eo libro laudantur, attributa celebrantur, Evangelium, Prophetae, Lex Mosayca extolluntur, quod incautis laqueum est, et errandi occasio); at haec a Christianis et Judaeis audivit Mahumes, et suis foedavit stultitiis ac adulteravit erroribus.

e) Tamen, ajunt Mahumetani; Meccanos provocavit Mahumetus, ut aliquem scriberent similem Alcoranum, vel unum saltem caput; nec potuerunt.

Resp. Unde constat id non perfecisse? Verum, ipsi fatentur Alcorani interpretes, fuisse Arabes idiotas, nescientes scribere, neque scripta legere. Quod si aliqui erant docti et eruditi; prudentes et graves inter Meccanos Mahumetum fatuum, nebulonem, ac daemoniacum reputabant, uti saepe Alcoranus testatur; et Librum hunc uti stultam contemnebant scripturam, qualis revera existit. Quis ergo prudens stultam conabitur imitari Scripturam?

STULTA MAHUMETIS ET ALCORANI EFFATA.

313. 4.° Denique probationem theseos absolvimus nonnullis Alcorani naeniis exhibitis.

a) Praecipit ebriis, «ab oratione abstinere, dum ebrietate detinentur; donec quae dicunt intelligant» (2). Nonne ebrius, vel amens est legislator, qui legem edit ab ebrio servandam?

b) Neque orare possunt, juxta Alcoranum (ibid.), «qui ventrem »exoneraverint, vel post foeminae usum; donec lustrentur: quod »si aqua careant, fricare poterunt manus et faciem trito pulvere, et »ad orandum mundi erunt.»

c) «Tibi, Mahuma, Librum dedimus, qui res omnes explicat» (3). Sic Deum mentiri fingit.

d) «Poenitentia est inutilis appropinquante morte» (4).

e) «Angeli et Spiritus ad Deum ascendunt spatio quinquaginta »millium annorum: expecta igitur pulchra patientia» (5).

f) «Vester concivis (Mahumes) non est daemone possessus; quod

---

(1) C. XXIX, 50.—(2) IV, 46.—(3) XVI, 91.—(4) IV, 22.—(5) LXX, 4, 5.

»ipse distincte vidit et cognovit in coeli summitate; neque ille fin»git revelationes; neque haec verba sunt daemonis lapidati» (1).

g) «Solus Deus est adorandus» (2). At alibi, praecepit Deus Angelis: «Simul ac hominem formaverim, eique spiritum insuflave»rim, prosternamini et adorate eum» (3): «Angeli omnes Adamum »adoraverunt, excepto Eblis superbia inflato» (4).

h) «Cum dixistis (oh Israëlitae); non possumus eumdem et uni»cum cibum diu sustinere; respondit Moyses: redite in Aegyptum, »et invenietis quod vultis. Abjectio ac paupertas venerunt super »illos» (5).

Nota Traductoris. «Locus iste, et v. 59 cap. XXVI, unus est ex anachronismis, quibus Alcoranus scatet, quique perfecte ostendunt extremam prophetae arabi ignorantiam.»

314. i) Ecce quam vane ac stulte Deum propheta inducit, caerimonias praescribentem pro illius domo. «Oh credentes? Ne ingre»diamini, sine accepta licentia, Prophetae domum, nisi cum vos ad »prandium invitaverit, et cum vos appellat. Sejuncti post pran»dium exite, nec protrahatis colloquia, quia ei displiceret. Si quic»quam velitis ab ejus uxoribus interrogare, id velo interposito fa»cite; sic vestra et illarum pura manebunt corda; ne contristetis »apostolum Dei. Ne accipiatis in sponsam feminam cum qua pro»pheta rem habuerit: grave id oculis Dei foret (6).»

«Oh credentes! Ne attollatis vocem supra vocem prophetae: noli»te illi elata voce loqui, sicut ad invicem loquimini, ne infructifera »sint opera vestra. Submissa voce coram propheta loquentes, corda »habent disposita ad devotionem: isti remissionem accipient pecca»torum et magnam mercedem. Ii, oh propheta, qui te elata voce »appellant, dum intra domum versaris, sunt ut plurimum insensa»ti. Cur horam, qua sponte exibis, non expectant? id melius fo»ret (7).» Quis non videt infatuati hominis naenias?

j) Solebat suis, quasi a Deo revelatas, historias enarrare a Christianis vel Judaeis auditas, prout eas poterat memoria retinere: cum ergo historiam retulisset septem Dormientium, ad finem subjicit (8): «Disputabitur de eorum numero; aliquis dicet: tres erant, et illo»rum canis quartus. Alius dicet: fuerunt quinque, et canis sextus. »Scrutabuntur hoc mysterium. Dicet alius: septem erant, et canis »octavus. Dicas, oh propheta: melius quocumque alio noscit Deus, »quot erant dormientes: pauci id sciunt.»

k) Quasi mente captus inducit passim Deum jurantem; sit exemplum (9): «Juro per eas quae dispergunt, quae onus portant, quae

---

(1) C. LXXXI, 22.—(2) III, 57.—(3) XV, 29. — (4) II, 37. — (5) II, 5, 8.—(6) XXXIII, 53.—(7) XLIX, vv. 2. - (8) XVIII, 21.—(9) LI et LVIII.

»velociter currunt, quae distribuunt; veras esse promissionis vo-»bis factas. Per calamum, et per scribentes, tu non es, oh Mahoma, »a daemone possessus: tibi perfecta dabitur remuneratio: tu es no-»bilis ingenii. Aliquando elucebit quis sit inter vos demens.»

315. **Nota.** Infinita esset oratio, si in omnes Alcorani decurreret stultas sententias, quas impostor Mahumes veritatibus interserebat sacrarum Scripturarum. Confuse enim, sine unitate, sine ordine, sine nexu, absque scopo, quaecumque cogitando occurrebant, effutiebat, ad nauseam usque eadem repetendo: vera cum falsis, inania cum utilibus, stulta cum seriis, turpia cum honestis, quasi mente captus, miscebat, revocabat, recoquebat. Neque exinde miraberis, obduratos in suo errore, et quasi incorvertibiles esse Mahumetis sectatores: quippe (praeterquam quod summa morum licentia, et crassa, qua obligantur, ignorantia circa religionem, et civilis coactio eos detinet) semel atque in Mahumetismum caecam fidem imbiberint, veluti irrationales evadunt, mente capti, ratione non utentes, suo prophetae similes. Placuit errores et turpitudines aliquamplures sectae istius exponere, ut Christianae Religionis splendor et sanctitas, hisce tenebris è regione posita, magis magisque splenderent; atque in Jesum Christum, Dei Filium, Deum verum et Hominem verum, qui è tantis nos eripuit tenebris, amore et grato animo intensius afficeremur; nec non ut clarissima illa Beati Petri de populo christiano verba clarius elucerent (1): «*Vos autem, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.*»

§ III.

Unde procedit pertinax Mahumetanorum caecitas.

316. Ex dictis cuivis elucebit, quam falso ac mendacissime suam Mahumes commendaret sectam, dicens; nihil a Religione Christiana differre et Judaica. «Nolite, ajebat (2), disputare cum scriptura-»libus (Judaeis scilicet et Christianis), exceptis iis qui vos injuria «affecerint; (nam cum his, ut explicat Galaleddinus, non verbis, »sed gladio disputandum est): sed modestis verbis dicite illis: Cre-»dimus in Alcoranum nostrum, et in Pentateuchum, et Evange-»lium vestrum; et Deus noster, et Deus vester est unus et nos »illum devote colimus.» Quod quidem plane falsissimum est. Ut autem in hoc aliisque miseros sequaces retineret erroribus, prohi-

(1) 1.ª, Petr. II, 9.—(2) C. XXIX, 45.

buit omnem de Religione concertationem (2): «Deus revelavit tibi »veritatem, itaque ne dubites de ea. Si quis vero disputare voluerit »tecum de ea, postquam data est tibi scientia illius; dic illi: Venite, »advocemus filios nostros et filios vestros; et conjuges nostras et »conjuges vestras; et nos ipsos et vos ipsos. Deinde oremus Deum, »ut feriat maledictione sua eos ex nobis, qui sunt mendaces, et »aberrant a veritate.» Nihil ergo, ut suam tueatur superstitionem, ratiocinii permittit, sed aliam tantum adhibere caecam superstitionem ac Dei tentationem; rationis enim lumine nequit Mahumetismus ullatenus suaderi. Quid autem petita ista praestabit maledictio? Nam visibilis et miraculosa non fiet; cum saepe dicatur in Alcorano, non esse Mahumetis praedicationem miraculis confirmandam: erit ergo, si fiat, maledictio quaedam ignota et invisibilis. Unde ergo veritas elucebit? Sic igitur viam omnem ab errore emergendi suis sectatoribus malignus occlusit pseudopropheta.

§ IV.

Mahumeticae superstitionis scopus.

317. Si Mahumetanae sectae finem et scopum noscere velimus, putat Bellarminus (serm. 5. de fide), Mahumetis propositum non fuisse aliud «quam difficultatem omnem profligare, quam christiani »homines in credendo et operando patiuntur. Quia difficile est cum »una uxore contentum esse, et eam non posse dimittere, adhaesit »Judaeis. Quia difficile erat credere unam essentiam in tribus Per»sonis subsistere, adhaesit Arianis. Quia difficile erat unam Perso»nam esse in duabus naturis, adhaesit Nestorianis. Quia difficile erat »propter spiritualia et futura contemnere temporalia et praesentia, »quae videntur, adhaesit Epicureis. Quia difficile erat, postremo, »Christum et Moysen, tam perspicue sanctos et Dei amicos, non re»cipere; et non minus difficile erat cum Lege Moysis et Evangelio »Christi suam legem conjungere, Christum et Moysen recepit, Le»gem et Evangelium repudiavit.»

Verum, ejusmodi propositum, non quidem causam finalem Mahumeticae sectae censemus fuisse; sed medium potius et industriam adhibitam ut praecipuum alium assequeretur scopum; scilicet, ut dominandi et luxuriandi satiaret effrenatam libidinem. Principalis hic finis ex toto elucet Alcorano. Ut Christianos ad suam sectam et dominationem traheret, gloriose de Jesu et Evangelio loquebatur; de Moyse pariter et Prophetis, ut falleret Judaeos; exaltavit tem-

(1) C. III; 59.

plum Mechanum, ut idololatris conniveret; januam latissimam luxuriae aperuit et depraedationibus ut omnes alliceret, et sibi blandiretur; eademque de causa difficilia quaevis respuebat. Quia vero ista ad dominationem, tum religiosam, tum civilem sibi assequendam nondum re ipsa sufficiebant, armis omnes subjugare aggressus est, et magna ex parte, quod in votis erat, obtinuit; Deo, ut censemus, puniente, gladio turpissimi impostoris, Paganos et Judaeos Christi fidem renuentes; haereticos fidem labefactantes; schismaticos unitatem corporis Christi scindentes; pravos christianos nomen Christi deturpantes. Sicque exitum comminationes illae habuere, quas Christus D. Thyatirae Ecclesiae intimaverat. (Apoc. II).

§ V.

Mahumae Sectatores.

318. Quos gignat turpis ejusmodi secta fructus in populo cui dominatur, exponit in aureo suo libro Reverendissimus P. Tyrsus Gonzalez de Santalla, S. J. (1).

Refert quales censentur inter Mahumetanos sancti; unde infert, et quidem jure, quid possit reliquum esse vulgus: «Est doctrina »inter Mahumetanos recepta, homines jejunando, eleemosynas »elargiendo, a delectationibus carnis abstinendo et poenitentiam »agendo initio vitae suae, tandem naturam acquirere Angelorum »et impeccabiles reddi, et, in praemium vitae anteactae, posse jam »quidquid libuerit deinceps facere, et quamcumque delectationem »capere.» Id gravissimis et fide dignis confirmat testibus, et factis comprobat. Quia vero facta ejusmodi turpissima sunt, libenti animo silentio premimus; ejusmodi enim sunt, ut nec homines, nedum sancti, appellari *Turlachi* illi, seu *Morabitae*, seu *Sanctones* (sic vocare vulgus solet) mereantur: nam ipsis bestiis turpiores se palam exhibent, quasi furiosi et honestatem omnem cum ratione exuti. Jure igitur ait laudatus Auctor: «Quis non videt turpissi»mam et abominandam esse legem, quae tales fructus producit; »animasque non ad Deum convertere, sed in bestias transformare? »Conferat hic Christi praedicator puritatem Religionis Christianae »cum hac impuritate; et in medium proferat vitam et gesta eorum, »quos Sancta Ecclesia ut Sanctos colit...»

---

(1) Manuductio ad Conversionem Mahumetanorum, Pars II, L. V, c. XXXIV.

§ VI.

Mahumeticae superstitionis caerimoniae.

319. Quemadmodum, suis cum erroribus, plures tradidit Mahumes a Christianis et Judaeis acceptas veritates; ita praecepta nonnulla moralia in turpissima sua lege injunxit. I^m^ quinquies singulis diebus orare. Verum hac in ipsa re errant, et orationem in peccatum vertunt; sic enim orant Mahumetani: «Deus magnus est, et »Mahumetus a dexteris ejus existit. Benedictus sit Deus.» Ecce, quid sit orare nesciunt; orationem cum laude confundunt; neque etiam Deum laudant, sed contumelia afficiunt, turpissimum Prophetam a Dei dexteris constituentes.

II^m^ Praescribit iteranda passim lavacra, non aqua solum, sed, si ea careant, etiam pulvere. Corpus utique lavant vel fricant, animam autem mundare nesciunt, nec possunt. Judaei sane suas habebant baptismatum caerimonias; verum edocebantur contritionem cordis et munditiem mentis praecipue quaerendam.

III^m^ Jejunium mense integro custodire tenentur, ita ut nec edere, nec bibere diu eis liceat, sed noctu tantum. Ita: verum possunt nocte tota edere et bibere pro libitu, toties et quantumque voluerint. Hinc evenit, ut accedente nocte, quia siti et fame urgentur, et aliunde eos edocet Alcoranus, in cibo et potu et aliis corporis voluptatibus finem supremum hominis repositum esse; noctes vorando, potando, et luxuriando, transigant: quo efficitur, ut jejunium non ad frenandas sed ad inflamandas passiones institutum esse videatur. Potare vinum est Mahumetana lege prohibitum, at non reputatur in peccatum spiritu vini ingurgitari. Talis legislatoris, digni alumni.

IV. De primario religionis officio, Sacrificio scilicet, oblitus est Mahumes: caret turpis ista secta ad Deum colendum Sacrificio.

COROLLARIUM

Ex tota Disquisitione.

I. *Animadversio de Liberalismo.*

Priusquam hanc absolvamus tractationem, oportet cuidam obviam ire objectationi. Disquisitionis hujusce titulus, *Liberalismi* errores explodendos enuntiavit, *Rationalismi*, sane, et *Indifferentismi*, aliorumque systematum monstra, quibus thesibus ac argumentis expugnantur, suo loco indicavimus; Liberalismi autem nec nomen quidem in totius disquisitionis decursu prolatum est. Ita quidem: verumtamen, etiamsi peculiarem nullam thesim adversus ejusmodi errorem intenderimus, non inde sequitur intactum praeteriisse; si recte enim rem perpendamus, disquisitio tota adversum illum militat, prout hujuscemodi erroris fert natura: Liberalismus enim est omnium hodiernorum errorum parens, seu nutritius.

II. *Quid ambiguum in Liberalismo, quid certum.*

Inde difficultas, cum praecisis terminis errorem istum definiendi; uti notavit, hisce diebus, spectabilis quidam Doctor in solemni quam habuit oratione pro re catholica: dixit enim primores scriptores, inter recentes polemistas, a se consultos, omnesque in definiendo Liberalismo discrepare; quod quidem exemplis confirmat, insigniorum auctorum proferens hujuscemodi definitiones. Nihilominus, etiamsi aliqua in hisce definitionibus inveniatur differentia, omnes consentiunt, (quod notare oportet) nomine *Liberalismi* rem denotari funestissimam et plurimorum errorum ac malorum feracem. Quod quidem ipsa universalis edocet experientia: ubicumque enim nomine *Liberalismi*, vel societates civiles, vel alii constituuntur aut reguntur hominum conventus, plurima ac gravissima exinde mala et perturbationes exoriri, res est comperta. At, rem hanc clariori in luce posuit S. Indicis Congregatio, dum laudavit, *post maturum examen*, opus Cl. Sardá et Salvany in quo thesim hanc principem ostendit: Liberalismus est peccatum. Censuit enim S. Congregatio: «Auctor ejusdem D. Félix Sardá laudem »meretur, eo quia solidis argumentis, ordine et claritate expositis, »sanam doctrinam in materia subjecta proponat atque defendat.»

Sed firmius nobis suppeditat Liberalismi malitiae argumentum S. Pontifex Pius IX. ex damnatione Propositionum 77, 78, 79, 80. Syllabi praecipuorum nostrae aetatis errorum; istae namque erroneae propositiones Liberalismo adjudicantur. Inde rejicit S. Pontifex, cum Propositione 80, «quod »possit ac debeat Romanus Pontifex cum Liberalismo sese re»conciliare et componere.»

III. *Quid concluditur pro re christiana.*

Ex his facile concludes; sufficienter catholico cuicumque quid sit Liberalismus innotescere; ut ab eo, nec non ab omnibus qui se eodem infectos exhibent, veluti e peste, fugiant. Si lues namque aliqua regiones invadat, numquid expectabunt incolae, ut ab ea, nec non ab infectis, diligenter caveant, quod consenserint medici in morbi tradenda definitione? Rem enim quamcumque existere longe facilius dignoscitur, quam quid ea sit definire: hinc omnes cives agnoscunt, et digito ostendunt hanc vel illam factionem (partido) civilem, liberalem esse; aliam vero in Liberalismo plus progredi: praesertim cum neque id velint factiones istae dissimulare, sed potius gloriosum sibi existiment, et de altiori in liberalismo gradu invicem contendant. Jam vero nonne res est aperta, quinam has factiones sequantur, vel adjuvent?

IV. *Unde Liberalismi ambiguitas orta.*

Ut autem de Liberalismi definitione quid judicem aperiam, pauca adjiciam. Censeo errorem hunc esse natura sua transcendentalem, et inde accidere quod in eo praecisis verbis definiendo, difficulter consentiant polemistae; consequitur enim difficultas ista quaestiones omnes transcendentales, quae, ratione simplicitatis ex una parte, et ratione extensionis ex altera, mentes in iis complectendis divagare coguntur. Sic, ex. gr., Protestantismus innumeros genuit errores et induxit sectas: si quis igitur conetur definitione aliqua eum comprehendere, ex malignis quos protulit fructibus desumpta, necesario fiet ut, pro ratione temporum, locorum et personarum, unus sic, alius vero sic definiendum Protestantismum existimet; donec errorem transcendentalem, et quasi ceterorum omnium radicem, prospexerit. Idem cum errore evenit Jansenismi, idemque cum aliis ejusmodi transcendentalibus erratis: innumeras Jansenismi corruptelas in disciplina, in sacramentis, in moribus, in dogmate, non poteris una definitione describere; donec advertas,

impotentem proclamasse hominem ad non peccandum, ac solum Deum peccati causam existere.

Jam vero, tentarunt, generatim auctores Liberalismum ex pessimis, quos ubique terrarum parit, fructibus definire; et cum universos, socialem, moralem, intellectualem, religiosum, civilem, mercatorium, industriosum, domesticum, ordines virus illius inficiat, hinc diversimode, prout ad hunc vel illum respiciunt rerum ordinem, eum definiunt. Quidam notant quod ordinem supernaturalem nihili facit; alii advertunt quod statum civilem ab Ecclesiae subtrahat subjectione; alii quod leges status supra legem ipsam divinam extollat, et cultum idololatricum Status inducat; alii quod dissolvat vincula socialia; alii quod leges morales, quod familiae constitutionem evertat, etc., etc. Numquid verae sunt istae Liberalismi definitiones? Utique, verissimae, sed inadaequatae, quia errorem illius transcendentalem, ceterorum radicem, praetermittunt.

V. *Quae Liberalismi adaequata definitio.*

Quemadmodum error transcendentalis Protestantismi est: «spiritus privati sensum circa scripturas esse unicam fidei regulam;» et Jansenismi: «impotentem esse hominem ad bene agendum vel male, et tamen actiones illi esse imputandas;» sic Liberalismus, fidem ad libitum protestanticam, rem esse inanem ad scopum suum putans; et divina mandata, gratiamque jansenisticam ad res antiquatas relegans; censet: in hominis *libertate*, totam sive personalem sive socialem prosperitatem esse statuendam. Non tamen de *libertate* in genuino sensu accepta, quod minus foret absurdum, agit Liberalismus; quatenus, scilicet, est facultas agendi juxta *rectam rationem*, in homine qui solis valet naturae viribus; vel agendi juxta *rationem fide exornatam*, in homine christiano; sed agit de *libertate*, quasi facultate agendi quod cuique placet et libet.

Hunc ergo censemus principem et adaequatum Liberalismi conceptum: *systema quo defenditur, facultatem seu licentiam inesse cuique homini abutendi sua libertate.*

VI. *Liberalismi gradus.*

Cum autem abusus hic libertatis plus vel minus porrigi valeat; etiamsi liberales omnes in eo conveniant, quod jus insit omnibus sua libertate abutendi, limites tamen aliquos praefigendos, generatim volunt: qui enim nullo teneri vinculo libertatem suam volunt, *Nihilistae* recte nominantur; nihil enim intactum in ullo ordine

naturali vel supernaturali relinquunt. Liberales qui nulla volunt coerceri auctoritate sociali, dicuntur *Anarchici:* qui contendunt, societatis vel privatorum bonis, veluti sibi propriis ex aequo abuti posse, *Socialistae* et *Communistae* audiunt: qui cupiunt abusum cavendum libertatis, quo ordo societatis externus perturbaretur, liberales *Conservatores* se nuncupant; in quibus tamen diversi existunt liberalismi gradus, juxta eorum audaciam et dominatus spem. In eo facile omnes liberalium factiones consentiunt: de Religione et morali ordine non curandum; et quod cuique libet id facere, dicere ac cogitare posse; dummodo aliud socialis externusque non exigat ordo.

VII. *Perturbationis inter christianos progressio.*

Ecce igitur quo pacto progressa est societatis perturbatio et apostasia. Protestantismus directe fidem reapse subvertit, et ad speciem retinuit; ordinem autem moralem indirecte sustulit, cuique concedens licentiam suas fingendi morum regulas. Jansenismus moralitatem omnem directe abstulit, fidem autem indirecte; extrinsecus autem subjacere homines mandatis voluit, quasi bruta, nempe, quae jugum, velint nolint, portare debent. Liberalismus sine ambagibus, ad ima descendens, libertatem idolum suum facit, eique honores decernit divinos, quantum privata cujusque dictat utilitas, et potentiorum sinit coactio. Tamen cum potentiores numero a vulgo superentur, vergit Liberalismus ad omnis socialis ordinis dissolutionem et extremam barbariem.

VIII. *Quo pacto expugnatus fuerit Liberalismus.*

Ex dictis facile inferes, in tota hac disquisitione, Liberalismum esse expugnatum: *directe* quidem quoad illos liberalium errores qui circa Religionem versantur, cum jura defenderimus (1) Religionis; *indirecte* autem totum etiam Liberalismum; tum quia Christiana Religio quemlibet damnat libertatis abusum; tum quia cujuslibet legitimi ordinis et prosperitatis solidius fundamentum est Religio. «Atque eisdem fidelibus inculcare numquam desinite, omnem veram felicitatem in homines, ex augusta nostra religione ejusque doctrina et exercitio redundare, ac *beatum esse populum cujus Dominus Deus ejus,*» ait Pius IX (2).

---

(1) Praesertim in cap. I. Dico II, III, IV, V; et cap. II, thesis I, II, III, IV, V, VI, XXVII.—(2) Encycl. *Quanta cura.*

Ceterum. Liberalismi sectam è fundamentis subvertit Augusti-»nus (1) dicens: «Docuimus liberum arbitrium sic homini datum, »ut tamen et divinis legibus et humanis rectissime gravium sup-»plicia constituta sint peccatorum: et pertinere, ad religiosos reges, »non solum adulteria vel homicidia vel hujusmodi alia flagitia »seu facinora, verum etiam sacrilegia severitate congrua cohibere.»

Et similiter Hieronymus (2): «Quod autem sursum deorsum »jactitant, liberum a nobis arbitrium destrui, audiant è contrario »eos arbitrii destruere libertatem, qui male eo abutuntur adversum »beneficium largitoris. Quis destruit arbitrium? Ille qui semper »Deo agit gratias, et quodcumque in suo rivulo fluit, ad fontem »refert. An qui dicit: *Recede a me, mundus sum:* non habeo te ne-»cessarium? Dedisti enim mihi semel arbitrii libertatem, ut fa-»ciam quod voluero.»

---

(1) Epist. 204 ad Dulcitium Tribunum.—(2) Epist. 133 ad Ctesiph. n. 6.

DISQUISITIO III.

DE ECCLESIA CHRISTI
seu
Religionis Christianae prospectus
ubi etiam interseruntur
quae de *Locis Theologicis* dici solent.

PROOEMIUM.

1. Ordinem nostrarum conceptionum perpendentes veteres Scholastici, ajebant; praemittendam quaestioni, quid res sit? illam priorem, an res sit? Ac jure quidem: Quis enim mente valeat modum, sive substantialem, sive accidentalem cogitare, re non praeconcepta quam mens respiciat, et modus attingat? Cum ergo in praecedenti secunda Disquisitione ostendere tentaverimus, divinitus per Christum factam fuisse Religionis revelationem: jam exquirere aggredimur, quid ea sit: quo in labore tota versatur scientia sacra, seu supernaturalis Theologia. Verum non res simplex et incomplexa existit ea, quam Deus per Christum hominibus revelavit, Religio; sed varia et admodum complexa, multis coalescens, praeter ipsius formam, intellectui illuminando veritatibus, et non paucis voluntati dirigendae mandatis.

2. Quae in istis evolvendis tenenda methodus, neque omnes consentiunt, neque parvi facienda quaestio; cum ad rerum elucidationem, et ad laboris difficultatem, et ad scientiae nobilitatem ac firmitatem non parum id spectet. Quo patet, eam excludendam et improbandam methodum, seu procedendi rationem, qua, nullo facto quaestionum theologicarum discrimine, proponuntur et evolvuntur prout occasio, seu caeca sors, ad palaestram eas adduxerit. Alii autem ordine aliquo, quod rationalis est naturae, gaudentes, ab iis aggrediendum esse rebus ad scientiam theologicam existimarunt, quae in ea nobiliores sunt ac praecipuae, sive ex natura

sua, sive successu temporis et origine. Alii denique ingenii humani naturae consulendum putant, cujus est, (uti auctor est Philosophus, et ipsa foret auctor experientia etiamsi nullus foret philosophus) a notioribus ad minus nota procedere; adeoque in Theologia, quemadmodum et in ceteris disciplinis, ab iis exordium sumendum quaestionibus, quae reliquis viam sternunt et lumen praebent, qualiscumque fuerit rerum, quae in iis pertractantur, natura.

3. Huic ergo sententiae morem geremus, et a causis ad effectus dilucidandos procedemus cum illae notiores extiterint, vel, è converso, ab effectibus: non enim est nobis propositum causas rerum vel effectus nude inquirere; sed argumenta potius et indicia quibus, quid verum sit, quidve falsum in ejusmodi elucescat. Scimus quidem alia nota esse vel ignota nondum christianis, vel in religione christiana tironibus; alia vero iis qui certa fide fuerunt in ea instituti: quapropter licet ea universim simus methodo usuri qua tironem et in re christiana inexpertum ad scientiam sacram deducamus; tamen nolumus reprehendi si alia insuper adhibuerimus argumenta credentibus firmissima, puta, Scripturae sacrae sententias, et Ecclesiae definitą judicia. Nam iis qui Christi religioni fidem dedere, loco axiomatum ejusmodi argumenta existunt; ideoque non sunt ea defraudandi certitudine quae ex his in ceteras defluit quaestiones: reliquis autem, ut historica testimonia et gravissima, saltem, veritatis indicia prodesse possunt.

4. Ut hac ergo procedamus methodo, a Cano (1) laudata et exculta, et propius jam ad scientiam evolvendam sacram, Christi scilicet Religionem, adveniamus: primum decernendum ubinam, seu, quaenam sit genuina Christi Religio? Diversi enim diversas venditant falsi nominis christianas religiones. Cum illa ergo muliere Samaritana debet salutis aeternae cupidus, ac Christi Religionis tiro similiter quaerere (2): *Domine, video quia Propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Samaritani enim Moysis legem colere opinabuntur; Judaei eamdem utique sequebantur; at aliter Sadducaei, Pharisaei aliter. Pariter, christianos se Nestoriani vocitant, Abyssini, Schismatici Graecanici, nec non Russiaci, Lutherani, Calvinistae, etc. Ea de causa ajebat Tertullianus (3): «Ordo »rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum dispu»tandum est: quibus competat fides ipsa? Cujus sunt Scripturae? A »quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina qua

(1) De Loc. Theol. P. 2. c. X.—(2) Jo. IV, 19.—(3) Praescrip. c. XIX.

»fiunt christiani? Ubi enim apparuerit esse veritatem et disciplinae »et fidei christianae: illic erit veritas Scripturarum et expositio»num et omnium traditionum christianarum.»

Duo ergo in hac tertia disquisitione nos prosequi oportet; primum formam constitutionemque evolvere Religionis Christi, et ejusdem proprietates; secundum, quod ex priori consequitur, eamdem a quavis, falsi nominis, christiana superstitione secernere. Quae non sunt admodum difficilia existimanda: *Misit enim Deus Filium suum in mundum, ut salvetur mundus per ipsum* (1), non unus tantum populus. Si ergo usque adeo praelucebat vera lex Mosayca, ut diceret Dominus Samaritanis (2): *Vos adoratis quod nescitis; nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judaeis est;* multo praestantior fulgore erit vera Christi Ecclesia, quasi *lux mundi, et civitas supra montem posita quae nequit abscondi* (3). Eam proinde Religionis Christianae, Deo favente, exquirimus notitiam qua cuilibet valeamus sectae dicere: *Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Catholica Ecclesia est.* Quod quidem scimus catholici, nec nobis opus est exquisitione; sed quo pacto valeamus nescientes edocere gradatim evolvemus, et difficultatibus dissipandis eorum qui non credunt obvii procedemus.

DIVISIO GENERALIS.

Caput I. De principiis Ecclesiae.
— II. De proprietatibus ejusdem.
— III. De eadem singulariter dignoscenda.
— IV. De ejusdem filiis, seu veris christianis.
— V. De doctrinali Ecclesiae deposito.

CAPUT I.

De Principiis Ecclesiae Christi.

Principia rei cujusvis contingentis sunt vel intrinseca, seu constitutiva, vel extrinseca, seu causantia: unde in duos articulos caput primum dividimus.

---

(1) Jo. III, 17.—(2) Ibid. IV, 22.—(3) Matth. V, 14.

ARTICULUS I.

De principiis intrinsece constituentibus Ecclesiam Christi, quasi materia et forma ejusdem.

THESIS I.

Divina Christi religio pro omnibus hominibus et in perpetuum fuit instituta.

6. **Nota**. Utramque theseos partem certa fide tenemus Christiani: primam autem supra (Disq. II, n. 261) ostendimus, et secundam perspicua confirmant documenta.

1.° Christus dixit (1): *Praedicabitur hoc Evangelium regni* (doctrina, nempe, ac Cristi Religio) *in universo orbe in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet finis.* Item ait (2): *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam:* (3) *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi;*

7. 2.° In Prophetiis ac libris sacris quibus Religio docebatur Judaica, quamque divinam fuisse probatum supra (Disq. II. n. 222), de divina Christi Religione praedictum fuit (4): *Et timebunt qui ab occidente nomen Domini, et qui ab ortu solis gloriam ejus; cum venerit quasi fluvius violentus quem spiritus Domini cogit; et venerit Sion Redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum.* Haec prophetia, uti docet contextus et confirmat Christi Apostolus (5), ad Foedus Novum, seu Christianam refertur Religionem, quae proinde in sempiternum est duratura.

8. 3.° Christi D. discipuli hanc religionis perennitatem intellexerunt et praedicarunt (6): *Praecipio tibi, ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile, usque in adventum Domini nostri Jesu Christi.* Et ipse Apostolus conferens Christi Evangelium cum Veteri Lege, hanc *mobilem*, illud *immobile* dicit (7): *Non accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam, et tubae sonum* (sic enim Lex Vetus promulga-

(1) Matth. XXIV, 14. — (2) Ibid XVI, 18. — (3) Ibid. XXVIII, 20. — (4) Is. LIX, 19.—(5) Rom. XI, 26.—(6) 1.ª Tim. VI, 14.—(7) Hebr. XII, 18...

ta): *sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis... et Testamenti Novi Mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel. Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum qui super terram loquebatur* (Moyses, merus homo): *multo magis nos, qui de coelis loquentem nobis avertimus. Cujus vox movit terram tunc; nunc autem repromittit dicens: adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed et coelum. Quod autem Adhuc semel dicit; declarat mobilium translationem, tamquam factorum, ut maneant ea quae sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia.*

4.° Ad Antichristum usque, de quo Paulus (1) et Joannes (2), perdurabit utique Christi Ecclesia, quam ille expugnare ac delere conabitur: atqui projecto in stagnum ignis Antichristo, cum omnibus eum adjuvantibus, manebit victrix per Christum Ecclesia usque ad universale judicium, docente perspicue eodem Joanne (3), cum Daniele (4); ergo.

9. 5.° Antiqui Patres. Doctoresque christiani eamdem, quam acceperunt, nobis tradidere doctrinam. Exempli causa laudabimus Hieronymum (5): «Ex quo intelligimus Ecclesiam usque ad »finem mundi concuti quidem persecutionibus, sed nequaquam »posse subverti.» Et Augustinus (6) ajebat: «Quis vero »fidelium dubitet, Ecclesiam, etiamsi aliis abeuntibus, aliis ve»nientibus ex hac vita mortali transeat, tamen in aeternum esse »fundatam?»

6.° Omnibus hominibus necessaria est ad salutem Christi Religio, uti supra positum fuit: *Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus; in quo oporteat nos salvos fieri;* haec Petrus (7), magnis Evangelii praedicationem firmans portentis: atqui *omnes homines vult Deus salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (8); ergo tamdiu perdurabit Christi Religio, quamdiu homines in mundo permaneant.

10. **Corollarium.** Alibi probatum est (9), hominum societatem, quatenus persona quaedam moralis est, adeoque Moderatores societatis, ad munera religionis constringi: unde intelligimus, non solum omnibus hominibus, sed pro omnibus quoque nationibus, regnis, rebuspublicis, et principibus, regibus, praesidibus eorum, in perpetuum Religionem Jesu Christi fundatam et permansuram.

---

(1) Thessal., II, 8.—(2) Apoc. XIX, 19, 20. — (3) Apoc., XX. — (4) VII, 25, 26, 27.—(5) In Amos, IX, 15.—(6) In ps. 77.—(7) Act. IV, 12.—(8) 1.ª Tim., II, 4.—(9) Disq. II, Dico IV, n. 11.

11. Obj. Dicit Christus D. (1): *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Ergo res videtur esse saltem dubia, quod permansura sit Christi Religio usque ad mundi finem.

Resp. Dist. *consequens*. Perpensis, juxta naturalem ordinem, difficultatibus et contradictionibus quibus subjecta est Christi Religio, dubium est quod ad finem usque temporum sit duratura: conc. Divinis perpensis subsidiis ac promissionibus, dubium est permansuram christianam religionem; nego *consequentiam*.

THESIS II.

Sic Christus D. suam instituit religionem, ut omnes in Eum credentes in unam coalescerent societatem.

12. Hanc nos edocet catholica fides doctrinam, et paucis probabimus.

1.° In Symbolis fidei Apostolicō et Nicoeno dicimus: «Credo Sanctam Ecclesiam.» Atqui nihil aliud est Ecclesia quam societas, seu congregatio credentium in Christum: ergo. Item in Constantinopolitano: «Credo in unam, sanctam, catholicam et Apostolicam Ecclesiam.»

2.° De illis loquens Dominus qui vocem ejus audiunt, id est, credentibus in eum, ait (2): *Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor*. Apostoli quoque et discipuli Christi id agnoscunt ac testantur. Paulus (3) vocat credentes, *Corpus Christi, quod est Ecclesia;* ergo revera in unum coëunt, uti ejusdem corporis et congregationis membra: et Petrus dicit, esse Christum tamquam *lapidem vivum, electum;* accedentes autem ad Eum superaedificari, quasi *lapides vivos* in domum spiritualem, et efficere *genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis, et populum Dei* (4).

13. 3.° Antiqui Patres, Doctoresque christiani plurimum istam laudabant communionem, veluti omnium in Christo credentium characterem: unum vel alterum sufficiat testimonium. S. Ignatius M., dum ad patiendum pro fide Christi adibat, Magnesianis scribebat: «Hortor ut hoc sit vestrum studium, in Dei concordia »omnia agere.» Clemens Alex. (5), per Christum Deum, ait: «Tollitur maceria quae Graecum a Judaeo dividebat, ut esset po- »pulus peculiaris.» S. Cyprianus (6): «Deus unus est, et

(1) Luc., XVIII, 8.—(2) Jo., X, 16.— (3) Colos., I, 24. — (4) 1.ª Petri, II. — (5) L. 6, Strom. —(6) De unitate Eccl. c. 11.

»Christus unus, et una Ecclesia ejus, et una fides, et plebs in so-»lidam corporis unitatem concordiae glutino copulata.» Tertullianus, exponens in libro *Adversus gentes*, quid sint christiani, ajebat: «Corpus sumus de conscientia religionis et disciplinae »veritate et spei foedere. Coimus in coetum et congregationem, ut »ad Deum quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes.» S. Augustinus (1): «Neque enim quia et in orbem terrarum »plerumque regna dividuntur, ideo et christianorum unitas divi-»ditur: cum in utraque parte catholica inveniatur Ecclesia.»

14. 4.° Qui communibus mediis ad eumdem prosequendum finem operantur, idque tum interius, tum exterius; isti sane consociati existunt. Atqui Christi religio sic fuit instituta, ut communibus mediis ad eumdem scopum homines tum exterius, tum interius duceret; ergo ad modum societatis fuit a Christo constituta.

Major praemissa ex sese evidenter patet; *minorem* Evangelia testantur. Nam Dominus non diversa pro diversis hominibus tradidit mandata, sed eadem pro credentibus quibusvis (2): *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Item dixit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Unde non concessit, ut quae vellet quis mandata, haec retineret: quae autem nollet, respueret: ergo cum in mandatis internis, tum in externis omnes convenire debent christiani; religionis enim officia etiam externa sint oportet, ut probatum supra (3).

15. Corollarium. I. Non solae individuae et physicae personae in unam christianam coalescunt societatem; sed personae quoque morales, nationes nempe regna, respublicae, ideoque principes, reges, praesides, in Christum credentes et christianae Religioni subjacentes. Unde inferes, societates civiles, nationes nempe, regna, etc., posse quidem, inspecto solo fine temporali, et terreno, societates esse perfectas et independentes; perpenso altiori religionis fine, cui subjiciuntur (supra, n. 10), imperfectae sunt societates altiori perfectae subservientes, scilicet, christianae societati, seu Ecclesiae. Proinde societatis civilis rectoribus nedum a quavis potestate in Ecclesiam exercenda abstinendum est, quippe nullam habent; sed ad ea officia erga illam praestanda prompti esse debent de quibus alias egimus (4).

16. Corollarium. II. Ecclesia Christi est indefectibilis. Nam

---

(1) De Unit. Eccl., c. X.—(2) Matth. XVIII, 19; Marc. XXVI, 16.—(3) Disq. II, c. I, Dico III.—(4) Disq. II, Dico IV et V, n. 11 et 21.

nihil est aliud Christi Ecclesia, quam Religio Christiana, quatenus societas est ex ipsius Christi institutione. Sed divina Christi Religio est indefectibilis, uti ex Thesi I (n. 6) constat: ergo.

Obj. In diversis christianorum Ecclesiis diversi adhibiti semper fuere ad Deum colendum ritus. Ergo unitas, saltem externa, non fuit a Christo statuta pro sua religione.

Resp. Dist. *ant.* In diversis Ecclesiis diversi adhibiti fuere ritus, iis in rebus ac caeremoniis quas Christus non definivit; conc. In ceteris a Christo D. statutis; nego *ant.* et pari modo dist. *consequens:* ergo non statuit Christus unitatem, saltem externam, quoad omnia; concedo; quoad plura substantialia, quae ad externam sat essent communionem; nego *consequentiam.*

THESIS III.

Constituit Christus Ecclesiam, seu societatem credentium in illum, convenire inter se et uniri in ejusdem fide professione, et in eodem Baptismo.

17. Quod in hac tuemur thesi, unum est ex primariis fidei catholicae dogmatibus; ideo solidis, paucis tamen, suadebimus argumentis.

I.ª Pars prob. 1.° Conc. Constantinopolitani quarti, in solemni quam ediderunt fidei professione, dixerunt Patres: «Prima »salus est rectae fidei regulam custodire.» Concilium quoque Trident. (ses. 3.ª) ait: «Haec Sacrosanta Synodus... ante omnia sta»tuit et decernit, praemittendam esse confessionem fidei. Patrum »exempla in hoc secuta... Quare Symbolum Fidei, quo sancta Ro»mana Ecclesia utitur, tamquam principium illud in quo omnes »qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac funda»mentum firmum et unicum... exprimendum esse censuit: quod »quidem ejusmodi est: Credo in unum Deum...»

18. 2.° Unam tantum esse in Ecclesia fidem, perspicue docuit Apostolus (1): *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe. Unus Dominus,* una fides, unum baptisma, *unus Deus et Pater omnium.* Imo, non solum fidei novitatem, sed verborum etiam vitandam docet (2): *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* De iis autem qui contendunt Evangelii fidem immutare, ait (3): *Sunt aliqui qui vos*

---

(1) Ephes. IV, 3.—(2) 1.ª Timot. VI, 20.—(3) Gal. I, 7..... 12.

conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis, praeter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi. Et Joannes dixit (1): *Quod audistis ab initio in vobis permaneat: si in vobis permaneat quod audistis ab initio, et vos in Filio et Patre manebitis. Haec scripsi vobis de his qui seducunt vos.* Praecipit etiam vitandos omnino qui fidei contraria sequuntur (2): *Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave dei dixeritis: qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Verum de libris sacris sat superque dictum; possemus enim longe plura ex eis proferre.

19. 3.° Pauca de antiquis Ecclesiae Patribus. Verum in primis Concilia omnia thesim, quam defendimus contestantur. Eo enim, ut plurimum, conveniebant, ut quoslibet in fide errores proscriberent, ut haereticos quosque, tanquam aridos ramos, ab Ecclesia exciderent. Singularia tamen nonnulla laudemus testimonia. S. Ignatius M., quae inter christianos vigere debeat concordia, Magnesianis scripsit (seculi 2.ⁱ exordio): «Ne seducamini alienis doctri»nis: Studete ut confirmemini dogmatibus Domini et Apostolorum.» Clemens Alex. (3) ait, eos, «qui ad populum accedunt chris»tianum, pervenire ad unam fidei unitatem.» Irenaeus (4) etiam: «Ecclesia tametsi per universum orbem usque ad extremos ter»rae fines dispersa, fidem eam ab Apostolis, eorumque discipulis »acceptam... summo gaudio et cura, perinde atque unam domum »incolens, conservat, ac velut animam unam atque unum idemque »cor habens, his aeque fidem accomodat, et miro consensu, quasi »uno ore praedita, haec praedicat, docet ac tradit.» Tertullianus arguebat veram aut falsam quamque esse congregationem, quatenus eamdem retineret traditam fidei regulam, vel, e contra, variam et novam (5): «Veritas nobis adjudicetur, quicumque in ea »Regula (id est, Symbolo fidei) incedimus, quam Ecclesia ab Apos»tolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit...» At haeretici aliter procedunt: «Mentior si non etiam a Regulis suis (symbolis »quos sibi fingunt) variant inter se; dum unusquisque proinde suo »arbitrio modulatur quae accepit; quemadmodum de suo arbitrio ea »composuit ille qui tradidit... Idem licuit Valentinianis quod Va»lentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de suo arbitrio fidem

(1) 1.ª Jo. II, 24, 26.— (2) 2.ª Jo. 10, 11. — (3) L. 6, Strom. — (4) L. I, adv. haeres.—(5) Praescrip. c. 37.

»innovare. Denique, penitus inspectae haereses omnes in multis »cum auctoribus suis dissentientes deprehenduntur.» Vide quoque S. Ciprianum supra laudatum (n. 13); S. Epiphanius idem contestatur (1): «Pacem quoque passim cum omnibus miscent (hae»retici). Nihil enim interest illis diversa tractantibus, dum ad unius »veritatis expugnationem conspirent. Omnes tument, omnes scien»tiam pollicentur.» S. Hieronymus saepe docet (2), extra Ecclesiam Christi versari haereticos. «Migraverunt de Ecclesia in »haeresim, et testimonia Dei, quae prius acceperant, ad alienos ter»minos transtulerunt.» Et rursus: «Haeretici... ex eo quod egressi »sunt de Ecclesia, damnati sunt.» S. Augustinus (3) etiam: «Scias ergo nos non in eis (Donatistis) detestari, nisi dissensionem »ipsorum, per quam schismatici vel haeretici facti sunt, quia Ec»clesiae Catholicae veritatem et unitatem non tenent.»

20. 4.° Argumentum evidens desumimus ex illa Joannis sententia (4): *Qui non credit Filio mendacem facit Deum.* Absurdum esset religioni connumerare divinae, eos qui Deum mendacem faciunt. Sed divina est christiana religio, adeoque Deum et Christum Dei Filium mendacem faciunt qui revelatam quamcumque ejusdem religionis veritatem negaverint; ergo in christiana religione unius et ejusdem fidei est necessaria professio.

Praeterea, is qui religionem non amplectitur, sed potius rejicit et funditus subvertit, ad eam nequit spectare. Sed qui vel unam detrectat christianae religionis veritatem, illam funditus subvertit; ergo oportet in eamdem convenire fidem qui Christi religionem amplectuntur. *Majorem* esse evidentem concedes: *minorem* quoque non negabis, si parumper perpendas: nam innixa est Dei testimonio revelata religio: atqui Dei evertit testimonium qui omnimodam ei non praebet fidem; ergo religionem Christi penitus subvertit, qui vel uni recusat assentiri hujusce revelatae religionis veritati.

21. II.ª Pars patet. 1.° Ex Christi verbis: (5) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Sp. Sancto, non potest introire in regnum Dei.* «*Docete omnes gentes baptizantes eos...*» Et ex Apostolo supra (n. 18): *Una fides, unum baptisma...*

2.° In Symbolo Constantinopolitano credimus: «Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.» Pariter Cyrillus Hieros. (6), in symbolo fidei; in symbolo quoque Athanasiano; in symbolo Aethiopum; in Hispano-Gallico; et aliarum Ecclessiarum

---

(1) De Expos. Fidei, c. 41, cap. 10. — (2) In Amos, c. I, 5: et c. II, 7. — (3) Ep. LXI, ad Theodor. Nota: (Augustinum laudamus juxta editionem Parisiens. Parent-Desbarres, an 1836).—(4) 1.ª Joan. V, 10. —(5) Jo. III, 5: Matth. XXVIII, 19.—(6) In Catechis.

expresse profitentium in suis symbolis fidei hunc articulum, id est, unius necessitatem Baptismi.

22. Obj. In eo Christi discipuli a ceteris discernendi sunt, quod dilectionem ad invicem habeant et exhibeant (1). Sed non poterunt dilectionem ad invicem exhibere, si una et eadem in omnibus fides necessaria fuerit: ergo haec non requiritur inter Ecclesiae Christi membra. *Minor* inde probatur, quod possit utique quivis scire quid ipse credat, non autem quae sit aliorum fides: ergo si invicem cognoscere nequeunt christiani, neque poterunt per mutuam dilectionem secerni ab aliis.

Resp. Nego *minorem*. Ad probationem distinguo: sciri non potest quae sit aliorum fides, si eam exterius non profiteantur; conc. Aliter; nego.

Ea de causa dicimus in thesi, convenire debere Ecclesiae Christi membra in ejusdem fidei *professione*, qua non praemissa nulli ab Ecclesia Baptismus Christi conceditur.

Corollarium. Quaevis sectarum collectio ab invicem in fide discrepantium, uti Protestantismus, a vera Christi religione aliena existit.

ARTICULUS II.

De principiis causaliter constituentibus Christi Ecclesiam.

THESIS IV.

Finis christianae societatis, seu Ecclesiae Christi, est, perfectiorem Dei cultum et vitae justitiam ac sanctitatem homines edocere, eosque ad vitam aeternam perducere.

Nota. Ex rei cujuslibet fine non solum ipsius dignoscitur excellentia, sed natura quoque mediorum quae illi concedenda sunt determinatur: ideo paucis thesim hanc dilucidare oportet.

23. 1.ª Pars ostenditur. 1.° Proprium est religionis cujuslibet Deum colere; religionis autem supernaturalis, Eum colere supernaturaliter, ideoque perfectiori cultu: atqui supernaturalis est Christiana religio, ut in Disq. II (2) ostensum est; ergo finis christianae societatis, seu Ecclesiae...

2.° Christus D. dixit (3): *Venit hora, et nunc est, quando veri ado-*

(1) Jo. XIII, 35.—(2) Thes. III, n. 89.—(3) Jo. IV. 23.

ratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quaerit, qui adorent eum. Haec autem comparative ad Samaritanorum religionem, nec non Judaeorum, quorum tamen Dei cultus revelatus fuerat, dixit Dominus. Et quidem nos Deum honorare oportet per Jesum Christum, a quo summus honor in Deum redundat (1.: sic ait S. Petrus: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei; si quis ministrat, tamquam ex virtute quam administrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria et imperium in secula seculorum, amen.* Sed quam perfectum Religio Christiana Deo cultum impendat, in Disquis. *de sacrificio* fusius explicatur.

Prob. II.ª Pars. Ut in sanctitate et justitia Deo placeamus intendisse Christum D. docuit Zacharias (2): *Juravit daturum se nobis, ut sine timore serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Et Apostolus ait (3): *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* At hoc perspicuum est passim in solemnioribus religionis Christianae documentis.

24. III.ª Pars prob. Denique scopus est Ecclesiae, ad vitam aeternam homines perducere. Dixit Dominus (4.: *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et quidem edocemur idem esse fidem Christi, praedicante Ecclesia, amplecti, ac in vitam aeternam praeordinari (5), nisi retro respiciat et ineptus evadat Regno Dei 6), ille qui credidit.

Confirm. tota thesis ex oratione quam suos edocuit D. Jesus Christus (7): *Sic ergo vos orabitis: Pater noster...* Hic enim splendet quid in animo suo credens in Christum gerere debeat, erga Dei honorem, erga se ipsum, et proximum suum: ad haec autem docenda missi sunt Apostoli, in totum mundum, seu fundata Ecclesia. Audi denique Apostolum (8): *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Quam gloriam in coelesti regno solum complendam, notum est, (9). Propterea ajebat ipse (10): *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo Deum videbit... Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem, et mul-*

---

(1) 1.ª Petri, IV. 11.—(2) Luc. I, 73.—(3) Ad Tit. II, 14.—(4) Marc. XVI, 15.—(5) Act. XIII, 48.—(6) Luc. IX, 62.—(7) Matth. VI, 9.—(8) Ephes. V. 25...—(9) 1.ª Jo. I, 8.—(10) Hebr. XII, 14...

torum millium angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in coelis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum, et Testamenti novi mediatorem Jesum.

25. **Corollar.** Perpenso christianae societatis seu Ecclesiae Christi nobilissimo fine, intelliges, eam infinite eminere supra civilem, et quamcumque aliam hominum societatem, inferiori fini constrictam. Civilis ergo societas subjacet Ecclesiae, sicut inferior finis subditur superiori in iis tamen quae ad ejusmodi finem pertinent: quod ipsa ratio dictat, juxta ea quae sanctus Thomas notavit (1): «Virtus vel ars, ad quam pertinet finis ultimus, imperat virtutibus »vel artibus ad quas pertinent fines secundarii; sicut militaris im»perat equestri.»

Sed aliunde etiam idem inferes. Nam Christus D. hunc nobilissimum Ecclesiae finem praefigens, simul ad omnia media necessaria jus illi contulit, ut per se constat; et quidem ex suae summae potestatis plenitudine eam sic munivit, ne cui in mentem veniret, limitibus ullis posse Christi Ecclesiam coarctari, in missione sua perficienda: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes...* (2). Unde si potestas ulla terrena, etiam imperialis, obstacula missioni Ecclesiae opponeret, vel partem in ea gubernanda sibi arrogaret; posset Ecclesia jura sua tueri prout vires suppeterent, vel vocatis filiorum, aut etiam alienorum, subsidiis. Qua de re perpendas propositiones XIX, XX, XXIV, Syllabi errorum a Pio IX confecti.

THESIS V.

Christus D. Ecclesiam suam praedicatione et testimonio ministrorum suorum, id est, Apostolorum, horumque successorum, conservandam propagandamque statuit.

Nota. Hanc semper habuit catholica Ecclesia doctrinam veluti principem ac universaliorem fidei christianae fontem; nescientibus ergo veram ac unicam Christi Ecclesiam, thesim istam demonstrare pernecessarium in primis putamus.

26. 1.° Antequam rem hanc acatholicis die clariorem exhibeamus, perspiciat primum catholicus Ecclesiam ab hoc fonte puram fidei doctrinam haurientem (3): «Si quis secundum sanctos Patres »non confitetur proprie et secundum veritatem omnia, quae tradita »sunt et praedicata sanctae catholicae et apostolicae Dei Ecclesiae,

---

(1) 2, 2, q. 23, a. 4, ad 2.m—(2) Matth. XXVIII, 18, 19.—(3) Conc. Later. sub Martino I, can. 17.

»perindeque a Sanctis Patribus et venerandis quinque Conciliis us-»que ad unum apicem verbo et mente; anathema sit.» Pari modo (1): «Regulas, quae sanctae catholicae et apostolicae Ecclesiae, tam a »sanctis famosissimis Apostolis, quam ab orthodoxorum universa-»libus nec non et localibus conciliis, vel etiam a quolibet deiloco »Patre ac magistro traditae sunt, servare ac custodire profitemur... »Tenere quippe traditiones, quas accepimus sive per sermonem, »sive per epistolam sanctorum, qui antea fulserunt, Paulus ad-»monet aperte, magnus apostolus.»

2.° Primaeva ac authentica religionis Christi documenta idem aperte testantur. Ipse Christus praedixit (2): *Et praedicabitur hoc Evangelium in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* Et iterum (3): *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.* Juxta haec misit quidem Apostolos suos ad omnibus gentibus praedicandum, ut Evangelistae testantur (4). Verum, Christi Ecclesia deficere non poterat, ut supra fuit statutum (thes. I, n. 6); nec Apostolis semper in hoc seculo manere, et ubique terrarum esse datum fuit; ideoque Sancto Spiritu edocti ministros successores constituerunt, eosdemque, ut alios instituerent, edocuerunt. Sic Joannes Smyrnae Polycarpum, et in aliis Asiae civitatibus alios constituit episcopos: Paulus (5) ad Titum scribebat: *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi... Oportet episcopum esse justum, sanctum, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Et ad Timotheum (6): *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Et universim praedicatione fidem propagandam docet Apostolus (7): *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Tandem decretorio verbo dixit (8) Christus: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Et Joannes ad veros dignoscendos Christi discipulos hanc tradidit nobis normam (9): *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint; quoniam multi*

---

(1) Syn. VIII oecum. can. I. — (2) Matth., XXIV, 14. — (3) Act. I, 8. — (4) Jo. XV, 26, 27; Marc., XVI, 15, 20; Matth., XXVIII, 19, 20; Luc., XXIV, 47. — (5) I, 5, 7, 8, 9. — (6) 2.ª Tim. II, 2. — (7) Rom., X, 14, 15, 17. — (8) Luc., X, 16. — (9) 1.ª Jo., IV, 1, 6.

pseudoprophetae exierunt in mundum... Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo non audit nos: in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, et spiritum erroris. Ergo christiana veritas ex praedicatione et traditione Apostolorum et legitime iisdem succedentium est assequenda.

3.° Audiant quoque veram Christi nescientes Eccclesiam, quo pacto sit constituta, testantibus priorum seculorum insignioribus Patribus et Doctoribus. Putasne, eos latuisse quo pacto Christi ovile ab pseudoprophetarum differret latrociniis?

Audiat primum devius quilibet, sed veritatis avidus, Irenaeum, scientia, sanctitate et martyrio fulgentem: increpat Florinum, Ecclesiae Romanae presbyterum, qui falsa obtrudebat dogmata (1):

«Haec vero dogmata, Florine, ut parcissime ac levissime dicam, »non sunt sanae doctrinae. Haec dogmata dissentiunt ab Ecclesia... »Haec dogmata hi, qui ante nos vixere presbyteri, qui etiam disci»puli extiterant Apostolorum, nequaquam tibi tradiderunt... Vidi »te, cum adhuc puer essem in Asia, apud Polycarpum... In »conspectu Dei affirmare possum, beatum illum et Apostolicum »presbyterum, si quid hujusmodi unquam audisset, exclamaturum »continuo, et obturatis auribus suis dicturum fuisse, prout ei mo»ris erat: Deus bone! quae me in tempora reservasti, ut haec susti»nerem!» In libris autem *Adversus Haereses* ait ipse (2): «Quaprop»ter iis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obedire oportet, his qui, »cum episcopatus successione, charisma veritatis certum secundum »placitum Patris acceperunt: reliquos vero qui absistunt a princi»pali successione, et quocumque loco colligunt... omnes hi deci»derunt a veritate.»

Serapio, Antioquiae episcopus post Apostolos octavus, ajebat (3): «Nos, fratres, et Petrum et reliquos Apostolos, perinde »ac Christum ipsum, recipimus; sed quae nomen illorum falsum »inscriptum praeferunt... repudiamus; quippe qui compertum ha»bemus, ea nos a majoribus minime accepisse.»

Clemens Alex., eximius scholae Alexandrinae magister, in Stromatum exordio ait, dignum se habitum ut beatos viros audisset; «Qui veram beatae doctrinae servabant traditionem, statim a »Petro, et Jacobo et Joanne et Paulo sanctis Apostolis, »Ad nos quoque pervenerunt, Dei voluntate, illa a majoribus data »et Apostolica semina.» Et in libro septimo Stromatum, Judaeis et philosophis, qui religioni christianae exprobrabant sectarum circa

---

(1) Ep. ad Florin.—(2) Lib. 4, c. 26. –(3) Euseb. hist. eccles. I, 6, c. 12.

fidem diversitatem, pluribus ostendit argumentis, inanem ejusmodi esse praetextum; et tandem, non fidei id esse imputandum, ait; sed ideo sectarios erravisse, quia transilierunt «Regulam ecclesias»ticam. Nam in sola veritate et antiqua Ecclesia est perfectissima »cognitio. Homo Domino fidelis esse desinit, qui adversus eccle»siasticam recalcitravit traditionem.»

Testatur et Tertullianus praecisis, ut solet, verbis (1): «Hinc »igitur dirigimus praescriptionem: si Dominus Jesus Christus »Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos prae»dicatores, quam quos Christus instituit... Quid autem praedicave»rint, id est, quid Christus revelaverit, et hic praescribam, non ali»ter probari debere, nisi per easdem Ecclesias quas ipsi Apostoli »condiderunt, eis praedicando tam viva voce, quam per epistolas »postea.» Vide eumdem, supra (n. 19).

Idem sentiebat Cyprianus (2): «Si in aliquo nutaverit et va»cillaverit veritas, ad originem Dominicam et Evangelicam et Apos»tolicam traditionem revertamur.»

Sanctus Epiphanius quibusdam scribebat presbyteris (3): «Pergite, Filii, sanctam hanc Ecclesiae conservare fidem, quam »sacrosancta ac singularis Dei virgo ab Apostolis Domini sibi cre»ditam accepit.» Sanctus Hieronymus (4) ait: «Quaeritur, »utrum totius orbis Ecclesiae Dei acceperint Evangelium, an ho»minis? Quotus enim quisque nostrum per revelationem Christi, et »non homine praedicante didicit?» At vero haeretici unde discunt? Respondet ipse (5): «Haeretici non habent divitias de paterna hae»reditate venientes, sed quotidie quod volunt reperiunt, et idola »sibi, artifici manu et curiosa mente, confingunt.» Sic et magnus Augustinus christianam propagari fidem sentiebat (6): «Hi »sancti (Ambrosius et Cyprianus) intelligebant, paucissi»mis esse donatum, ut nullo sibi homine praedicante, per ipsum »Deum vel angelos coelorum doctrinam salutis accipiant, multis »vero id esse donatum, ut Deo per homines credant.» Et rursus (7): «Fundamenta autem Ecclesiae, qui nisi Apostoli, qui etiam colum»nae alibi nuncupantur?»

Verum de his satis arbitror, dictum, ut agnoscat veritatis cupidus, nullam sectam, ab Apostolica et Ecclesiastica deflectentem traditione, veram Christi esse Religionem, seu Ecclesiam, posse.

29. Obj. 1.° Non paucas, decursu temporum, professa est Ecclesia catholica fidei veritates, a traditione Apostolica non procedeu-

---

(1) Lib. Praescrip.—(2) Epis. ad Pompei. 74.—(3) Ancoratus, n. 118.—(4) Ad Gal. I, 12. — (5) In Michee. I, 6.— (6) Lib. de Dono Persever. CXIX, n. 48.— (7) Ep. 140, n. 36.

tes: non igitur ejusmodi necessaria est traditio. Assertum exemplis comprobatur: Romanum pontificem in docendo errare non posse, nuperrime fuit statutum, cum prius impune non pauci negarent catholici: beatam Virginem Mariam sine labe fuisse conceptam quis nescit a tota schola thomistica, perpaucis AA. exceptis, fuisse rejectum et, veluti pro aris et focis, acerrime expugnatum? Quinque Jansenii propositiones, sub haeresis nota nunc proscriptas, plurimi theologi, tum Germaniae, tum Romae, defendendas susceperunt, quasi sancti Thomae et thomistarum genuinam doctrinam; illas ergo damnans novam induxit Ecclesia fidem.

Resp. Nego assertum. Ad probationem dissolvendam, praemitto: datam Ecclessiae fuisse potestatem et praedicandi quae aperte et sine ulla ambiguitate in fide tradita comprehenduntur, et ea declarandi quae in ipsa implicite et subobscure fortasse latent. Ad objecta igitur reponimus: definitiones pontificias esse erroris expertes: beatae Virginis, Dei genitricis, immaculatum conceptum; jansenisticas propositiones esse haereticas; non erat ab Apostolis traditum, saltem *implicite* et *comprehensive;* nego: ea claritate qua omnium mentes, non accedente solemnissimo Ecclesiae magisterio, ad se veritates illae flecterent; concedo.

30. Obj. 2.ª Omnibus christianis promissus a Christo est Spiritus Sanctus (1). Sed Spiritus S. edocet omnem veritatem (2); ergo non opus est ulla Apostolorum traditione vel Ecclesiastico magisterio.

Resp. Dist. *min.* Edocet Spiritus S. privatim et quomodo cuique lubet; nego: edocet quomodo ipse Spiritus vult, scilicet, universim per Ecclesiam et Christi legitimos ministros; concedo *min.* et nego *consequentiam.*

Obj. 3.° Privatim et exclusive omnes docere videtur Spiritus Sanctus; ergo aliud non est necessarium Ecclesiae magisterium. *Ant.* probr. Legitur (3): *Vos unctionem habetis a Sancto et nostis omnia... Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est et non est mendacium: Et sicut docuit vos, manete in eo.*

Resp. Nego *ant.* Ad probationem, concedo textum, et nego *consequentiam.* Etenim, in laudatis verbis non legitur: «Unctio Spiritus Sancti docet vos *privatim* et *exclusive;*» sed tibi ipse id fingis.

Inst. Ait textus: *Et non necesse habetis ut aliquis doceat vos;* ergo *privatim* et *exclusive* unctio docet Spiritus Sancti.

Resp. Nego *consequentiam*, vel, si placet, distinguo: *privatim* et

---

(1) Jo. III, 5.—(2) Ibid. XVI, 13.—(3) 1.ª Jo. II, 20, 27.

exclusive docet Spiritus Sanctus, quatenus excluduntur et rejiciuntur a docendo haeretici et seductores, qui Apostolorum doctrinae adversabantur; concedo: hoc enim sensu loquitur clare Sanctus Joannes: «Haec scripsi vobis de his qui seducunt vos.» *Privatim* et *exclusive*, quasi excludendo Apostolorum et Ecclesiae docendi ministerium; nego. Nam perspicue etiam ait Joannes: *Quod audistis ab initio in vobis permaneat.* Docuerat enim eos unctio Spiritus Sancti Apostolorum praedicatione, et ideo perficitur dicta sententia hisce verbis: «*Et sicut docuit vos, manete in eo:*» quod iterum omnibus diserte inculcat (1) dicens: «*Qui novit Deum, audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos;*» ut paulo superius in thesi dictum est.

31. **Corollar. I.** Nulla Protestantium secta, qui in privato suo sensu, Ecclesiae posthabita auctoritate, nituntur, est vera Christi Religio.

Corollar. II. Nulla christiani nominis Ecclesia, cujus magisterium, seu fidei docendae potestas, ab Apostolis legitime non procedit, est vera Christi Ecclesia. Hinc Anglicanismus, Russianismus, et quaevis Protestantium secta, a Christo alieni sunt.

THESIS VI.

Jesus Christus suam sub hierarchico ordine duci et gubernari Ecclesiam constituit: ideoque jure divino plebs a hierarchia distinguitur ecclesiastica.

Nota. Ad christianam et catholicam spectat thesis haec fidem, a pluribus definitam conciliis praesertim a Tridentino adversus Protestantes, Febronianos et Richerianos, contendentes democraticam esse Ecclesiae potestatem.

32. Prob. 1.° Ait Tridentina Synodus (2): «Si quis dixerit, »in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione ins»titutam; quae constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris; ana»thema sit.» Item: «Sancta Synodus declarat, praeter ceteros eccle»siasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successe»serunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere, et »positos esse, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere »Ecclesiam Dei.»

33. 2.° Hunc hierarchicum dari in Ecclesia ordinem, passim Scripturae docent. Apostolus (3) dixit: «*Attendite universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*» Auctor ergo hujusce hierarchicae gubernationis est ipse Spiritus Sanctus: et quidem ad id

(1) 1.ª IV, 6. —(2) Sess. 23, can. VI.—(3) Act. XX, 28.

constituti fuere a Christo Apostoli, non quatenus privatae erant personae, sed qua Ecclesiae Pastores, uti apud Mattheum legimus (1): si enim superveniat dissensio, quae neque privatim, neque interpositis testibus, sopiri queat; tunc, ait Christus: *Dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi* (concordiam perturbans) *sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Haec adeo clara elucent, ut commentario non egeant.

Verum Christi Ecclesia in universo mundo crescere et fructificare debebat (2). Apostoli autem ubique adesse nequibant; inde, a Christo edocti, episcopos qui Ecclesiam regerent constituebant; sic Paulus Timotheum Ephesi, Titum Cretae, aliosque vel episcopos vel praesbyteros in diversis civitatibus.

Joannes quoque Evangelista plures in Asia fundavit et rexit Ecclesias, in eis Episcopos praeficiens ut Polycarpum Smyrnae: Petrus è Roma non solum in Italiam, sed in Hispaniam Episcopos mittebat. Episcopos autem, sic praepositos ad regendum, facultatem habuisse etiam alios creandi, quo propagaretur Ecclesia, testis est Apostolus in epistolis ad Timotheum et Titum. Hanc denique regendi potestatem, per Apostolos quidem, et ab ipso Christo ortum duxisse, luculenter in libro Apocalypseos elucet (3): ubi Episcopi, quasi stellae in dextera Jesu Christi positae, ostenduntur, per eos Ecclesiam illuminantis et regentis; hinc illis rectum usum episcopalis potestatis injungit: *Esto vigilans, et confirma cetera quae peritura erant* (4):

34. 3.° Si primos Ecclesiae Christi Patres et Doctores consulamus, non minus ejusmodi hierarchia divinitus instituta ostenditur. Seculi II exordio, Ignatius M., dum Romam pro subeundo martyrio duceretur, litteras pluribus Ecclesiis dedit, quo christianos omnes ad religionis officia explenda hortaretur, praesertim ad hierarchicam subjectionem: «Hortor ut hoc sit vestrum studium, »in Dei concordia omnia agere: Episcopo praesidente loco Dei, et »praesbyteris loco senatus Apostolici, et Diaconis mihi suavissimis, »quibus commissum est ministerium Jesu Christi (5).» Quod si diaconorum officium Christi erat *ministerium* ¿quid de altiori et episcopali censendum officio? Clemens Alex. (6) ait: «In Ecclesia »quoque progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, »sunt, ut arbitror, imitationes gloriae angelicae.» Et Clementis Rom., qui Petri fuit successor eodem I.° seculo, praeclarum habes

(1) XX, 17, 18.— (2) Colos. I, 6.—(3) I, 16.—(4) Ibid. III, 2.—(5) Ad Magnes. ad Philadelph., etc.—(6) L. 6, Strom.

testimonium (1); nam Corinthios ad subordinationem, in ecclesiastica hierarchia *necessariam*, hortatur. Tertullianus (2) in hoc sectas haereticorum ab Ecclesia differre ajebat, quod firma careant hierarchia, quod «non parent, quod nec suis praesidibus reverentiam noverunt.» S. Cyprianus librum de hierarchica Ecclesiae unitate edidit, et in suis saepe agit epistolis, ubi (3) leges: «Neque »aliunde haereses obortae sunt, aut nata schismata, quam inde, »quod sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Ecclesia ad »tempus sacerdos, et ad tempus judex, vice Christi cogitatur.» Sed de his satis, cum clariora dici nequeant.

35. Obj. 1.° Cum acephalis et anarchicis: in Christi religione ad salutem fides sufficit (4): *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit:* inanis ergo ulla ad regendum potestas.

Resp. Distinguo, seu explico: qui crediderit *adaequate*, corde et opere, seu ea exequens quae credit; concedo: aliter, nego: *Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis* (5); ait Dominus.

36. Obj. 2.° De omnibus ait sanctus Petrus fidelibus (6), sacerdotes esse et quidem *regios*, seu summos: ergo nulla existit in Ecclesia Christi hierarchica distinctio, seu superiorum et inferiorum differentia.

Resp. Distinguo et expono *antec.* Omnes dicuntur esse sacerdotes proprie et singulariter; nego. Denominative ac communiter sumpti; concedo. Hoc sensu loqui sanctum Petrum, si textum perpendas clare perspicies: etenim, quatenus credentes Christo, lapidi vivo et electo, uniuntur: et ipsi, *quasi lapides vivi*, superaedificantur *domus spiritualis, sacerdotium sanctum.* Atqui singuli non sunt domus, sed in *communi, quasi* domus spiritualis, sicuti sunt *quasi* lapides; pariter igitur singuli neque sunt sacerdotes, sed in communi, *quasi sacerdotium* sanctum, quia Christo, sacerdoti sancto, uniti. Praeter istud commune sacerdotium, ex sola coalescens ad Christum unione, aliud dari proprium et personale ad Christi mysteria dispensanda, aperte ostendunt quae tradidimus argumenta, aliaque plura. Vide Paulum (7), et Jacobum (8), et Actus Ap. (9).

Instabis: Gratias agunt sancti in coelo Agno, quia fecit eos *Regnum* et *sacerdotes* Deo: ergo omnes sunt sacerdotes.

Resp. Dist. *antec.* Fecit eos sacerdotes, eo sacerdotio quo in coelo simul cum Sacerdote aeterno Jesu Christo, cujus sunt membra, Deum colunt, quemadmodum cum ipso regnant (10): conc. Fecit

---

(1) Ep. ad Cor.—(2) De Praescrip., c. 41.—(3) Ep. 55.—(4) Matth. XVI, 16. —(5) Joan. XV, 14.—(6) 1.ª Petr. II, 5, 9.—(7) 1.ª Cor. IV, I.—(8) V, 14. —(9) VIII, 14, 15.—(10) Apoc. III, 21.

eos Sacerdotes et Regnum, personali ac proprio sacerdotio; subdist. Omnes Sanctos indistincte; nego *ant.* Partitione accommoda, quatenus inter sanctos, Christum agnum colentes, viginti quatuor seniores, et sacerdotes omnes adnumerantur: concedo *antec.* et nego *consequentiam.*

37. Obj. 3.° Docuit Christus (1): «*Unus est Magister vester, omnes autem vos fratres estis:*» similiter: «*Reges gentium dominantur eorum; vos autem non sic: qui major est inter vos, fiat sicut minor: et qui praecessor est, sicut ministrator.*» Ergo aequalitem statuit Christus in Ecclesia (2).

Resp. Nego *conseq.*, et Christi explico sententias. Voluit Dominus ambitiosam excludere praeeminentiam et potestatis abusum ab Ecclesia: hinc dicit, ex semetipsis fratres esse tantum, nec posse, quasi debitum, magistri honorem nomenque discipulos ambire. Tamen quia aliquos praecedere, ac potestatem habere oportebat, docet; non ad sui commodum, non quasi *dominantes,* sed ad communem illa utendum utilitatem: dominorum enim esse ad proprium commodum sua referre noscimus.

38. Obj. 4.° Quod «plurimi in populis episcopos judicent,» e laicorum, nempe, numero, testatur Hieronymus (3): ergo jure ecclesiastico videtur inducta hierarchia, quae nunc viget, ecclesiastica.

Resp. 1.° Id asserit Hieronymus *absolute:* nego *ant.* Dicit sub *conditione;* conc. Ait enim: «Vereor ne, quomodo regina Aus»tri... judicatura est homines; et viri Ninivitae condemnabunt eos »qui majorem Jona Salvatorem audire contempserunt; sic pluri»mi *in populis episcopos judicent.*»

Resp. 2.° Veretur Hieronymus ne laici episcopos judicent *jurisdictionis auctoritate;* nego: *morum exemplo;* concedo. Reddit enim timoris rationem: «Vere nunc est cernere, quod praedictum »est, in plerisque urbibus episcopos, sive presbyteros, si laicos »videant hospitales, amatores bonorum; invidere, fremere, excom»municare, de Ecclesia expellere, quasi non liceat facere quod epis»copus non faciat; et tales esse laicos, damnatio sacerdotum sit. »Graves itaque eos habent, et quasi cervicibus suis impositos; ut a »bono abducant opere, variis persecutionibus inquietant.»

---

(1) Matth. XXIII, 8.—(2) Jo. XXII, 25.—(3) In ep. ad. Vit. c. I, v. 8.

THESIS VII.

Ecclesiae christianae hierarchicus ordo non est multiplex, sed unicus; id est, non ad plura independentia capita, quibus regatur, ductus; sed ad unum supremum caput.

Nota. Non alia a praecedenti, quoad sensum, thesis haec existit; sed ea explicatius ponitur, ne forsan quis sibi fingat, hierarchico christianorum ordini id evenire, quod hominum societati: quae hierarchice utique regitur, in plura tamen disjungitur regna et capita.

Thesis ergo, dicto sensu accepta, est fide catholica tenenda: nolumus autem nunc explicite discernere, utrum physica et personalis, vel moralis et conciliaris tantum sit ejusmodi suprema hierarchiae ecclesiasticae unitas.

39. Prob. 1.° Vaticana Synodus vestigiis insistens antiquorum Conciliorum (1) definivit: «Si quis dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis caput... Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi institutione, seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores... anath. sit.» Tota ergo Ecclesia, omnes Apostoli, omnes episcopi uniri capiti uni, principi uni debent.

2.° Si ecclesiasticus ordo ad plura duceretur independentia capita, nullius capitis potestas attingeret universam Ecclesiam, sed partem solum. Atqui Christus caput constituit, cujus potestas universam attingeret Ecclesiam: ergo. *Major* ex se patet. *Minor* ex Christi verbis perspicue elucet; dixit enim Petro (2): *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erat solutum et in coelis.*

Quibus Christi verbis docemur, virtutem, gubernandi potestatem et dijudicandi, quam Petro tribuebat in Ecclesiam suam in terris degentem, nullo limite circumscribi.

Similiter eidem Petro dixit Christus, et sejunctim quoque a ceteris discipulis (3): *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Sed universam indicant Ecclesiam voces illae, *oves meas, agnos meos:* ergo sicut pastor potestatem exercet super suum universum gregem; ita Petrus super universam Ecclesiam Christi.

---

(1) Const. *Pastor aeternus*, c. I et II. (2) Matth., XVI, 16.—(3) Jo. XXI, 15.

His positis, inferimus: Christus voluit regi ovile suum, gubernari Ecclesiam suam, *unica* hierarchia; id est, uni supremo pastori, uni supremo capiti conjuncta. Atqui divina instituta nemo, praeter Deum, convellere potest; ergo, nisi clare ostendas, Christum instituta sua derogasse, negare necessum est, ad veram pertinere Christi Ecclesiam, quamlibet christianorum congregationem ex pluribus capitibus, seu episcopis, ab invicem sejunctis et independentibus, coalescentem.

Id jure nos inferre; et non nisi absurde excogitari posse, quod tempore Apostolorum tantum voluerit Christus unitatem vigere hierarchicam, videbitur inane pluribus suadere argumentis: pauca tamen delibabo; qui autem plura velit, auctores qui polemice, potius quam scholastice, de his disceptant, adeat.

3.° In societatis cujuslibet constitutione res est summi momenti, et ad ejusdem spectans constitutiva, regiminis forma; ita ut, non sine perturbationibus, immutationes in hac re intententur. Ergo hierarchiae unitas, a Christo Ecclesiae data, inter hujus constitutiva et immutabilia est reputanda.

40. 4.° Non minoris momenti officia Petro, in eo primatu a Christo tradito, adsignantur, quam ceteris Apostolis in episcopali munere. Atqui perpetua traditione intellexit Ecclesia, adversus presbyterianorum vel acephalorum obscuram aliquam sectam, episcopalem potestatem necessario in Ecclesia permansuram; ergo idem prorsus intelligendum de Petri primatu. *Major* perspicua existit: Petrus fundamentum Ecclesiae ponitur; claves regni coelorum accipit, ut quidquid solvat vel liget in terris, vim habeat in coelis; pastor, id est, episcopus, totius Ecclesiae constituitur; munus, denique, fratres, Apostolos nempe reliquos, confirmandi, illi confertur. Numquid munera ceteris Apostolis, qua episcopis, collata, majora, imo paria fuisse quisquam existimabit?

41. 5.° Denique valido et theologico rem absolvimus argumento. Quod traditio apostolica et ecclesiastica docuit, hoc tenendum, quemadmodum retro ostensum est (1). Atqui indubia traditionis documenta docent, unicam esse in Ecclesia hierarchiam, id est, ad unum supremum reduci caput; ergo. *Min.* prob. a) In Ecclesiae exordio et Apostolorum tempore, gravis est suscitata quaestio; utrum nempe circumcisionis et legalium usus ad salutem esset necessarius; et alii quidem affirmabant, alii vero negabant. Jam vero, non privati episcopi, vel singuli Apostoli (tantae auctoritatis et Spiritu S. pleni) rem definiendam assumpserunt, sed (2) «*convenerunt Apostoli et seniores videre de verbo hoc:*» et cum

(1) Thes. V, n. 26.—(2) Act. XV, 6-25, 28.

exposuisset suam Petrus sententiam, tacuit omnis multitudo, et editum deinde decretum hujusce formae: «*Apostoli et seniores fratres, fratribus ex gentibus salutem. Placuit nobis collectis in unum, eligere viros et mittere ad vos cum carissimis nobis Paulo et Barnaba... Visum est enim Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere oneris...*» Uno ergo, non multiplici, hierarchico ordine et supremo capite regebatur Ecclesia.

42. b). Irenaeus Apostolis vicinus, hierarchicam unitatem tuebatur uti necessariam (1): «Ad hanc Ecclesiam (Romanam) »propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conveni»re Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles.» Nulla ergo peculiaris Ecclesia, vel singularis episcopus, ab Ecclesia Romana sejunctus, independens erat. Cyprianus etiam (2): «Primatus »Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur... »Quam unitatem firmiter tenere debemus, maxime episcopi, qui in »Ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque »indivisum probemus... Quisque ab Ecclesia segregatus, recedeno»do a capite et origine unionis... alienus est, hostis est; habere »non potest Deum Patrem qui Ecclesiam non habet matrem.» Ecce debet esse in Ecclesia *caput et origo unionis*, a quo nemo debet recedere, maxime episcopi. Et alibi: «Quo venturus est qui sitit? utrum »ad haereticos, ubi fons et fluvius aquae vitalis omnino non est? »An ad Ecclesiam, quae una est, et super unum, qui claves ejus »accepit, voce Domini fundata (3)?» Clarissime etiam in epistola 55 ad Cornelium PP. «Non aliunde haereses obortae sunt, aut »nata schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperao»tur, nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad tempus judex, »vice Christi cogitatur; cui si, secundum magisteria divina, ob»temperaret fraternitas universa, nemo adversum sacerdotum col»legium quidquam moveret.»

43. c) Versus seculi tertii finem haeresis exorta, quae Christi inficiabatur divinitatem; ut errori via occluderetur, convocatum generale Nicoenum Concilium fuit, ubi, praesidentibus Silvestri, Romani Pontificis, legatis, damnata haeresis cum auctore Ario, eique assentientibus, inter quos non pauci episcopi: ergo non multiplex erat sub singulis episcopis suprema hierarchia, sed unica et universalis in tota Ecclesia; ea nempe cujus auctoritate ait Concilium: «Eos anathematizat catholica Ecclesia.»

Possemus, pari modo, cetera oecumenica laudare Concilia, quibus ultimo et definitive judicavit Ecclesia, universali adeoque *una* auctoritate. Neque putes de sola fide decreta edidisse ejusmodi Con-

---

(1) Adv. haeres. l. 3, c. 3.—(2) De unit. Ecclesiae.—(3) Ep. 73, ad Jubaj.

cilia; sed de iis etiam quae ad regimen et disciplinam universalis Ecclesiae pertinebant; et laicos, clericos, episcopos, archiepiscopos, patriarchas obligabant: sic leges tulit universales Nicoenum, sic Sardicense, sic Constantinopolitanum I, etc., etc. Augustinus tandem ecce quid de hac re sentiebat (1): «Christi oves, »in montibus et collibus haereticorum errantes, in pacis ovile, ubi »est unus grex et unus pastor, esse colligendas.» Haec, ut censeo, sufficiunt; qui autem plura cupiat, AA. adeat controversiis adversus haereticos plus vacantes; uti Bellarminum, Petavium, Emm. Mazzella, Th. de Roccaberti, etc. Intendimus enim Disquisitionibus scholasticis oleum et operam potissimum impendere.

44. Obj. 1.° Rem talem ac tantam, supremum scilicet Ecclesiasticae Hierarchiae caput et culmen, non tacuisset Paulus Ecclesiae enumerans munera et officia a Spiritu Sancto donata. Atqui haec quidem descripsit et laudavit (2), de illa autem nec verbum dixisse perhibetur; ergo unicum et universale Ecclesiae caput et centrum non concedendum.

Resp. 1.° Quid unum conficere valet *negativum* argumentum, adversum plurima et gravissima argumenta *positiva*, pro re nostra attestantia?

Resp. 2.° Nego suppositum: scilicet, sacras Scripturas medium esse universale ad omnem Christi doctrinam, et integram Ecclesiae dignoscendam constitutionem: vide supra (3), quomodo nobis dignoscenda religio et Ecclesia Christi.

Resp. 3.° Concedo *maj.*, *minorem* autem nego. Etenim potestas capitis et centri totius christianae Ecclesiae, est potestas *apostolica* praecise dicta, quam sane primo loco collaudat Paulus: quid enim erat Apostolis proprium et peculiare supra eos, quos ipsi constituerunt pro singulis Ecclesiis episcopos, nisi illimitata per orbem potestas?

45. Inst. Inde sequi videtur, tot fuisse, Apostolorum tempore, Ecclesiae capita et centra, quod erant Apostoli.

Resp. Dist. Tot fuisse capita *absolute;* nego: tot capita extitisse *quodammodo;* concedo. Enimvero, Apostoli singuli ad invicem collati, si Petrum excipias, fratres erant et aequales, ac solus Petrus caput erat Apostolatus; ideoque nequeunt singuli dici *absolute* totius Ecclesiae capita, sed Petrus tantum: quia vero omnes et singuli per universum orbem missi a Christo fuerant ad Ecclesiam fundandam, hinc omnibus et singulis erat Ecclesia ubique subjecta, sicut exhibet perspicue Hieronymus (4): «Et dicis: su-

(1) Ep. 93, ad Vincent. n. 19.—(2) I.ª Cor. XII.—(3) Thes. V, n. 25.—(4) In Jovinian. l. I, n. 26 (Migne).

»per Petrum fundatur Ecclesia: licet id ipsum in alio loco super »omnes Apostolos fiat, et cuncti claves regni coelorum accipiant, »et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo fundetur; tamen propterea »inter duodecim unus eligitur ut capite constituto, schismatis tolla»tur occasio.» Verbo: caput Apostolorum et Ecclesiae totius, Petrus; «in ordine discipulorum primus et praecipuus, Apostolatus »Principatum tenens.» ut ait Augustinus (1). Capita Ecclesiae per totum orbem, Apostoli omnes et singuli cum Petro et sub Petro; capita vero gregis singulorum locorum et civitatum Episcopi sub Apostolis, cum ea definita potestate quam ab iis accipiebant: «*Pascite qui in vobis est gregem Dei*» (2).

46. Obj. 2.° Verba illa Christi ad Petrum (supra, n. 37), «*Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam...*» non sunt sic capienda, quasi Petrus sit *Petra* ejusmodi fundamentalis; sed quatenus Christus Petra est super quam fundavit Ecclesiam; ideo non dixit Christus, *Tu es Petra;* sed *Tu es Petrus,* quatenus in Petra fundatus; quemadmodum Ecclesia fidelium non sunt Christus, sed Christiani: ergo Petrus non est fundamentum, centrum et culmen Eclesiae, neque successores illius Romani episcopi.

Antecedens ex Augustino constat (3).

Resp. Concedo *antecedens*, si juxta mentem Augustini, id est, sensu accommodatitio, Christi verba accipiantur; at si litteralis inspiciatur sensus, nego Petrum non esse et petram et fundamentum. Sciendum ergo Augustinum, propter eum quem tum adversus Donatistas gerebat scopum, qui a ministrorum virtute efficaciam metiebantur Sacramentorum, respexisse ad *primum* fundamentum et *petram* principalem Ecclesiae, sicut ex toto elucet contextu: ideo concedimus, noluisse eo sensu Christum dicere Petro; «*Tu es Petra, super te fundabo Ecclesiam.*» Quo enim pacto posset dici Petrus *principale* Ecclesiae fundamentum? sicuti enim ipse notat Augustinus (4), «*Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus.*»

47. Verum, si *litteralem* respiciamus sensum, dictusne fuit Petrus a Christo, *Petra* et *fundamentum*, secundum, scilicet, et post Christum? Certe, quidem. Ut autem id perspicue eluceat, interrogabo: si Christus sic fuisset locutus: «*Tu es Petra, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam...*» etc., foretne ulla dubitandi ratio, de eo quod sit a Christo Petrus constitutus et *Petra* et *fundamentum* suae Ecclesiae? Sane nullum de hac re posset fingi dubium. Dictis enim hisce verbis: *tu es petra;* sequentia, *super hanc Pe-*

---

(1) Serm. 13, de Verb. Dom.—(2) I Petri, V. 2.—(3) Serm. 76, de Verb. Dni. —(4) Tract. 124 in Jo.

tram, necessario attingunt eamdem proxime dictam *Petram*, scilicet, Petrum. Atqui reapse sic locutus est Christus: «*Et ego dico tibi: tu es Cephas* (Petra), *et super hanc Cephas*..... (Petram) *aedificabo*...» etc., nam in locutione Syro-Chaldaica Christi, *Cephas* seu *Petra*, dictus est Simon; at in versione graeca ac latina, voluerunt vocis cum subjecto concordantiam instituere, et mutata fuit vox *Petra* (*Cephas*), in vocem Petrus. Atqui tota Augustini interpretatio in hac vocis differentia nititur (1): «ego Petra, tu Pe»trus; neque enim a Petro petra, sed a petra Petrus; quia non a »christiano Christus sed a Christo christianus. *Et super hanc Pe»tram aedificabo Ecclesiam meam:* non supra Petrum, quod tu es; »sed supra Petram quam confessus es: *Aedificabo autem Ecclesiam »meam;* aedificabo te, qui in hac responsione figuram gestas Eccle»siae.» Ergo in solo remoto vel accommodatitio sensu, non autem in litterali, vera dici ejusmodi interpretatio potest.

Inst. Augustinus interpretationi nostrae suam opponit, ita ut vel una vel altera sit eligenda: de nostra ait, «cantari ore multorum »in versibus beatissimi Ambrosii;» eamdem a se aliquando traditam: unde infert: «Harum autem duarum sententiarum quae sit pro»babilior, eligat lector» (2). Atqui non opus foret alterutram seligere sententiam, nisi utraque sensum exhibere litteralem contenderet; ergo juxta sensum litteralem, non autem spiritualem vel accomodatitium, ait Augustinus: «Super hanc Petram *quam »confessus es*, aedificabo Ecclesiam meam.»

Resp. Dist. *consequens:* censuit Augustinus istum esse eorum verborum sensum litreralem; quatenus probabile, vel probabilius putavit, egisse Christum in iis verbis de principali Ecclesiae fundamento; conc. Quasi ipse putaret non esse reapse Petrum secundum ac speciale fundamentum totius Ecclesiae; nego. Nam id explicitis ibidem fatetur ac docet verbis dum ait (3); quod Petrus sit «Apostolatus principatum tenens;» in «ordine Apostolorum primus et praecipuus,» in «quo figurabetur Ecclesia.» Et quidem, dum fatetur posse lectorem Petram illam fundamentalem de Petro intelligere, sicque a multis cum S. Ambrosio verba illa intelligi, nec non se alias de eodem Petro fuisse interpretatum, plane fatetur, esse Petrum, speciali quodam modo, Ecclesiae Petram et fundamentum. Adjungimus tamen, cum reverentia sanctissimo Patri debita; sensum ab eo excogitatum, non litteralem, sed accommodatitium esse: primo quia sancti Patres universim ejusmodi sensum in illis Christi verbis non intellexere: secundo, quia agebatur, juxta contextum,

---

(1) Serm. 76 (a. 13) de *Verbis Domini*, et Serm. 270 (a. 22).—(2) Retrac. l. 1., c. 21. — (3) Ser. 76. de Verb. Dni.

de speciali benedictione Petro conferenda; atqui quod fundaret Christus Ecclesiam supra se ipsum, et quod Simon sit Petrus, id est, in Petra et a Petra Christo, omnium christianorum commune est bonum: tertio, quia vera non existit unica illa, qua nititur sanctus Augustinus, ratio, pro sua tuenda sententia; scilicet, non vocatum a Domino fuisse *Petram*, sed Petrum; nam reapse Simonem *Petram*, appellavit: « *Tu es Petra (Cephas), et super hanc Petram...*» etc.

49. Obj. 3.° Nonnulli Patres intellexere Christi verba sic, ut non de Petro, sed de fide et confessione ipsius dixerit Dominus. Petram esse et fundamentum Ecclesiae; ita S. Chrysostomus (1). Cyrillus Alex., sanctus Hilarius.

Resp. Dist. et explico eorum PP.m sententias: non Petrus, sed fides et confessio Petri dicta fuit Ecclesiae petra et fundamentum, mediate et causaliter, seu meritorie; conc. Immediate et formaliter: nego. Duplex ejusmodi sensus clare in eodem indicatur textu: «Quia »Pater meus revelavit tibi fidem hanc et confessionem, et ego dico tibi:» en fundamentum Ecclesiae mediatum et causale: propter illud enim Petrus Ecclesiae petra et fundamentum fuit positus: «*Tu es* Petrus *(Petra, Cephas), et super hanc Petram aedificabo...*» Ecce proximum et formale fundamentum. Neque tamen negare intendimus, fidem quoque dici posse petram et fundamentum Ecclesiae; nam fides in Christi divinitatem primum est in Ecclesia internum unionis vinculum, et Petri fides ad aliorum fidem confirmandam fuit praeordinata (2). Hinc Patres, divinitatem Christi adversus Arianos tuentes, Petri fidem et confessionem extollebant, quod Dei Filium agnoverit, et quod ea fides sit, internum quidem Ecclesiae fundamentum; nec tamen Petrum esse etiam Petram et fundamentum in dubium revocabant. Sanctus Cyrillus Alex., exempli gratia, quem primatus Petri hostes nobis opponunt dicentem (3): «Petram, opinor, nihil aliud quam inconcussam et firmis»simam Discipuli fidem, vocavit;» ubi eamdem Domini exponit sententiam. «*Tu es Petrus*» (4) ait: «Quam (Ecclesiam) etiam fun»dasse dicit, firmitate eidem attributa, quum sit ipse virtutum Do»minus, atque ipsius Petrum Pastorem praeposuit.» Proferunt etiam Chrysostomi verba dicentis (5): «Super hanc petram aedi»ficabo Ecclesiam meam, id est, super fidem confessionis:» at quae immediate sequuntur, qua sinceritate nescio, praetermittunt; nempe, «Hinc declarat multos esse credituros, ejusque (Petri) sensum »erigit, et Pastorem ipsum efficit.» Et paulo inferius subdit: «Quae

(1) In Matth. hom. 55.—(2) Luc. XXII, 32.—(3) De Trinit. dialog. 4.—(4) In Matth.—(5) In Matth. hom. 54 (55).

»solius Dei sunt propria, et peccata solvere et Ecclesiam in tanta »fluctuum irruptione immotam efficere, et hominem piscatorem, »toto impugnante orbe, omni petra firmiorem effectum exhibere, »haec se illi daturum pollicetur: ut Pater. Jeremiae alloquens, »dicebat, se posuisse illum sicut columnam aeream et sicut murum; »sed illum uni genti, hunc autem in universo terrarum orbe.» Haec Petro fuisse data, juxta duas illas promissiones, nempe, *Super hanc petram... et tibi dabo claves*, dicit Chrysostomus: videas ergo utrum ad ipsum referat Petrum, quod sit et petra et fundamentum Ecclesiae, tametsi super fidem confessionis dixerit esse fundatam, meritorie, scilicet, et causaliter.

50. Obj. 4.° Patres saepe Petrum et Paulum aequali honore et potestate praeditos exhibere videntur: non est ergo ecclesiastica hierarchia ad unum supremum caput deducenda. *Ant.* probr. Sanctus Irenaeus (1) ait: «Romanam Ecclesiam a sanctis apostolis »Petro et Paulo institutam fuisse et fundatam.» S. Cyrillus Hierosol. (2) eosdem nuncupat «Capita Ecclesiae.» Epiphanius (3) dicit: «Romae primi omnium Petrus et Paulus »Apostoli pariter et episcopi fuere.» Maximus Taurin. (4) eos appellat. «Principes Ecclesiarum fidei christianae.» Similia alii dixerunt sancti PP.

Resp. Superius hanc praeoccupavimus difficultatem (n. 45): possunt enim ad invicem Apostoli conferri vel absolute, vel respective ad ceteros ubique fideles: primo modo pares non sunt, sed caput est apostolatus et princeps Petrus: secundo autem pariter dicuntur omnes totius Ecclesiae episcopi, apostoli, fundatores, capita, principes, etc. Sic Romani Pontifices «auctoritate beatorum Apostolorum Petri et Pauli» passim se fungi dicunt: tum quia ambo Ecclesiam illam instituerunt ac fundarunt: tum quia Romani pontifices eâdem ad Ecclesiam gubernandam donati sunt potestate, qua, tamquam Apostoli, illi fruebantur.

THESIS VIII.

Hierarchiae christianae centrum et culmen sunt Romani Pontifices.

51. **Nota.** Unam esse, non autem multiplicem, Ecclesiae Christi hierarchiam, adeoque ad unum summum caput necessario referendam, nuper ostendimus. Quod autem et quale ejusmodi sit caput; an physicum, an vero morale? num iste, num ille episcopus? neces-

---

(1) Adv. haeres. l. 3, c. 3.—(2) Catech. 6.—(3) Haeres. 27.—(4) Serm. 5, in fest. Apost.

sario definiendum: nam, numquid legitimi fuere ad Ecclesiam regendam omnes episcoporum conventus? Num episcopi omnes semper eidem ac legitimo adhaesere capiti? Una omnium est hisce quaesitis responsio: proinde, ecclesiastica evanesceret hierarchia, ignota et inanis foret summa Ecclesiae auctoritas, nisi genuinus patesceret episcoporum conventus, et legitimum, cui coadunari debent, caput. Quod si ita foret, actum de illa esset Christi Religione quam omnes tenemur amplecti (1), quamque usque ad mundi finem esse permansuram, supra ostensum fuit (2).

Probr. 1.° Certa fide catholici omnes hanc tenemus thesim, cujus solemnem supra laudavimus definitionem (3): a vera autem exulantes paterna domo, haeretici, nempe, et schismatici, nonnulla perpendant quae seligimus et subjicimus argumenta.

52. 2.° Hierarchiae christianae culmen et centrum, illud, non aliud, esse debet, quod Christus ipse constituit, aut quod eidem legitime successit. Sed Sanctum Petrum voluit Christus culmen et centrum existere christianae hierarchiae; cui legitime Romanus successit Pontifex; ergo.

Major hujus argumenti praemissa, cum per se ipsam perspicue eluceat, praesertim ex iis quae in thesibus VI et VII diximus, non indiget aliis probationibus.

Minor autem, prout asserit fuisse Petrum a Christo constitutum Ecclesiae caput et culmen, rem ita obviam affert, ut quae supra diximus (thesis VII) sat superque sufficiant. Illud ergo unice superest paulo fusius ostendere, quod de successione Romani Pontificis attingimus; quod quidem cum quaestionem *de facto* exhibeat, pauca et selecta historica testimonia brevi rem absolvent.

53. a) Primum, etiamsi negativum, apodicticum censeo esse argumentum et irrefragabile testimonium. Unum Christus constituit Ecclesiae centrum et caput, Petrum, ejusque sucessores, ut una foret Ecclesia, unus et universalis hierarchicus ordo, uti ostensum est. Atqui, si unum excipias Romanum episcopum, nullum omnino referunt et laudant Patres, Concilia, et Ecclesiae historia tamquam totius christianae religionis caput, vel summi capitis munera exercentem, vel Petri successorem: ergo vel constanter ignoravit Ecclesia suum regiminis et magisterii caput et centrum ac Petri successorem, quo mihi nihil videtur absurdius; vel Petri successores et totius Ecclesiae caput et centrum Episcopus Romanus est dicendus.

b) Secundum ac directum nobis praebent argumentum ipsi Ro-

---

(1) Disquis. 1.ª, thes. XXVII, n. 261. — (2) Thes. I, n. 6. — (3) Thes. VII, n. 39.

mani episcopi, se ipsos beati Petri successores asserentes, et quidem constanter; nullo eorum unquam id negante vel in dubium revocante, cum tamen et eruditissimi et sanctissimi plurimi eorum fuerint. At, dices: pro se testati sunt. Sane: de facto tamen illustri, ad mundum universum patenti, ceteris eruditissimis tum occidentalibus, tum orientalibus episcopis minime contradicentibus, aut alium Petri successorem adsignantibus: atqui protestati fuissent adversus Romanos episcopi reliqui, saltem ii ad quos successio spectabat, si notum illis fuisset alium esse in Ecclesia Petri successorem; ergo ineluctabile erat jus successionis apud episcopos Romanos, constanter sibi illud vindicantes. Ecce quid hac de re dixit in Ephesino Conc. Philippus Romanae Sedis Legatus: «Nulli dubium est, imo saeculis omnibus notum, quod »sanctus Petrus apostolorum princeps et caput, fideique co»lumna et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino nostro »Jesu Christo claves regni accepit.... qui ad hoc usque tempus »et semper in suis successoribus (Rom. Pont.) vivit et judicium »exercet.» Siricius pp. (1) ait: «Portamus opera omnium qui »gravantur; quinimo haec portat in nobis Petrus apostolus, qui »nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit »ac tuetur haeredes.» Leo pp. (2) dicit: «Consensiones episco»porum, Nicaenis regulis repugnantes, in irritum mittimus et per »auctoritatem B. Petri apostoli generali definitione cassamus.»

55. c) S. Irenaeus enumerat beati Petri in Romana Sede successores usque ad papam Eleutherium (3): pari modo Tertullianus (4) usque ad Telesphorum: item sanctus Optatus Milevit. (5) ad Siricium usque: S. Augustinus usque ad Anastasium (6): Hieronymus in epistola ad pp. Damasum ait: «Cum successore Piscatoris loquor: ego »nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuae, id est »cathedrae Petri, communione consocior:» S. Cyprianus (7) sedem Romanam vocat «Petri cathedram, et Ecclesiam prin»cipalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.» Et in libro de *Unitate* Ecclesiae, ait: «Qui cathedram Petri, super quam fundata »est Ecclesia, deserit; in Ecclesia se esse confidit?» Augustinus (8) ait: «In Romana Ecclesia semper Apostolicae cathedrae »viguit principatus.»

56. Prob. 3.° Primatum et totius Ecclesiae centri ac culminis dignitatem praeclara ac definitiva Romanis episcopis adscribunt

---

(1) Ep. ad Himer. — (2) Ep. 2, ad Pulcher.—(3) L. 3, c. 3. —(4) Contr. Marc. l. 3, c. ult—(5) L. 2, contr. Parm.—(6) Ep. 53, ad Generos. et Ep. 105. —(7) Ep. 55, ad Comel.—(8) Ep. 43, n. 7.

testimonia. Concilium Sardicense, cui plurimi Nicaenae Syn. episcopi convenerunt, (quorum unus sanctus Osius, *pater Conciliorum* dictus, ac in utraque generali Synodo praeses pro Rom. Pontifice extitit) scripsit ad Julium pontificem Romanum: «Hoc optimum et valde congruentissimum esse videbatur, »si ad Caput, id est, ad Petri Apostoli sedem, de singulis qui»busque provinciis referant Domini Sacerdotes.» Habes ergo authentico et generali testimonio, et Caput esse et totius Ecclesiae centrum Romanum episcopum, idque non quacumque de causa, sed quia Petri sedem tenet... Chalcedonense Conc. ad pp. Leonem scripsit: «Et post haec omnia insuper et contra ipsum, »cui vineae custodia a Salvatore commissa est, extendit insaniam, »id est, contra tuam quoque Apostolicam Sanctitatem.» Sanctus denique Athanasius ad pp. Felicem ajebat: «Vos, Praede»cessoresque vestros, apostolicos videlicet praesules, in summitatis »arce constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere praece»pit.» S. Irenaeus, antiquissimus et Apostolis vicinus, martyr et Doctor, in libris adversus haereses (1) ait: «Ad hanc Ecclesiam »(Romanam) propter potentiorem principalitatem necesse est om»nem convenire Ecclesiam.» Tertullianus ait. «Catholicam »doctrinam esse in Ecclesia Romanensi.»

Quid plura? Satis haec ostendunt, non aliam esse Christianae Ecclesiae hierarchiam, nisi quae Romanis Pontificibus adhaerescit.

57. **Corollarium.** Quod ecclesiasticus ordo pro Ecclesia regenda... ad unum supremum culmen et caput ducatur, è jure procedit divino utpote a Christo constitutum, sicuti supra ostensum fuit (Thes. VII); proinde Romanos Episcopos non jure solum ecclesiastico, aut apostolico, sed divino etiam universae praesident Ecclesiae; nam, ut in hac probatum est thesi, ipsi munus ejusmodi a Christo constitutum habent, et a beato Petro, cujus sunt successores, susceperunt; qui autem rem accipit, et rei modum necessario obtinet. Utrum autem non res ipsa tantum, videlicet, officium et munus supremi, uniusque capitis et regiminis, fuerit a Christo praescripta, sed etiam succedendi forma, per Romanam nempe sedem; vel potius a B. Petro modus iste ac forma processerit; quatenus sedem illam, potius quam aliam, sponte sua elegerit, cui universam Ecclesiam pascendi committeret officium; non ita liquet: quamvis, sane, non sine speciali Dei providentia, id fuisse a Petro excogitatum et constitutum, nemo prudens in dubium revocabit. Inde tamen nihil detrimenti capere queunt

(1) L. 3, c. 3.

Romani Episcopi in supremo suo munere: nam quemadmodum, praeter ipsos, nullus in universam Ecclesiam accepit potestatem: ita nec in supremum eam regendi munus, ut de eo quispiam valeat quicquam immutare vel statuere.

Obj. 1.° Romanorum Episcoporum Primatus ab institutione procedit Ecclesiastica: ergo haud recte deducitur ex eo quod beati Petri sint successores. *Ant.* elucet ex can. 28 Concilii Chalcedonensis. «Antiquae Romae throno, quod urbs illa imperaret, jure »Patres privilegia tribuerunt.» Inde inferunt aequalia privilegia esse tribuenda novae Romae throno, id est. Episcopo Constantinopolitano.

Resp. Nego *antec.* Ad probationem autem. 1.° dicimus: Canonem istum numquam fuisse approbatum. et ipsos Graecos è codice suorum Canonum expunxisse. 2.° Respondemus, egisse Patres non de Primatu Apostolico, sed de juribus Patriarchalibus: ideo id solum postulabant, ut in rebus ecclesiasticis, secunda post Romanam existeret Constantinopolitana sedes. Fatemur quidem, patriarchalia jura è fonte procedere ecclesiastico, non vero Ecclesiae universalis Primatum.

59. Obj. 2.° Sanctus Cyprianus ait (1): «Neque enim quis»quam nostrum Episcoporum se Episcopum constituit, aut tyran»nico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit; »quando habeat omnis Episcopus, pro licentia libertatis et potesta»tis suae, arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, »quam nec ipse potest alterum judicare;» ergo una et universalis sub Rom. Pontifice non est concedenda hierarchia.

Resp. 1.° Dist. et explico Cypriani verba: inter Africanos Episcopos *(quisquam nostrum)* nullus erat Episcopus Episcoporum; conc. Indeque nullus eorum alios poterit judicare, et ad obsequendi necessitatem adigere. Universim et absolute; nego.

Resp. 2.° Habet Episcopus omnis arbitrium proprium et ab alio nequit judicari, cum agit *pro licentia libertatis et potestatis suae;* conc. Semper et absolute; nego. Etenim hac in re testem ipsum beatum habemus Cyprianum, qui a Stephano I postulabat (2): primo: ut ad episcopos Galliae scriberet, ne ultra Marcianum, episcopum *pervicacem* et *superbum*, et *divinae pietatis* ac *fraternae salutis inimicum*, collegio nostro insultare paterentur: potest ergo episcopus etiam judicari. Secundo: ut litteras ad plebem etiam scriberet Arelatensem, quibus, abstento Marciano, alius in locum ejus substitueretur: potest ergo episcopus non judicari tantum, sed

---

(1) Ep. ad Quintum.—(2) Ep. 67.

et deponi auctoritate Romani Episcopi. Tertio: denique petit Cyprianus ut provideat, ne «Marcianus sententiam dicat, sed ac»cipiat: nec sic agat, quasi ipse judicaverit de Collegio Sacerdo»tum, quando ipse sit ab universis sacerdotibus judicatus.» Ex quibus colliges etiam, praeter hierarchiae unitatem, quantum juxta Cyprianum, valeret Romani Pontificis auctoritas; sed de hac re infra (Thes. XIII).

COROLLARIUM.

Ecclesiae definitio ex praemissis thesibus deducta.

60. Ecclesia est in Christum credentium societas (1), eadem fide, eodemque baptismate coadunata (2), nec non una Hierarchiâ (3), ad supremum unum caput, Romanum scilicet Pontificem, (4) ductâ.

Nota. Quatenus *credentium in Christum societas*, differt Ecclesia a secta quavis antichristiana: ex eo quod *eadem fide* credunt, excluduntur haereses omnes: per cetera quae sequuntur, discriminatur ab ecclesiis schismaticis. Si autem perpendas fidem in Christum, practicam esse oportere; tota definitio in priori parte virtualiter continetur: *Credentium in Christum societas una eademque fide coadunata.*

CAPUT II.

De Proprietatibus Ecclesiae Christi.

Nota. Ut Ecclesiae exponamus proprietates, sub triplici possumus eam respectu inspicere: ratione naturae, ratione causalitatis, et ratione cognoscibilitatis. Unde tribus Articulis Caput hoc dividimus.

---

(1) Thes. II. — (2) Thes. III. — (3) Thes. VI et VII. — (4) Thes. VIII.

ARTICULUS I.

De Proprietatibus Ecclesiam intrinsecus perficientibus.

THESIS IX.

Ecclesia Christi ad omnes gentes est dilatanda; ita ut, tamquam totum ex iis coalescat, quasi homogeneis et ejusdem naturae partibus; quo fit ut illa in istis sit, et istae in illa: seu, Christi vera Ecclesia est Catholica.

61. **Nota.** Certum est Christi Ecclesiam et *Catholicam* dicendam, et talem esse credendum: verum quid vox ista, *catholica*, praecise innuat, non satis ex SS. Patribus liquet, nec in eo theologi conveniunt. Proinde, ne certa incertis misceamus, et difficultates aliis difficultatibus irrito conatu diluere conemur; nolumus ex ambigui sensus voce argumentari, sed potius ex rebus ipsis, quae certo elucent, certum aliquem vocis illius sensum definire, ut exinde etiam Christi Ecclesia a quavis antichristiana vel haeretica secta discriminetur: putamus enim Augustini prosequendum exemplum Vincentio dicentis (1): «Acutum aliquid tibi videris dicere, cum »catholicae nomen non ex totius orbis communione interpretaris, »sed ex observatione praeceptorum omnium divinorum, atque om»nium sacramentorum: quasi nos (etiamsi forte hinc sit appellata »catholica, quod totum veraciter teneat, cujus veritatis nonnullae »particulae etiam in diversis inveniuntur haeresibus,) hujus nomi»nis testimonio nitamur ad demonstrandam Ecclesiam in omnibus »gentibus, et non promissis Dei, et tam multis, tamque manifestis »oraculis ipsius veritatis.» Et quidem ipse alibi ait (2): «Quaerenda »est Religio apud eos solos, qui christiani catholici vel orthodoxi »nominantur, id est, integritatis custodes et recta sectantes.» Et pariter Cyrillus Hieros. (3) ait: Catholicam dici Ecclesiam, *quia* «Universe et absque defectu docet omnia dogmata.»

Pars 1.ª ostenditur; scilicet, Christi Ecclesiam ad omnes gentes dilatandam.

62. Prob. 1.° Christum Dominum id statuisse, imo et reapse futurum praedixisse, aperte patet: dixit namque discipulis suis (4): «*Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.*» Istud autem fieri debuisse, ut antiquae implerentur Scrip-

---

(1) Ep. 93, n. 23. - (2) De vera Relig. c. V.—(3) Catech. 18, n. 23. — (4) Marc. XVI, 15; Matth. XXVIII, 19.

turae, testatus est ipse Dominus (1): «*Quoniam sic scriptum est et sic oportebat... praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma.*»

Exitum autem reapse hujusce statuti futurum, et praedixit Christus (2): «*Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.*» Et Paulus ait (3): «*Ecce convertimur ad gentes: sic enim praecepit nobis Dominus: posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terrae.*»

63. 2.° Ab antiquis quoque hanc Ecclesiae expansionem fuisse Prophetis enuntiatam, tum nuper laudata Christi verba, tum haec Pauli postrema ostendunt: ab Isaia enim ea desumpsit dicenti (4): «*Israël non congregabitur:* (Ecce praedictam populi judaici infidelitatem). *Et dixit: parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et faeces Israël convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.*» David autem praecinebat (5): «*Reminiscentur et convertentur ad Dominum uni-*»*versi fines terrae: et adorabunt in conspectu ejus universae familiae* »*gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gen-*»*tium.*» Plura alia ejusmodi praetermittimus testimonia, quae passim adversum Donatistas urgebat Augustinus, et diffuse excribunt recentiores: putamus enim brevitati consulendum, ubi non plus centum, quam unica, praestare valent perspicuae sententiae. Conferas tamen, si lubet, thesim XXVIII, in Disq. II positam, num. 261.

64. 3.° Facto ipso thesis confirmatur, quod multimode elucet.

a) Cum Spiritu Sancto roborati Evangelium praedicare Apostoli coeperunt, innumeris fuerunt linguis instructi (6): «*Audivimus unusquisque linguam nostram in qua nati sumus.*» Cur autem linguis omnibus locuti sunt Apostoli, nisi quia «Sic oportebat, ait »Augustinus (7), per linguas omnium gentium significari, »istam societatem filiorum Dei et membrorum Christi futuram in »omnibus gentibus: ut quemadmodum tunc ille apparebat acce-»pisse Spiritum Sanctum, qui loquebatur linguis omnium gen-»tium; ita se nunc ille agnoscat accepisse Spiritum Sanctum, qui »tenetur vinculo pacis Ecclesiae, quae diffunditur in omnibus gentibus?»

65. b) Patres priorum seculorum (8), imo universales ipsae in Christianos paganorum imperatorum persecutiones, patefaciunt, ab initio ad omnes notas mundi plagas Christi Ecclesiam pervasis-

---

(1) Luc. XXIV, 46, 47.—(2) Act. c. I,v. 8.—(3) Ibid. XIII, 46, 47.—(4) XLIX, 5, 6.—(5) Ps. XXI, 28, 29.—(6) Act. c. II, 8.—(7) Serm. LXXI, de verb. Matth., 28.—(8) Supra, Disq. II, thes. XXV, n. 244.

se, et continuo excrevisse. Sic in orbis metropoli concionans Chrysostomus palam adserebat (1): «Gentilis ipse fatetur, ne»que negare potest, quod Christus universas per orbem Ecclesias »condiderit. Hinc ejus potentiae argumentum ducemus, et osten»demus Deum esse; dicemusque, non esse puri hominis tantum »orbem, terram, mare, tam brevi tempore pervadere, et ad res tan»tas evocare; cum maxime tam absurdis moribus assueti homines »essent et tot malis irretiti. Et tamen potuit ille humanum genus »ab his omnibus liberare, non Romanos tantum, sed Persas, et »omne Barbarorum genus... Haec vero facere potuit dum oppug»naretur ab omnibus... Neque enim negabunt ipsum a Judaeis »crucifixum, innumeraque ab illis passum esse, et tamen quotidie »praedicationem accrescere: quodque incredibile videtur, ea non »hic tantum sed et apud Persas floret, etiamsi ab illis oppugnetur. »Etenim apud illos quoque Martyrum examina multa... Non in ur»bibus tantum, sed etiam in deserto haec praeclare gesta videas, in »vicis, in agris, in insulis, in portubus et navalibus: non idiotae, »non principes tantum; sed illi ipsi qui diademate redimiuntur, »Crucifixo magna cum fide subditi sunt.» Sic ergo seculo etiam quarto progrediebatur Ecclesia: Ministri ejus, ajebat ipse Chrysostomus (2), «per omnes praedicant. Ideo etiam non habitatam »modo terram, sed inhabitatam; non terram solum, sed etiam ma»re; non urbes tantum, sed etiam montes, colles et valles; non »Graeciam modo, sed etiam barbaras nationes; non eos qui in dig»nitate tantum, sed et eos qui in extrema paupertate... tamquam »sagena coeperunt. Nec eo usque tantum, sed etiam ulterius pro»cesserunt, et cum non satis ipsis esset terra nostra, in ipsum »Oceanum se contulerunt, barbarasque regiones et Britannicas in»sulas in retibus suis incluserunt: et quocumque jam abieris, Pis»catorum nomina in omnium ore ferri videbis; non propter Pisca»torum virtutem, sed propter Crucifixi potentiam, quae ubique ip»sis viam monstraverat...

»... Hoc et Propheta olim praenuntians, dicebat: *Non sunt loque»lae neque sermones, quorum non audiantur voces eorum: in omnem »terram exivit...*»

66. Seculo quinto, ajebat Augustinus (3): «Nec vis atten»dere; aut te nosse dissimulas, in quam multas jam barbaras na»tiones tam parvo tempore venerit Evangelium, ut nec inimici »Christi dubitare jam possint brevi tempore futurum, quod discipu»lis respondit de seculi fine quaerentibus; *et praedicabitur Evange-*

(1) Lib. *Quod Christus sit Deus*, n. 1, 2.—(2) Hom. VIII, t. 12, pag. 502 (Migne). — (3) Ep. 93; n. 22, et l. de Unit. Ecclesiae, n. 32.

»*lium hoc in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et* »*tunc veniet finis.*»

Et alibi (1) ipse Augustinus: «Sanctam Ecclesiam praedicate. »Ipsa est quae in hac fide, quam, audistis, fructificat et crescit in »universum mundum.»

67. c.) Verum et illud notatu dignum (quod etiam praedixerunt Prophetae) in Evangelii praedicatione et gentium vocatione; quod Deus, quo facilius ad omnes gentes Christi nomen perveniret, providit, ut ad lucis evangelicae centrum, interno quodam et universali instinctu, ipsae appropinquarent. Evangelizato enim Christi nomine per vastissimam Imperii Romani latitudinem, coeperunt ex Asia et septentrionalibus Europae regionibus innumerae ac diversissimae nationes confluere, aliis alias priores impellentibus ac per plura secula succedentibus: quae, dum imperium dissolvebant Romanum, Christo Regi aeterno subjiciebantur, uti praenuntiaverat Propheta (2): «*Omnes sitientes venite ad aquas; et qui non habetis argentum properate, emite et comedite: venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac... Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra... Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus. Ecce gentem quam nesciebas vocabis; et gentes quae te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum et Sanctum Israel, quia glorificavit te.*» Et quidem:

68. Seculo Ecclesiae tertio, cum è Septentrione in Asiam Minorem Gothi irrupissent, inter captivos secum non paucos adduxerunt christianos, nec non clericos, quorum vitae sanctitate ac miraculis etiam et praedicatione ad fidem christianam amplectendam deducti sunt: unde inter Patres Conc. Nicoeni Oecum. I. subscripsit etiam Episcopus gentis Gothorum, Theophilactus dictus. Fidem similiter barbarae aliae nationes susceperunt; Wisigothi, Ostrogothi, Vandali, Burgundiones, etc. Verum Constantii Imperatoris perfidia ad Arianismum profitendum coactae gentes illae, catholicos deinde ubique crudeliter insectabantur, innumeros martyrio coronarunt, multas dissiparunt Ecclesias, donec tandem ad catholicam rediere fidem, in Italia, Hispania, Gallia, etc.

69. d) Quinto et sexto seculis, Franci, è Germanorum gente, fidem Christo dederunt, et successive ad alias regiones Evangelium praecones Christiani evulgarunt: ad Pannoniam, Noriciam, Helvetiam, Bulgariam, Hungariam, Poloniam, Russias, etc. In Britannorum insulis, Tertulliani aevo, effulgebat Christus; ve-

---

(1) Serm. 214, n. 11.--(2) Isai. LV, 1, 2, 4, 5.

rum magnus Britannorum Apostolus, seculo quinto, sanctus Patritius fuit.

Exeunte seculo sexto, et septimo decurrente, fuit Christi fides per totam Angliam late diffusa, zelo et praedicatione plurium ministrorum, praesertim sancti Augustini a Gregorio Magno ad id munus missi: eodem fere tempore, Sanctus Amandus Belgas evangelizabat et ad Ecclesiam perducebat. Ad seculi septimi finem et octavo ineunte, Frissones Christi fidei conciliabat Willebrordus, a Pontifice Sergio missus, cum aliis apostolici muneris adjutoribus, et tredecim dioeceses in universa Germania constituit, corona martyrii tandem insignitus. Versus finem octavi seculi et noveni exordium, in Saxoniam, Westfaliam et alias regiones plures apostolici viri fidem catholicam disseminarunt.

70. e) Inter Slavorum fortissimas gentes, seculis nono et decimo, Christi regnum pervenit, zelo praesertim et praedicatione sanctorum Cyrilli et Methodii; Polonia quoque universim idola confregit et Christi fidem amplexata est seculo decimo decurrente. Paulo post, ineunte undecimo, Prussia in Christum partim credidit, opera monachorum Sancti Benedicti; at plenius seculo XIII. Christiani praedicatione et laboribus. In Ungaria coepit fidei praeconium, seculo decimo mediante, audiri; undecimo autem paganismi reliquiae omnino evanuerunt. Seculis decimo tertio et quarto, Romani Pontifices legatos ac missionarios ad Mongolium Imperium Sinense miserunt, ubi non pauci fidem susceperunt; at sublata et victa Mongolica imperatorum serie, et fidei rejectis praeconibus, extincti ad tempus fuere Christiani.

71. d) Denique, seculo decimo quarto, Deo providente, via ad Americas, et ad Orientales Indias, et ad Oceaniam patere caepit; ac fidei praecones illico ad vastissimas illas regiones Ecclesia misit, et Christi nomen ubique auditum, ac salus nuntiata, per universas quinque mundi plagas. Postremis autem hisce annis notae factae sunt immensae totius Africae regiones ac latissima populosissimaque regna, quae aridae et desertae regiones putabantur; et jam Evangelium ibi a norte ad meridem, ab oriente ad occidentem nuntiatur.

72. Facta ergo historica Christi et Prophetarum respondent vaticiniis, et Ecclesia Christi ubique dilatatur: «*Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae.*» Notatum autem hic volumus, non omnes, pro singulis seculis, apostolicos Ecclesiae labores ac progressus voluisse nos indicare; sed unum vel alterum tantum ad vitae illius specimen, quam infundit Spiritus Sanctus, «*manens nobiscum in aeternum*» (1).

(1) Jo. XIV, 16.

Pars II.ª ostenditur.

73. Ad hujus partis intellectum pauca praenotanda.

Nota primo. Duplex esse totum: quoddam homogeneum, quod ex similibus componitur partibus; quoddam vero heterogeneum, quod ex dissimilibus exurgit. In toto homogeneo totum et partes eamdem habent formam; sicut quaelibet pars quantitativa aquae est aqua: in toto autem heterogeneo partes carent forma totius; pars enim domus non est domus, nec pars hominis est homo (1).

Nota secundo. Cum totum sit quod dividitur in partes, secundum triplicem divisionem est triplex totalitas. Est enim quoddam totum quod dividitur in partes quantitativas; sicut tota linea, vel totum corpus. Est etiam quoddam totum quod dividitur in partes rationis et essentiae; sicut definitum in partes definitionis, et compositum resolvitur in materiam et formam. Tertium autem totum est potentiale, quod dividitur in partes virtutis; sicut partes virtutis intellectivae, vel sensitivae, etc.

Nota tertio. In Ecclesia triplex attendenda totalitas; quantitativa, nam est multitudo composita et ordinata (2): essentialis et definitionis, ut dictum supra (3): et virtutis, nam multiplici potestate donata est Ecclesia (ut ex dictis patet), quae ad duplicem ordinem magisterii et jurisdictionis pertinet (4).

74. Probatur haec pars, quae, post praenotata, probatione ferme nulla indiget.

a) Omnis societas coalescit, tamquam ex partibus, membris quibus componitur. Sed Ecclesia est societas (5); ergo coalescit, tamquam ex partibus, gentibus ad quas est dilatanda.

b) Deinde, Ecclesia est societas credentium in Christum (6), ita ut debeant credentes omnes in eadem convenire fide, eodem adunari baptismate (7), nec non eadem duci hierarchia sub uno supremo capite (8). Sed societas credentium qui eamdem tenent fidem, eodem coadunantur baptismate, quique eadem ducuntur auctoritate, ex partibus coalescit homogeneis, tum ad invicem, tum cum tota societate; nam qua societas est, forma est auctoritas; qua credens, est fides: ergo gentes omnes, ad modum ejusdem naturae partium, Ecclesiam conficere et juxta illam existere debent.

c) Denique, Ecclesiam esse totam in suis partibus, et partes singulas in tota Ecclesia, (non sane totalitate quantitativa, sed totalitate essentiae, et quodammodo totalitate virtutis) ex definitione superius tradita (n. 60), et nunc praejactis (Nota primo, et b) fa-

---

(1) S. Th. I, p. q. 11, a. 2, ad 2. — (2) Thes. II, n. 11. — (3) N. 60.— (4) Thes. V, VI.—(5) Thes. II, n. 11.—(6) Ibid.—(7) Thes. III, n. 17.— (8) Thes. VII, n. 36.

cillime colliges. Quemadmodum et ex Ecclesiae definitione, quam, uti communiter receptam, tradit Gregorius de Valentia (1), patet: «Pressius definitur Ecclessia, ut sit hominum multitudo, quam in hac vita verus Dei cultus et vera cognitio fidei, non qualiscumque, sed christianae, et in sacramento Raptismi susceptae, conjungit... Postrema Ecclesiae ratio, quam ita breviter descripsi et exposui, omnium est frequentissima apud orthodoxos scriptores.» Ex qua definitione perspicitur quoque, totam *essentialiter* inveniri Ecclesiam in singulis ejusdem ubique partibus.

Quibus consonat Augustinus (2): «Pulchra es (Ecclesia) inter »mulieres; sed agnosce te. Ubi te agnosces? In toto orbe terrarum. »Si enim pulchra, unitas est in te: ubi divisio, foeditas est, non »pulchritudo... Unumquemlibet ex Ecclesia tamquam Ecclesiam »Christus alloquitur. Nam quomodo Ecclesia quaerit Ecclesiam? »*Annuntia mihi quem dilexit anima mea.* Quae loquitur? Ecclesia. »Quid sibi vult annuntiari? *Ubi pascis, ubi cubas*, id est, ubi sit »Ecclesia. Ecclesia loquitur, et interrogat ubi sit Ecclesia: alloqui»tur unumquodque membrorum Ecclesiae suae Christus, tamquam »suam Ecclesiam, et dicit: *Nisi cognoveris temetipsam, o pulchra »inter mulieres, exi.* Exire, haereticorum est. Aut cognosce te, aut »exi. Quia si te non cognoveris, exitura es. Exitura quo? in vestigiis »gregum, sequendo malos greges: exi tu *in vestigiis gregum, et »pasce hoedos tuos;* jam non oves. Nostis, fratres, ubi erunt hoedi. »Ad sinistram erunt omnes qui exierunt ab Ecclesia.» Ad rem etiam alibi ait (3): «Neque enim quia in orbe terrarum plerumque »regna dividuntur, ideo et unitas christiana dividitur, cum in »utraque parte catholica inveniatur Ecclesia.» Sic ergo diffunditur per orbem terrarum Ecclesia, ut ubique seipsam in singulis agnoscat Ecclesiis: «Quae Ecclesia, ipsae Ecclesiae... Propter unitatem »Ecclesiae, una Ecclesia... Propter congregationes fraternas, mul»tae Ecclesiae» (4).

Objectiones.

75. Obj. in I^m^ partem. Ex ipsis probationibus elucet, non esse Ecclesiam Christi catholicam: nam per plurima secula in Europa quidem paulatim ac pedetentim progrediebatur; Asiae et Africae perexiguam tantum tenebat partem; Oceaniae et Americae nihil omnino: unde ad ultima usque secula possumus, quod Augustino objiciebat Vincentius, urgere: «Quantum ad totius mundi »pertinet partes, modica pars est in compensatione totius mundi, in »qua fides Christiana nominatur» (5).

---

(1) 2, 2, q. 1, punc. 7, q. 4. — (2) Serm. 46, de Pastor. in Ezech. — (3) De Unit. Ecclesiae, n. 33. — (4) Enarrat. in Ps. 141, 7. — (5) Ep. 93, n. XXII.

Resp. Nego suppositum. Falso namque supponitur debere Ecclesiam, qua *catholicam*, universas mundi plagas *actu*, seu praesenti occupare tempore: istud opus est; ut orbem terrarum, post missionem a Christo Apostolis traditam, pervadat evangelizando, ubique eadem ac una et sibi constans, ita ut, tandem totum obtineat. Unde respondemus quod Vincentio Augustinus: «Nec »vis attendere, aut te nosse dissimulas, in quam multas jam barba»ras nationes tam parvo tempore venerit Evangelium, ut nec inimi»ci Christi dubitare jam possint, brevi tempore futurum (quod nunc »multo verius auguramus) quod discipulis respondit de seculo fine »quaerentibus: «*Et praedicabitur hoc Evangelium in universo orbe... »et tunc veniet finis.*»

Et haec sane plane consonant iis quae Hesychio, ep., adventum Christi cupienti, et proxime futurum auguranti, scribebat ipse Augustinus (1): «Nescio tamen utrum intueri aliquid certius »in hac quaestione possemus, si ulla ratione seu facultate posse»mus; quam illud quod in epistola priore jam posui; quando Evan»gelio mundus universus impleatur. Quod enim putat venerabili»tas tua, jam hoc per ipsos Apostolos factum; non ita esse certis »documentis probavi. Sunt enim apud nos, hoc est, in Africa, bar»barae innumerabiles gentes, in quibus nondum esse praedicatum »Evangelium, quotidie nobis addiscere in promptu est. Pauci ta»men anni sunt, ex quo quidam eorum rarissimi atque paucissi»mi, qui pacati Romanis finibus adhaerent, Christiani esse coepe»runt. Interioris autem, qui sub nulla sunt potestate Romana, »prorsus nec religione Christiana in suorum aliquibus detinentur, »nec ullo modo recte dici potest, istos ad promissionem Dei non »pertinere. Non enim Romanos, sed omnes gentes Dominus semini »Abrahae, media quoque juratione, promisit: ex qua promissione »jam factum est, ut nonnullae gentes, quae non tenentur ditione »Romana, reciperent Evangelium et adjungerentur Ecclesiae, quae »fructificat et crescit in universo mundo. Adhuc enim habet quo »crescat, donec fiat quod de Christo in Salomonis figura propheta»tum est: «*Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque »ad terminos orbis terrarum*»... Propheta autem dicit: «*Et adora»bunt eum unusquisque de loco suo, omnes insulae gentium*»... Atque »ita et in insulis singulis quibusque impletur quod dictum est: »*Dominabitur a mari usque ad mare*, quo unaquaeque insula cingi»tur; sicut in universo orbe terrae, quae tamquam omnium quo»dammodo maxima est insula, quia et ipsam cingit Oceanus, ad

(1) Ep. 199, n. 46. (Editionem sequimur Parisien. ut supra notavimus.)

»cujus littora in occidentalibus partibus Ecclesiam pervenisse jam »novimus, et quocumque littorum nondum pervenit, perventura »est, utique fructificando atque crescendo.»

«In quibus ergo gentibus nondum est Ecclesia, oportet ut sit; »non ut omnes qui ibi fuerint credant: omnes enim gentes promis»sae sunt, non omnes homines omnium gentium. Non enim om»nium est fides. Credit itaque omnis gens in omnibus qui electi »sunt ante constitutionem mundi; in ceteris non credit, et creden»tes odit. Quomodo enim et illud implebitur: «*Eritis odio omnibus »gentibus propter nomen meum.*» nisi in omnibus gentibus sint et »qui oderint, et quos oderint?»

Deinde verba, ab Hesychio laudata explicat. «Apostolus »dixit: *Numquid non audierunt? In omnem terram exiit sonus eorum, »et in fines orbis terrae verba eorum* (1). Quamvis locutus sit »praeteriti temporis verbis, tamen quod futurum fuerat dixit, non »quod jam factum atque completum: sicut ipse Propheta quo usus »est teste, non ait; *In omnem terram exiturus*, sed *Exiit*, inquit, »*sonus eorum:* quod utique nondum factum fuerat...» Vide quoque eumdem (2) de re hac disserentem.

76. Obj. in II partem.

Ecclesia universalis, qua totum est, uno supremo capite regitur, ut dictum est: è contra, Ecclesiae partes, seu *congregationes fraternae*, ut ait Augustinus supra (n. 74), praelatis haud supremis, sed subjectis uni supremo ducuntur. Ergo Ecclesia tale totum dici non potest ut partibus coalescat homogeneis, et in illis insit; seu, «quae Ecclesia, ipsae Ecclesiae,» uti loquitur Augustinus, dici nequit.

Resp. Nego *antec.* Nam particulares Ecclesiae non minus, sed aeque pendent, et quidem *immediate*, ab supremo Ecclesiae capite, quam tota ac universalis Ecclesia. Sane auctoritas Praelatorum singularum Ecclesiarum non aeque patet ac illa supremi capitis; verum cum haec illi subdita existat, nihil demit inmediatae particularium Ecclesiarum subjectioni: quapropter recte dicitur: «Quae »Ecclesia, ipsae Ecclesiae.»

COROLLARIUM.

77. Quaevis christiani nominis secta, vel quaelibet sectarum collectio, quae ex semetipsa, seu ex insita virtute, non fructificat ac dilatatur ad omnes gentes; vel cujus partes ubique terrarum

---

(1) Rom. X, 18.—(2) De Unit. Ecclesiae, n. 32: Lib. seu Ep. 140, Honorato, num. 43.

degentes non ejusdem naturae existunt, tum ad invicem, tum cum toto, alienae sunt a vera Christi Ecclesia.

Proinde, Protestantium sectae omnes toto coelo invicem discrepantes, tum in fide, tum in ea qua reguntur auctoritate, per universas in quibus degunt regiones, cum acatholicae sint, non pertinent ad Ecclesiam christianam.

Item: plura Orientalium, Afrorum, Russianorum schismata, tum quia intima virtute ad nomen Christi dilatandum, veluti rami aridi et infructuosi, in suis angulis jacentia, orbantur; tum quia invicem et cum toto discrepant, cum diversa summa capita et diversas credendi normas agnoscant; acatholica sunt et falsae christiani nominis sectae.

78. Denique notandum, pro Ecclesiae intelligenda catholicitate, quod docet Augustinus (1): «Qui sententiam suam, quamvis »falsam atque perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, »praesertim quam non audacia praesumptionis suae pepererunt, »sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, »quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum »invenerint; nequaquam sunt inter haereticos deputandi.» Unde constat, in haereticis et schismaticis sectis, plurimos habere Ecclesiam, veram Sp. Sancti sponsam, filios, quos ei concubinae istae, per sanctum baptisma, genuerunt.

THESIS X.

In Christi Ecclesia deficere non potest fides charitate, imo ceteris quoque S. Spiritus charismatibus, ornata.

Nota: Fidem non posse in Ecclesia deficere, sat constat ex iis quae supra statuta fuere (Thes. III.); ideo fidem charitate formatam, seu sanctitatem Ecclesiae, nec non cetera Spiritus Sancti charismata, quibus clarius effulget fides ipsa, veraque Ecclesia, indefectibilia esse, hic tuemur.

Certam ac catholicam dicimus hanc doctrinam, quam paucis ostendemus argumentis.

79. I.ª Pars prob. 1.° Concilium Vaticanum (2) docet: «Quin etiam Ecclesia per se ipsam, ob suam, nempe, eximiam »sanctitatem et inexaustam in omnibus bonis foecunditatem..... »magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis:» jam vero *eximiam sanctitatem et inexaustam in omnibus bonis foecundi-*

(1) Ep. 43 (162,) n. 1. — (2) C. *Dei Filius*, cap. III.

tatem locum habere non posse, nisi per fidem charitate formatam, sine qua asserente Apostolo (1), foret tantum Ecclesia «*velut aes sonans, aut cymbalum tinniens,*» res est aperta.

80. 2.° Paulus (2) viris erga uxores exemplum exhibet dilectionem Christi erga Ecclesiam; mulieribus autem subjectionem Ecclesiae erga Christum, qui caput est ipsius et Salvator. Sed ejusmodi exemplum ac similitudo subsistere non potest, nisi quatenus charitas Ecclesiam indissolubiliter Christo connectit: ergo charitate Ecclesia universim carere numquam potest. Quod quidem clare etiam evincunt effectus ejusmodi dilectionis Christi erga Ecclesiam, sponsam dilectam: nam «*se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta et immaculata. Nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.*» Atqui stare haec non possunt sine vita et splendore charitatis; ergo Ecclesia universim charitatem exuere nequit.

81. 3.° Neque Antichristi tempore, cum, scilicet, «*refrigescet charitas multorum,*» deficiet charitas in Ecclesia: nam patientur multi pro Christo, et erunt odio omnibus gentibus propter nomen ipsius; «*qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*» (3). Ergo «*Charitas*, ut verbis utar Apostoli (4), *numquam excidit.*» His plane consonant parabolae ex *seminante* et ex *sagena* depromptae, quibus Christus Ecclesiam assimilat: in agro enim Dominico, licet semina aliqua non fructificent, alia tamen fructum trigesimum vel centesimum producunt; et Domini sagena, cum malis, colligit etiam pisces bonos, dignos aeterna vita (5).

4.° Confirmatur ex Prophetis: Oseas (6) novum praenuntians foedus, ait; Spiritum Sanctum Ecclesiam sibi in perpetuum sponsurum: «*Sponsabo te mihi in sempiternum, et sponsabo te mihi in justitia et judicio et in miserationibus; et sponsabo te mihi in fide... et dicam non populo meo, populus meus es tu.*» De qua prophetia conferas Ap. Paulum (7) et Ap. Petrum (8).

82. 5.° Hieronymus (9), illa commentans Apostoli verba, *Ecclesia subjecta est Christo,* ait: «Qui ergo peccator est, et »aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi (electa, nempe, et in »vitam aeternam fructificante) non potest appellari, nec Christo »subjectus dici.» Pariter Augustinus, super illud, *Christus pro impiis mortuus est* (10): «Ecclesia, ait, amata est foeda ne re-

---

(1) I.ª Cor. XIII, 1.— (2) Ephes. V.— (3) Matth. XXIV, 9-13.— (4) I.ª Cor. XIII, 8.- (5) Matth. XIII.—(6) II, 19, 20, 24.—(7) Rom. IX.—(8) I.ª, II, 10.—(9) In Ephes. V, 24.—(10) In Ps. 44.

»maneret foeda... evertit foeditatem, formavit pulchritudinem.» Tertullianus (1) cum haereticorum sectis Ecclesiam Sanctam confert et ait; «Ubi Deus non est, nec veritas ulla est. Ubi veritas »nulla est, merito et talis disciplina est. At ubi Deus, ibi metus in »Deum, qui est initium sapientiae. Ubi metus in Deum, ibi gra»vitas honesta... subjectio religiosa... Ecclesia unita, et Dei om»nia.» Irenaeus docet, dilectione ubique Ecclesiam roborari (2): «Quapropter Ecclesia omni in loco, ob eam quam habet »erga Deum dilectionem, multitudinem martyrum in omni tempore »praemittit ad Patrem.» Praeclare Justinus M. rem confirmat in Apologia 1.ª ad Antoninum Pium: exponit religionis Christianae doctrinam, ritus, mysteria, mores, pietatem, castitatem, et adjicit: «Qui non ita vivere comperiuntur, sicut Christus docuit, »certum est indicium eos non esse christianos, quamvis doctrinam »Christi lingua profiteantur...; quos a vobis puniri rogamus.»

Nobis catholicis aliud suppeditat experientia argumentum; nam constanter Ecclesia Martyrum fulget coronis pro fide obeuntium, Confessorum heroicis virtutum exemplis, et ad omnem ubique terrarum sublevandam indigentiam sive corporum, sive animarum, praeclaris charitatis operibus. Et sane promisit Christus, Spiritum Sanctum in aeternum cum Ecclesia permansurum (3); deficere ergo nequeunt sanctitatis fructus (4): «*Fructus Spiritus est, charitas...*» etc.

II.ª Pars probr.

83. **Nota**: Christi Ecclesiam ab initio per Spiritus Sancti virtutem suscepisse donum miracula patrandi cum aliis divinis charismatibus, seu supernis donis; quod nemo in dubium vertet, si sacris Litteris fidem, saltem historicam, adhibeat; ex quibus pariter edocemur, ejusmodi dona ad ejusdem Ecclesiae utilitatem data a Deo fuisse, id est, ad eam fundandam, propagandamque. Dicimus ergo adversus haereticos ac sectarios quoslibet: ejusmodi charismata non pro ortu tantum et primis Ecclesiae exordiis fuisse illi concessa; sed ut cum ipsa permanerent, iisdemque effulgeret et commendaretur opportuno loco et tempore: neque enim, primis illis quoque temporibus, fideles omnes hisce gratiis donabantur; vel passim iis uti concedebatur, cum illa suscepissent, sed pro opportunitate tantum.

84. Probr. 1.º Nobis catholicis praesto est Concilii Vaticani (5) doctrina, quae sic se habet. «Ut officio veram fidem »amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere posse-

(1) L. de Persev. ad finem.—(2) Adv. Haeres. l. 4, c. 33.—(3) Jo. XIV, 16. —(4) Gal. V, 22.—(5) C. *Dei Filius*, c. III.

»mus. Deus per Filium suum unigenitum, Ecclesiam instituit, »suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea, tamquam »custos et magistra verbi revelati, ab omnibus posset agnosci. »Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae »ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam »mira divinitus sunt disposita.» Atqui inter notas quibus Christus Ecclesiam instruxit, ut divinitus instituta eluceret, miracula ac cetera inveniuntur Sp. Sti. charismata; ergo vera Christi Ecclesia iis debet fulgere, ut ab omnibus possit cognosci. *Minor* patet ex SS. Litteris (1). «*Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint haec sequentur: in nomine meo daemonia ejicient*, etc. *Illi autem profecti, praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis.*» Hinc cognovit Petrus (2), fuisse electos ad Christi Ecclesiam, etiam gentiles, quia Spiritus Sanctus cum suis charismatibus in ipsos quoque effusus est; eaque ratione Judaeis in Jerosolymitano Concilio (3), persuasit, esse gentiles suscipiendos. Denique hujus rei testem habemus unanimem Christianae Ecclesiae Jerosolymis nascentis consensum: (4. « *Et nunc, Domine, respice in minas eorum, et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum Dei, in eo quod manum tuam extendas ad sanitates, et signa et prodigia fieri per nomen sancti Filii tui Jesu.*» In re adeo comperta, quid plura?

85. Probr. 2.° Apostolus Corinthios divinam edocuit in Ecclesia aeconomiam circa Sp. Sancti charismata (5), ex qua doctrina intelligimus: a) Ejusmodi dona ab Spiritu Sto. dantur ad fidelium utilitatem, et ut sint corpus Christi: ergo Ecclesia cui insunt ejusmodi charismata est vera Ecclesia Christi; quae cum sit unica, ut dictum supra, nulla alia secta, iis carens donis, esse potest Christi Ecclesia. Quid prodest ergo tergiversari, haeretice et schismatice, utrum debeat Christi Ecclesia iis fulgere charismatibus, necne? De facto illis Catholica Ecclesia a Spiritu S. donatur; ideoque *Spiritui Sancto resistitis sicut patres vestri, ita et vos.* Sed novimus, quidem, infidelium, seu rationalistarum mirabilem logicen; a priori, nempe, rei possibilitatem vel exigentiam respuunt; deinde ad facta perspicua et indubitata oculos pertinaciter occludunt.

86. b) Non omnibus tribuit Sp. Sanctus sua omnia charismata; ut quemadmodum corpus nostrum non est unum membrum, sed multa, ita se habeat corpus Christi, sicque multa membra unum conficiant corpus (6). «*Omnia autem membra non eumdem actum*

---

(1) Marc. XVI, 16, 17, 20. – (2) Act. X, 45, 46. – (3) Ibid. XV. – (4) Act. IV, 29, 30. – (5) 1.ª Cor. XII, I, 14. – (6) 1.ª Cor. V, 12.

habent: ita multi unum corpus sumus in Christo; habentes donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes; sive prophetiam...» etc. (1). Ex quibus facile argumentaberis: Voluit Spiritus S. in constitutione corporis Christi, quod est Ecclesia, ut esset varietas membrorum, unumquodque cum suo proprio actu, id est, cum suo charismate: «*Alii per Spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno Spiritu; alii operatio virtutum; alii prophetia...* etc.» (2). Atqui Ecclesia a Christo per Sp. Sanctum constituta debet in perpetuum, usque ad seculorum finem, permanere: ergo sicut corpus, ita et membra cum suis actibus, id est, charismatibus, perdurare oportet. «*Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Quod si essent omnia unum membrum: ubi corpus? Si totum corpus oculus, ubi auditus?*»

87. Si finem Spiritus Sancti spectes in his membris et actibus in Ecclesia constituendis, aliud facillime promes concludens argumentum. Universim quidem prospexit Deus, in ista Spiritus Sancti manifestatione, *Ecclesiae utilitatem* (3): differentiam autem membrorum et distributionem actuum, seu charismatum, constituit, «*ut non sit schisma in corpore, sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Non potest oculus dicere manui: opera tui non indigeo; aut caput pedibus: non estis mihi necessarii: sed multo magis quae videntur corporis membra infirmiora esse, necessariora sunt. Vos autem estis corpus Christi et membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum... etc. Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophethae? numquid omnes doctores? numquid omnes virtutes?...*» etc. (4). Atqui permanet semper illa Ecclesiae utilitas, quod in ea *manifestetur* Spiritus Sanctus; urget quoque pro semper necessitas ne sit in ea schisma, ut sollicita sint ad invicem membra, et necessaria: ergo et necessum est, ut permaneat illa charismatum distributio, ad eum scopum per Spiritum Sanctum constituta.

Ideoque exinde agnoscimus, haeretice; inde arguimus, schismatice; non apud vos Christi Ecclesiam quaerendam: nam dicitis: sufficit fides, sufficit scientia; totum corpus est unum membrum; cetera autem despicitis dicentes: *non estis mihi necessaria:* Apostolo ergo contradicitis, et Ecclesiam, corpus Christi, evertitis.

88. Pr. 3.° SS. Patrum quoque aliqua proferemus testimonia, quibus charismatum in Ecclesia perseverantia demonstretur. S. Ire-

(1) Rom. XII, 4-6.—(2) 1.ª Cor. XII, 8-10.—(3) Ibid. 7.—(4) Ibid. 25 21 22. 27-30.

naeus (1) ait: «Alii enim (christianorum) daemones excludunt »firmissime et vere, ut etiam saepissime credant ipsi qui mundati »sunt, et sint in Ecclesia; alii autem et praescientiam habent futu- »rorum, et visiones et dictiones propheticas; alii autem laborantes »aliqua infirmitate per manus impositionem curant et sanos resti- »tuunt.» Imo et in hoc discerni a catholicis haereticos docet ipse (2): «Non possunt (haeretici) caecis donare visum, neque surdis audi- »tum, neque omnes daemones effugare... neque debiles aut paraly- »ticos, aut claudos restaurare: tantum absunt ab eo ut mortuum »excitent, quemadmodum Dominus excitavit, et Apostoli per ora- »tionem, et saepissime in fraternitate, propter aliquid necessarium, »Ecclesia in quoque loco universa per jejunium et supplicationem »multam postulante, reversus est spiritus mortuo, et donatus est »homo orationibus Sanctorum.» Et S. Justinus (3): «Hoc ip- »sum ex his, quae sub aspectu vestro fiunt, intelligere potestis.» Ecce ipsos imperatores testes appellant, miraculorum, quae «per- »multi christianorum, per nomen Jesu Christi perficiebant.» Ter- tullianum videas, in lib. *Ad Scapulam*, c. 2 et 4. Origenes, contra Celsum disputans (4), virtutem miraculorum tunc super- fuisse apud eos qui ex legis christianae praeceptis vitam suam mo- resque exigebant, nos edocet; et alibi (5): «Non amplius sunt pro- »phetae, ait, non miracula (apud Judaeos); cum contra, apud »christianos etiamnum miraculorum aliquantum supersunt ves- »tigia, imo majora, quam apud illos fuere, aliquando fiant; et si »hac in re quid ponderis habet nostrum testimonium, nos ipsi vi- »dimus.»

Ecclesiam miraculis commendari, iisdemque haereticos damnari, docet Augustinus (6): «Dubitabimus nos ejus Ecclesiae conde- »re gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab Apos- »tolica Sede per successiones episcoporum, frustra haereticis cir- »cumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim concilio- »rum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, »culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summae »profecto impietatis est, vel praecipitis arrogantiae.»

Miracula non pauca suo tempore emicuisse, testem eumdem ha- bemus Augustinum (7): «Nam etiam nunc fiunt miracula in »ejus (Christi) nomine, sive per orationes, vel memorias sancto- »rum ejus; sed non eadem claritate illustrantur, ut tanta, quanta »(priorum illa seculorum), gloria illustrentur.» Et ipse, occulatus

---

(1) Adv. haeres. L. II, c. 32. — (2) L. I^c c. 56. —(3) Apolog. I, ad Imper. — (4) L. I, n. (321) 2.— (5) L. II, n. 11.— (6) Adv. Manich. c. 16, n. 34.— (7) De Civit. Dei, l. 22, c. 8.

testis, narrat plura. Deinde adjicit: «Si miracula sanitatum, ut alia »taceam, ea velim tantummodo scribere... plurimi conficiendi sunt »libri... Id namque fieri voluimus (ut scriptis aliqua traderentur), »cum videremus antiquis similia divinarum signa virtutum etiam »nostris temporibus frequentari; et ea non debere multorum noti»tiae deperire.»

89. Idem confirmat Gregorius M. (1): «Corpora SS. Petri et »Pauli Apostolorum tantis in Ecclesiis suis coruscant miraculis »atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore »possit accedi... De catenis quas ipse S. Paulus apostolus in col»lo et in manibus gestavit, multa miracula in populo demonstran»tur.» Quod autem frequentiora initio Ecclesiae fuerint miracula, rationem ipse tradit (2): «Tunc quippe sancta Ecclesia miraculo»rum adjutoriis indiguit, cum contribulatio persecutionis pressit. »Nam, postquam superbiam infidelitatis edomuit, non jam virtu»tum signa, sed sola merita operum requirit: quamvis et illa, cum »opportunitas exigit, ostendat.»

90. Objectabis. 1.° Juxta catholicitatis Ecclesiae, supra (3) traditam, rationem et ideam, oportet esse totam in partibus; si igitur informanda est Christi Ecclesia Spiritus S. charismatibus, necessum erit in particularibus quibusque Ecclesiis eadem effulgere dona: atqui saepe saepius in his minime effulgent: ergo neque universalis Ecclesia iis indiget ornari charismatibus.

Resp. Dist. *maj.* Particulares Ecclesiae Spiritus Sancti debent effulgere donis *cum opportunitas exigit;* conc. Constanter; nego *min.* et *conseq.* Vide Gregorii M. sententiam nuper laudatam, nec non Notam supra positam (n. 83). Et quidem experientia edocemur, ex quavis Ecclesiae parte christianos sanctitate eximios exurgere, et ceteris Sp. Sancti charismatibus saepe eos commendari, ut in Sanctorum canonizatione fit manifestum; per viros quoque apostolicos vel fidelium preces divina plurima fieri signa, praesertim ubi fides inter infideles propagatur, vel ubi periclitatur.

91. Obj. 2.° Paulus aperte innuit, charismata omnia, si charitatem excipias, deficere in Ecclesia posse. Ait enim (4): «*Charitas numquam excidit: sive prophetiae evacuabuntur, sive linguae cessabunt*, etc.» Non ergo oportet Spiritus Sti. charismatibus veram Christi Ecclesiam enitere.

Resp. Dist. *ant.* In Ecclesia coelesti, seu triumphanti, deficient Sp. Sancti charismata; conc. In terrestri, seu militanti; nego *ant.* «*Cum autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte*

(1) Ep. 30 ad Constantin. Aug.—(2) L. 27 in Job, c. 18.—(3) Nn. 73, 74.—(4) I.ª Cor. XIII, 8.

est» (1): hinc potius inferes, non evacuanda superna ista dona, donec «*quod perfectum est venerit:*» juxta axioma illud: «Exceptio firmat regulam in contrarium.»

Inst. Loquens Apostolus de charismatibus, quae nunc manere oportet, ait (2): *Nunc autem manent, fides, spes, charitas, tria haec: major autem horum est charitas:* Cetera ergo non opus est in Ecclesia semper durare.

Resp. Dist. *ant.* Loquitur Apostolus *tantum* de charismatibus quae nunc manere oportet; nego. Loquitur etiam de iis charismatibus quae nos emulari debemus, et quantum possumus sectari; conc. *ant.* Unde nunc tria haec dona sunt quae vult Sp. Sanctus ab omnibus possideri Ecclesiae membris; cetera autem dividit *prout vult: Numquid omnes apostoli? numquid omnes prophetae...* etc. Proinde dist. *consequens:* Cetera non opus est in Ecclesia semper manere, ita ut, ab omnibus fidelibus aemulentur et possideantur; conc. Ita ut in tota Ecclesia universim deficiant; nego *conseq.*

ARTICULUS II.

De proprietatibus Ecclesiae Christi causaliter inspectae.

THESIS XI.

Ecclesia Christi, non solum quatenus est societas credentium, sed etiam qua universale exercet magisterium a Christo susceptum, est infallibilis, seu errare non potest in fide et moribus.

92. **Nota.** Infallibilitas Ecclesiae, quatenus divinae credentis revelationi, dicitur infallibilitas *passiva;* quatenus autem docentis, *activa* solet, apud aliquos auctores, nominari. *Activa* infallibilitas, ut planum est, iis tantum debet Ecclesiae membris concedi, quibus munus universalem Ecclesiam docendi commissum est: *passiva* vero quaelibet tantum consequitur membra, quae Ecclesiae docenti firmiter adhaerent; at universim numquam a fidei et bonorum morum doctrina aberrabit.

93. Pars 1.ª Theseos prob.

1.° Si posset circa christianam doctrinam ad fidem et mores spectantem, Ecclesia errare, ipso facto deficeret Christi Ecclesia. Sed statuit Christus Ecclesiam perpetuo duraturam. *usque ad consum-*

---

(1) 1.ª Cor. XIII, 10.—(2) Ibid. 13.

mationem seculi (1): ergo. *Maj.* probr. Christi Ecclesiam constituentes debent in ejusdem fidei professione consentire et sanctitatem vitae colere (2). Atqui ex quo erraret Ecclesia circa Christi doctrinam, non esset consentiens cum Ecclesia quae integram tenuit: ergo ipso facto deficeret vera Christi Ecclesia.

2.° Fidem charitate formatam, et reliqua Spiritus S. charismata in Ecclesia deficere numquam posse, nuper (thes. praec.) ostensum est; fidem autem unum esse ex praecipuis charismatibus, docet Paulus (3): sed deficeret ipsa fides, si Ecclesia a Christi doctrina erraret aliquando: ergo Ecclesia Christi, qua societas est credentium, errare nequit.

94. 3.° Clare et explicitis verbis promisit Christus Ecclesiae perpetuam in doctrina sua inerrantiam: *Rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum; Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere... Haec locutus sum vobis apud vos manens; Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis* (4), Similiter Paulus asserit, esse Ecclesiam Dei vivi, domum Dei, *columnam* et *firmamentum veritatis* (5): error ergo sedem in Ecclesia habere non potest.

95. 4.° Constanter Ecclesia omnes in fide errantes anathemate perculit, ut a se alienos; ipsi quoque haeretici, fidei praetextu adversus Ecclesiam insurrexerunt; ergo consensus est, in hac re, universalis: cum errore nempe circa verbum Dei non posse Christi subsistere Ecclesiam. Hinc Hieronymus ait (6): «Pluit Dominus »super unam civitatem, verae confessionis Ecclesiam, et super al»teram non pluit, quae in haereticorum conciliabulis est. Quum»que illa imbrem recipiat sempiternum: ista jugi ariditate sicca»tur... In illa aquae sunt abundantes, fidei, spei, et charitatis.»

Insuper Augustinus clare confirmat: « Disputare contra id, »quod universa Ecclesia sentit, insolentissimae insaniae est» (7): praeterea, ait ipse (8): «Ecclesia Dei, inter multam paleam, multa»que zizania, constituta, multa tolerat: et tamen quae sunt contra »fidem vel bonam vitam non tolerat, nec tacet, nec facit.»

II.ª Pars prob.

96. 1.° Ad fidem quoque catholicam pertinere hanc theseos partem, ex Vatic. Concilio edocemur (9) «Illi qui fidem sub »Ecclesiae magisterio susceperunt nullam unquam habere possunt »justam causam mutandi, aut in dubium eamdem fidem revocan-

---

(1) Thes. I, n. 6. – (2) Thes III, et X. — (3) 1.ª Cor. XII, 9; et XIII, 13. — (4) Joan XIV, n. 16, 17, 25, 26. — (5) I.ª Tim. III, 15. — (6) In Joel, IV, 7. – (7) Ep. 118, (vel 54) n. 6. – (8) Ep. 119 (vel 55) n. 35. – (9) C. *Dei Filius*, c. III.

»di.» Et rursus ait (1): «Romanum Pontificem ea infallibilitate pol-»lere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctri-»na de fide vel moribus instructam esse voluit.»

97. 2.° Dominus Jesus Christus. Ecclesiae loquens docenti ait: *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur* (2): Atqui fides christiana non potest nisi de veritate, seu verbo Dei, haberi: ergo Ecclesia docens errare non potest. *Min.* patet ex Apostolo (3): *Gratias agimus Deo sine intermissione: quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis qui credidistis.* Nempe ipse Christus dixit (4): *Qui vos audit, me audit.*

98. 3.° Ecclesia docens, in primo habito Hierosolymis Concilio (5), sic locuta est: *Visum est Spiritui S. et nobis.* Sic et de primo oecumenico Conc. Nicoeno ajebat S. Athanasius (6): «Verbum Dei per oecumenicam Synodum Nicoenam manet in »aeternum.» Sanctus quoque Gregorius (7): «Sicut sancti Evan-»gelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere et venerari »me fateor.» Atqui ex Ecclesia docenti coalescunt Concilia: ergo.

4.° Ecclesia universa tenetur, ex Christi D. mandato et institutione, docentem Ecclesiam audire, doctrinamque profiteri; si ergo posset haec circa verbum Dei in errorem incidere, similiter Ecclesia tota erraret. Sed hoc evenire nequit, ut probatum habemus; ergo neque valet Ecclesia docens errare. *Major* superius fuit demonstrata (n. 25, Thes. V).

99. Obj. 1.° Paulus dicit de Judaeis (8): *Non est intelligens, non est requirens Deum, omnes declinaverunt...* Ergo in vera Dei Ecclesia et sanctitas et fides possunt totaliter deficere.

Resp. 1.° Non eaedem elucent promissiones pro Synagoga Judaeorum, ac pro Christi Ecclesia; adeoque nego *consequentiam:* ipse Apostolus testatur, praestantiori modo in Nova Lege elucere justitiam Dei per fidem Jesu Christi (9).

Resp. 2.° Haec dixit Paulus, quatenus virtute Legis nullus poterat justificari, sicque omnes sub peccato erant, conc. Quasi omnes fide carerent, et gratia, quam etiam virtute meritorum Christi suscipiebant; nego. Nam, ut docet ipse Apostolus (10): *Bibebant de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus.*

---

(1) C. *Pastor aeternus*, c. IV.—(2) Marc. XVI, 15, 16.—(3) I.ª Thess. II, 13.—(4) Luc. X, 16.—(5) Act. XV, 28.—(6) Ep. ad Africanos.—(7) Epist. l. I, ep. 25.—(8) Rom. III, 11.—(9) Ibid. III, 21.—(10) I.ª Cor. X, 4.

Obj. 2.° Isaias ait (1): *Speculatores ejus caeci omnes, nescierunt universi. Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam.* Ergo Ecclesia docens errare potest.

Resp. 1.° Propheta Judaeorum pastores arguit: unde nego *conseq.*

Resp. 2.° Ad Regnum Israel, a Synagoga disjunctum, respiciunt verba Isaiae: ideoque haereticos et schismaticos urget objectio ista.

100. Obj. 3.° Hieronymus (2), totum orbem fuisse Ariano errore infectum per Ariminense Conc., testatur: «Tunc ingemuit »orbis, et Arianum se esse miratus est.» Ergo sive ut docens, sive ut credens, potest Ecclesia in fide errare.

Resp. PP. Concilii Ariminensis subscripserunt sane formulae, seu symbolo fidei ab episcopis Arianis proposito: quod, sensu obvio intellectum, nihil prae se fert erroneum: quia autem aliqua praetermittit ad fidem spectantia a Nicoeno Concilio definita, exinde episcopi Ariani deduxerunt, fuisse Nicoenam fidem rejectam.

Unde patet; 1.° nihil fidei adversum credidisse, vel definivisse Conc. Ariminense, sed tantum in re disciplinari fuisse deceptum: cum enim in nullo fidei symbolo veritates omnes revelatae scribantur: utrum haec vel illa fidei veritas sit in symbolo, juxta temporum congruentiam, consignanda, ad disciplinam pertinet.

2.° Falso et mendose deduxerunt Ariani fuisse fidem Nicoenam rejectam; nam primum ante subscriptionem, proclamari voluerunt episcopi catholici, nullum sensum erroneum in eo symbolo adversus Filii divinitatem intendi: quod, captiose tamen et mendose, Ariani fassi sunt: deinde, post subscriptionem, cum exultarent haeretici, quod fidei Nicoenae fuisset derogatum, episcopi catholici protestati sunt, nihil ejusmodi a se fuisse intellectum, et acta resciderunt.

3.° Denique, neque tota Ecclesia docens formulam illam suscepit: cum Summus Pontifex, innumeris aliis consentientibus episcopis, eam damnaverit; neque eidem *Ecclesia credens* fidem praebuit; quod ipsa Hieronymi verba, in objectione posita, clare ostendunt: «Tunc ingemuit orbis...»

SCHOLION.

101. Pauca hic adjicienda, de Ecclesiae circa *facta dogmatica* definienda auctoritate. Quaestio haec a theologis introducta protervitatis jansenisticae occasione, qua decisionibus obsistebant Apos-

(1) LVI, 10, 11.—(2) Contr. Lucifer.

tolicae Sedis, propositiones et librum Jansenii, aliorumque sectatorum damnantis. Ajebant, scilicet, Jansenii fautores: propositiones istas, in se, seu, absolute inspectas, jure suo damnat Ecclesia; utrum autem eas docuerit Jansenius, vel in eodem erroneo sensu in libro Jansenii jaceant, nec id ad fidem pertinet, neque ad id definiendum infallibilis est Ecclesia. Ut autem quaestionem hanc paucis absolvamus:

102. **Nota**. 1.° Agitur de propositionibus (sive scriptis, sive mere prolatis) circa res dogmaticas, seu fidem et mores versantibus, ut planum est: dedit enim Christus Ecclesiae facultatem docendi, quid sit credendum, quidve faciendum ad vitam assequendam aeternam; non autem, quid sit triangulus, vel circulus.

2.° Sermo est de propositionibus et libris, non quidem ad sensum in mente auctoris latentem intelligendis; «*de occultis enim*, ut jam fert effatum, *non judicat Ecclesia;*» sed juxta sermonis, vel libri contextum significantibus in datis circumstantiis.

3.° Proinde non de nudo aliquo facto, quod acciderit, definiendo est quaestio; puta, Jansenius scripsit talem librum, vel in tali libro legitur haec vel illa propositio; nec de directa dogmatis definitione; ex. gr. «ad meritum vitae aeternae Christi gratia requiritur;» sed de dogmate cum facto aliquo nexum habente; puta, «sensus quem »prae se fert, juxta contextum et scripturae proprietatem, liber qui »*Augustinus* dicitur, est haereticalis, vel, è contra, sanae ac catho»licae doctrinae; quae Nestorius protulit verba, perpensa vocum »proprietate et verborum textura, talem haeresim vel errorem do»cent.»

103. **Dico**: Ecclesia infallibilis est in factis dogmaticis dijudicandis.

Probr. 1.° Cum duae veritates invicem connexae existunt, infallibilitas in una docenda exigit ex aequo infallibilitatem in altera; è contra, qui in una falli potest, etiam in altera. Sed in quolibet magisterii Ecclesiae actu, factum aliquod est intime connexum cum veritate dogmatis; ergo si in dogmatibus tradendis errare Ecclesia non potest, neque in factis errabit dogmaticis.

Min. prob. Duplici via dogmata docet Ecclesia; vel per scripta, vel orali traditione; quod et ipsi fecerunt Apostoli, ut notum est. Atqui oralis traditio, seu locutio verbalis, connexa cum facto existit; scilicet, ex placito seu conventione hominum verba, quibus Ecclesia loquitur, hanc vel illam habent significationem: quod est *factum:* et similiter, litterae, quibus scripturas exarat, haec vel illa indicant verba ex communi hominum litteratorum consensu; quod est *factum* etiam: ergo in quolibet magisterii Ecclesiae actu... etc.

Prob. 2.° Ideo infallibilitatis donum dedit Sp. Sanctus Eccle-

siae, ut in salutari doctrina fideles pasceret, a prava autem averteret: *Pasce oves meas, pasce agnos meos* (1). Sed nec pasceret Ecclesia populos salutari doctrina, nec a prava averteret; si in librorum vel sermonum sensu, juxta contextum, dijudicando, erraret quandoque: ergo infallibilis est circa facta dogmatica. *Minor* perspicua est: nam neminem latet, sententiarum sensum nonnisi ex sermonis et scripturae contextu definiri posse; ut ipsi fatentur jansenistae, quo Jansenii tueantur librum. Unde falli potuisset Petrus cum Pauli approbavit epistolas (2); errare potuit et Paulus, cum flammis tradi jussit pravae doctrinae libros (3): potuisset Ecclesia populum christianum a Chrysostomi concionibus prohibere, vel è contra Nestorii commendare sermones; putans, ex contextu, errores illum, hunc autem dogmata fidei disseminare.

3.° Ex perpetua Ecclesiae praxi confirmatur. Ut enim depositum custodiret sanae doctrinae, constanter anathemati subjecit tum erroneos libros, tum eorum auctores, non vero solas ac sejunctas dogmaticas propositiones; ergo parem accepit a Christo auctoritatem tum absolute, tum juxta sensum auctorum, dijudicandi. Conc. Nicoen. I. et Arium et ejusdem verba ac scripta anathemati subjecit. Pariter, tum Concilia, tum Romani Pontifices Pelagianorum libros damnarunt, et illos ad errores retractandos perduxerunt, vel anathemate mulctarunt. Conc. Gener. V. «Theo»dorum ac *impia ejus scripta* anathematizavit, et *innumerabiles* »*quas dixit* blasphemias: » simili modo Theodoreti scripta et Ibae. Sed passim ejusmodi occurrunt in historia Ecclesiae exempla.

104. Obj. 1.° Non est infallibilis Ecclesia, nisi in verbo Dei scripto vel tradito edocendo. Atqui librum Jansenii haereses continere, Nestorii sermones fidei adversari, in nullo Dei verbo habetur: ergo in factis dogmaticis nequit Ecclesia esse infallibilis.

Resp. Dist. *maj.* Sumpto *verbo Dei* pro ea re tota, quam formaliter vel implicite significat, seu cum qua connexum existit; conc. *maj.* Sumpto *verbo Dei* pro formali seu explicita tantum significatione; nego. Deinde, contradistincta *minore*, nego *consequent.*

105. Obj. 2.° Exempla haberi judiciorum Ecclesiae de factis dogmaticis nemo negabit; at infallibilitate in hisce judiciis haud donari ipsa demonstrant exempla. Conc. Constantinopol. II *tria Capitula* damnavit, quae Conc. Chalcedonense innoxia habuerat: item Papa Vigilius primum judicavit non esse illa damnanda; postea tamen Concilii Constant. II sententiam approbavit: ergo vel primum vel postea erravit ea in re Ecclesia:

---

(1) Joan. XXI, 15.—(2) 2.ª Pet. III, 16.—(3) Act. XIX, 19.

atqui agebatur de trium episcoporum doctrina et libris, scilicet, de factis dogmaticis; ergo.

Resp. nego assertum. Ad probationem autem dico, *trium Capitulorum* historiam falso exponi. Nam in primis, Chalcedonensis Synodus a Constantinopolitano II in nulla re discrepavit; de primo enim *Capitulo*, ad Theodorum spectante, neque egit quidem: de aliis duobus *Capitulis*, ad Theodoretum et Ibam pertinentibus, cum videret Synodus eorum poenitentiae signa, et quod Nestorium anathematizabant, eos in communionem susceperunt, et sedibus suis restituerunt. Quo facto ostendit Synodus nullatenus eos innoxios judicasse. Concilium autem Constantinopolitanum Theodoreti et Ibae scripta solum damnavit, (de quibus nihil actum in Chalcedonensi), nec non Theodorum ejusque libros. Quod ad Pontificem Vigilium pertinet, numquam judicavit innocentes eos fuisse episcopos, vel sanae doctrinae eorum scripta; sed inopportunum primo censuit judicium de hisce rebus institui, et personas, quae in pace Ecclesiae jam obierant, condemnare; praesertim quod episcopi occidentales putarent orientales hanc damnationem *trium Capitulorum*, ut Chalcedonensi Synodo detraherent, urgere. Postea tamen, mutatis rerum adjunctis, subscripsit Vigilius damnationi ut majora caveret incommoda.

106. Obj. 3.° Conc. Sardicense et Julius R. P. catholica censuerunt Marcelli Ancyrani opera; postea tamen, cum Basilio et Chrysostomo, ut haeretica rejecerunt innumeri episcopi: ergo putarunt Romanum episcopum et generale Concilium in facto dogmatico erravisse.

Resp. Concesso *antec.*, negatur *consequentia*. Nam tradita a Marcello explicita catholicae fidei professione, loca dubia et suspecta operum Auctoris sana existimata fuere ad *sensum praesentem* ejusdem: postea autem, aliis in lucem editis a Marcello scriptis, quae haeresi favebant; priora quoque opera aliter judicanda erant, juxta *recentem sensum* auctoris. Unde patet, Ecclesiam non de sententiis, tantum sejunctim inspectis, ferre judicium; sed ad sensum auctorum, *prout exterius* se prodit, quidquid sit de interno et occulto eorum sensu.

Corollarium.

Ex hac Thesi inferimus, Ecclesiae definitiones circa fidem et mores sedem exhibere argumentorum in scientia theologica ineluctabilium. Pro recto autem illorum usu, vide Regulas supra traditas (1).

---

(1) Disquis. I, Prolegomena, n. 61.

THESIS XII.

Quam accepit Ecclesia docens et hierarchica ad docendum et regendum auctoritatem, eamdem habent Concilia universalia, seu oecumenica.

107. **Nota**. Oecumenica Concilia dicuntur illi Pastorum Ecclesiae conventus, qui Ecclesiae centro adherentes, seu Rom. Pontifici, ex generali ac legitima Episcoporum vocatione convenere.

Propositio ad fidem spectat catholicam, saepe ab Ecclesia explìcite vel implicite confirmatam.

108. Probr. 1.° Nobis catholicis, facto ipso et praxi perenni, ac totius Ecclesiae sensu, in primis elucet enuntiata thesis; nam auctoritate oecumenicorum Conciliorum, ab Apostolorum tempore (1) usque adhuc, dissipata fuere fidei dubia, damnatae haereses, et leges editae universales, ita ut, anathemati subjicerentur, et extra Ecclesiam fuerint projecti, qui sententiis universalis Concilii subjectionem detrectaverint. Hujusque facti nonnulla indicabimus testimonia.

a) In Professione fidei Tridentinae, a Pio IV per Const. «Injunctum nobis» praescripta, creditur: «Cetera item omnia a sacris »canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta »Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitan»ter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia damno, reji»cio et anathematizo.»

b) Martinus V. in Bulla «Inter cunctas.» jubet suspectos de errore interrogandos; «Utrum credat, teneat et asserat, quod quodli»bet Concilium generale, universalem Ecclesiam repraesentet.»

c) Conc. Lateran. sub Martino I decrevit (a. 649): «Si »quis secundum sanctos Patres non confitetur omnia quae tra»dita sunt et praedicata sanctae catholicae et apostolicae Dei Eccle»siae perindeque a sanctis Patribus et venerandis universalibus »quinque Conciliis usque ad unum apicem verbo et mente, condem»natus sit.»

109. 2.° S. Athanasius (2) ait, Concilium generale habere «auctoritatem divinam et Evangeliis *parem*.» Idem affirmat S. Cyrillus (3), et pariter Gregorius M. (4). S. Ambrosius docet, pro generali Concilio «moriendum potius quam ab eo discedendum» (5). Denique, sanctus Augustinus, quae hac in re esset tunc mens Ecclesiae aperte declarat (6): «Nec nos ipsi tale aliquid

---

(1) Vide supra, n. 41, a). (2) Ep. ad African. — (3) L. I de Trinit. — (4) L. I, ep. 24.—(5) Ep. 32.—(6)—*De bapt. contr. Donatis*, l. 2, 5.

»auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae concordissima auctoritate firmati: cui et ipse (Cyprianus) sine dubio cederet; si »jam illo tempore quaestionis hujus veritas eliquata et declarata per »plenarium Concilium solidaretur.»

Ecce eadem est universae Ecclesiae et plenarii Concilii auctoritas, qua rei cujuslibet dubiae veritas eliquatur et declaratur.

Ejusdem rei testem habemus S. Isidorum (1): «Canones Con»ciliorum generalium a temporibus Constantini coeperunt. In prae»cedentibus namque annis, persecutione fervente, docendarum »plebium minime dabatur facultas. Inde Christianitas in diversas »haereses est scissa: quia non erat licentia episcopis in unum con»venire... Inter cetera Concilia quatuor esse (scimus) venerabiles »synodos; quae totam principaliter fidem complectuntur quasi qua»tuor Evangelia, vel totidem paradysi flumina... sed et si qua sunt »Concilia, quae Sancti Patres, Spiritu Dei pleni, sanxerunt, post »istorum quatuor auctoritatem, omni manent stabilita vigore.»

110. 3.° Si carerent generalia Concilia ea summa auctoritate, qua donata a Christo fuit Ecclesia docens et hierarchica, inanis esset ejusmodi auctoritas, ideoque Christi providentia erga suam Ecclesiam deficeret: sed id repugnat, ut supra fuit statutum (2). Ergo... *Major*. prob. Inanis prorsus erit Ecclesiae auctoritas, si ad actus certos et efficaces non posset exire. Atqui, nisi auctoritas ista summa docendi et gubernandi insit Conciliis generalibus, ad actus certos et efficaces Ecclesiae hierarchicae auctoritas venire non poterit: ergo. *Major* probatione nulla indiget.

Minor igitur prob. a) In cunctis retro seculis, cum fides periclitabatur, vel mores erant reformandi, adhibuit Ecclesia docens et hierarchica, tamquam remedium, super aliud quodcumque eficacissimum, generalia Concilia: si ergo haec nutant, et summa orbantur auctoritate, ad actus certos et efficaces venire nequibit summa Ecclesiae auctoritas.

b) Sublatis et exauctoratis oecumenicis Conciliis, exercebitur Ecclesiae docentis et hierarchicae auctoritas, vel per particularia concilia ubivis collecta, vel per singulos Ecclesiae pastores sejunctim decernentes. Atqui nec his, neque illis data fuit summa auctoritas; nam innumera particularia concilia emendanda fuerunt a generalibus, et plurimi pastores, et episcopi et patriarchae in haereses prolapsi fuere: ergo nisi auctoritas summa insit... etc. Deinde, res foret fidelium coetui summe difficilis enumerare quot particularia concilia, quot episcopi in aliqua re decernenda, et quo sensu, inter

---

(1) Etim. l. 6, c. 61.—(2) Thes. I, n. 6.

se conveniant: atqui quod est valde difficile, evadit multitudini moraliter impossibile; ergo nisi auctoritas...

111. Obj. 1.° Si plura particularia Concilia, vel plurimi sejunctim episcopi in re aliqua decernenda consentirent, ita ut, major Ecclesiae hierarchicae pars idem judicaret; haberetur actus certus et efficax auctoritatis hierarchicae, non minus, imo plus, quam in decreto generalis Concilii, ubi non solet major pars convenire episcoporum: ergo etiamsi summa auctoritas non insit generalibus Conciliis, dari potest usus certus et efficax summae auctoritatis ecclesiasticae.

Respond. 1.° Distinguo *ant.* Haberetur actus certus et efficax. *plusquam* in decreto Concilii generalis; nego *ant.* Non enim ex numero Patrum, sed quod Ecclesiam repraesentet habet Concilium generale auctoritatem. Haberetur actus certus et efficax *non minus* quam in decreto generalis Concilii; subd. Si decreto illi particularium conciliorum, vel singularium episcoporum accederet summi Ecclesiae capitis, id est Romani Pontificis sententia: conc. *ant.* Sic, dum orientales Constantinopoli, occidentales episcopi Romae, consensu et consilio Damasi PP. convenissent, in eamdem fidem consenserunt; et inde habemus Conc. Constantinopolitanum I, oecumenicum II. Aliter; nego *ant.* Nam quam Christus D. instituit, quamque summa munivit auctoritate, hierarchia Ecclesiae, una sit oportet, idest, capiti suo conjuncta seu Romano Pontifici; uti supra ostensum est (1).

112. Obj. 2.° Ariminense Conc. generale errorem Arianorum confirmavit, fide Nicoena rejecta: ergo summa carent auctoritate generalia Concilia.

Resp. 1.° Nullum errorem docuisse Ariminenses patres, sed explicite errores Arianorum damnasse: consensisse tamen, pacis praetextu, (quod *pacis* nomen multos fallit et in transversum agit) cum Arianis in eo quod deleretur a Symbolo vox ὁμοούσιον *homousion*, quin rem significatam negarent: jam vero quod fidei dogma aliquod symbolo inserere oporteat, vel secus, res est ad disciplinam expectans.

Resp. 2.° Ariminense Concilium Romana sedes non probavit; non ergo Ecclesiam docentem refert, quae unitatem exigit hierarchicam (2), seu, ut capiti et centro adhaereat universali a Christo D. instituto. Unde Damasus PP. scripsit ad orientales episcopos: «Numerus episcoporum, qui Arimini congregati fuerant, prae»judicii vim habere non debet, quando quidem factum illud est non »consentiente Romanorum Episcopo, cujus ante alios oportebat ex»pectare sententiam.»

---

(1) Thes. VIII, n. 51.—(2) Thes. VII et VIII, n. 36.

113. Obj. 3.° «Concilia plenaria priora saepe emendari a posterioribus,» asserit Augustinus (1): ergo auctoritatem summam habere nequeunt, in docendo saltem.

Resp. Dist. *ant.* In decretis circa disciplinam versantibus, et mutatis adjunctis: conc. In definitionibus ad fidem vel mores pertinentibus: nego *ant.* et *consequentiam.*

Obj. 4. Gregorius Nazianz. (2) ajebat: «Ego, si vera »scribere oportet, hoc animo sum; ut omnem episcoporum con»ventum fugiam, quoniam nullius Concilii finem laetum et faustum »vidi, nec quod depulsionem malorum, potius quam accessionem »et incrementum, habuerit.» Sed rem inutilem, imo nocuam, instituisse Christum nemo prudens censebit; ergo nequeunt Concilia universalia potestate suprema Ecclesiae esse munita.

Resp. 1.° non agit Gregorius de legitimis conciliis *secundum se* inspectis, sed quatenus saepissime iis homines abutuntur, uti Paulus (3) de Lege loquebatur. Et quidem Nicoeni auctoritatem et decreta constanter propugnavit; et in Constantinopolitano I actor fuit, et ad Patres orationem habuit. Tamen, numquid Nicoeni finem *faustum* dicemus, cum arianismus per longum tempus tot induxerit calamitates? Et Constantinopolitani finem *laetumne* dixerit Nazianzenus, qui sedem et officium in eo deposuit?

2.° Non de omnibus agebat Nazianzenus conciliis, sed de iis quae ipse *viderat:* cum enim eo tempore scateret orientalis Ecclesia haeresibus, frequentissimi erant illegitimi episcoporum conventus, legitimorum autem tristis evadebat passim exitus.

SCHOLIA.

§ I.

A quo convocandum Concilium generale.

114. **Dico I.** Ut generale Concilium legitime inchoëtur opus est, ut ab Ecclesiae capite; id est, a Romano Pontifice, congregetur, vel explicite et formaliter, vel saltem implicite, seu cum assensu ipsius.

1.° Patet ex antiqua lege et consuetudine celebrandi generalia Concilia: nam etiamsi Imperatorum Rom. tempore, in Oriente fue-

---

(1) *De bapt. contra Donat.* l. 2, 4.—(2) Ep. 130, ad Procop.—(3) Rom. VII.

rint aliqua Concilia illorum jussu convocata, non nisi accedente Rom. Pontificis consensu effectum habuere; actio autem Imperatoris adhibebatur ut mere executoria, et ad obstacula removenda, et subsidia tribuenda tum episcoporum viatico, tum ipsi Concilio.

2.° In Conc. oecumenico IV (Chalcedonensi) Legati pontificii Dioscorum, patriarcham Alexandrinum, in Actione 1.ª statim accusarunt, quod Concilium generale, absque Romani Pontificis auctoritate, convocare ausus esset: «Quod numquam fac»tum fuit, numquam licuit.» dicentes. Item, in Oecum. VII (Nicaeno II), Act. 6.ª, reprobarunt Patres Iconomachorum Conciliabulum, «Quia non habuit cooperantem illius temporis Papam »vel sacerdotes ejus, neque, per legatos, neque per encyclicam epis»tolam, ut postulat lex Conciliorum.»

3.° Ratio est, quia convocatio generalis Concilii respicit universalem Ecclesiam: sed principes laici in Ecclesiam nulla gaudent actione: episcopi, etiamsi patriarchae vel cujusvis auctoritatis, non nisi restrictam habent: solus autem Rom. Pontifex est totius Ecclesiae caput, ut probatum fuit: ergo a Pontifice Rom. tantum potest Concilium universale legitime convocari.

115. Dices 1.°: potest accidere quod schisma fiat inter dubios Pontifices: poterunt ergo convenire episcopi ut bono universali provideant, seu ut Concilium habeant generale.

Resp. Nego *conseq.* Non enim ad Concilium universale poterunt convenire, sed tantum ut provideant electioni episcopi romani, (qui exinde erit summus pontifex), si aliud non suppetat medium canonicum ad electionem exequendam: qua perfecta, Pontificis erit, vel Concilium convocare, vel episcopos ad suas mittere sedes.

Dices 2.°: Quid si evaderet Papa haereticus?

Resp. Injuriosam esse hypothesim et temerariam, cum id per tot secula non evenerit: verum, ea data, id fieri oporteret quod Papa mortuo faciendum est; non autem universale Concilium, quod, sine capite, repugnat.

§ II.

A quo confirmandum Conc. generale.

116. **Dico II.** Ut effectum obtineant Concilii generalis decreta, debent a Romano Pontifice confirmari.

1.° Prob. Juris plurima sunt testimonia: antiquum refert Socrates decretum, nec non Sozomenus, auctores graeci, quo

id firmatur (1). Gelasius I (2) ait: «Quod firmavit in synodo »Sedes Apostolica, hoc robur obtinuit: quod refutavit, habere non »potuit firmitatem.»

2.° Facto ipso constat: omnia enim Oecumenica Concilia confirmationi Rom. Pontificis fuere subjecta: de Conc. I., id est, Nicaeno testatur Synod. Romana (a. 484) sub Felice III: «Tre»centi octodecim patres apud Nicaeam congregati, sequentes domi»nicam vocem, confirmationem rerum gestarum atque auctorita»tem sanctae Romanae Ecclesiae detulerunt.» Conc. Oecum. VII. Constantin. III sic scripsit Pontifici: «Quia autem ne»cessum est ut omnia quae consecuta sunt, sanctitati tuae signifi»centur, non potuimus non scribere.» Quid plura cumulemus? Si placeat, consulas Theologiae positivae, et SS. Canonum Auctores.

3.° Ratione facile confirmabis. Concilium generale eatenus Ecclesiae habet auctoritatem, quatenus eam repraesentat: atqui donec Capitis accedat assensus et adprobatio, nequit decretum ullum ab Ecclesia nuncupari, quae *una* essentialiter existit: ergo.

§ III.

A quo praesidendum Conc. generale.

117. **Dico III**: Praesidentia et regimen Concilii generalis ad Pontificem spectat Romanum, vel legatos ipsius.

Res aperta est: qui enim Ecclesiae praeest, ut caput et culmen sacrae hierarchiae, et Concilio generali praesidere debet, et agendis ab eodem. Hinc in Chalcedonensi Conc. non solum accusatus ac damnatus est Dioscorus, quod convocasset Conc. generale, sed quod, inconsulta Romana Sede, eidem praeesse sit ausus.

§ IV.

Qui convocandi ad Conc. generale.

118. **Dico IV**: Ad Concilium generale oportet omnes advocari Ecclesiae episcopos.

Id patet: quoniam omnes aequaliter positi sunt ab Spiritu S. ad regendam Ecclesiam Dei, ut testatur Apostolus (3): non esset ergo *generale* Ecclesiae Concilium, si aliqui excluderentur.

---

(1) Socrat., l. 2, cc. 8, 117: Sozom. l. 3, c. 10. — (2) L. de Anath. — (3) Act. XX, 28.

Non tamen opus est, omnes *de facto* accedere, qui jus habent; cum enim res sit moraliter impossibilis propter rerum humanarum contingentias: si caput Ecclesiae adest, et ea membra, quae moraliter cum ipso convenire queunt, moralis erit Ecclesia representatio. Deinde constanti experientia omnium seculorum patet; noluisse Deum moralem ejusmodi impossibilitatem miraculose impedire, sed eos tantum convenisse episcopos in generalia Concilia, prout rerum adjuncta patiebantur.

Nota: ex privilegio, praeter episcopos, posse advocari ad Concilia alios inferioris ordinis in ecclesiastica hierarchia, uti generales superiores Ordinum, abbates, etc. Delegata enim potestas tum ad docendum, tum ad regendum constanter in usu Ecclesiae fuit. (Vide Bellarminum, de *Conciliis, l. 1, c. 17 et seq.*)

Corollarium. Pro accurato deffinitionum conciliarium in doctrina theologica usu, recolas Regulas alibi (1) traditas.

§ V.

Quae sit auctoritas Conciliorum particularium.

119. Cum errare valeant Concilia, etiam universalia, donec a supremo capite fuerint confirmata, jure inquires; quam praeseferant auctoritatem particularia, seu regionalia concilia a catholicis episcopis legitime constituta?

Dico V. Si decreta mere disciplinaria ediderint particularia Concilia, vim legis habebunt in omni loco ditionis convenientium episcoporum.

Certa et catholica ejusmodi est propositio, et aperte fluit ex supra statutis. Et quidem Synodus Trid. (2) docet: «Episcopos, »qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum »ordinem praecipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei.»

Vide hac de re alibi laudata Patrum testimonia (3).

Nota: Juxta ordinariam episcoporum auctoritatem intelligenda est propositio: potest namque Summus Ecclesiae Pontifex suae subjicere revisioni et approbationi ejusmodi regionalium Conciliorum decreta, ut effectum obtineant.

120. **Dico VI.** Cum decreta proferunt doctrinalia peculiares (imo et generales) episcoporum conventus; [1]) etiamsi assensus fidei divinae minime debeatur;

---

(1) Disq. I, DE PROLEGOMENIS, n. 62.— (2) Sess. XXIII, C. 4.—(3) Thes. VI, n. 32.

[2]) obsequiosa tamen debetur reverentia, quatenus illis neque est contradicendum, neque assensu contrario renitendum; [3]) donec horum auctoritas, potiori vel aequali non eliditur auctoritate.

1.ª Pars ex eo patet, quod fides assensum *super omnia* firmum exigit; qui, proinde, non nisi infallibili congruit auctoritati.

2.ª Pars consequitur ex traditis: sunt, nempe, episcopi ad edocendos sibi subditos constituti qui proinde suum tenentur audire et sequi pastorem et doctorem, donec a jure suo non decidat.

3.ª Pars, praeterquam quod ex se patescit, ex Ecclesiae roboratur historia et exemplis. Cum Nestorius, Constantinopolitanus patriarcha errores populum suum concionando edocere tentavit, non tantum clerici et monachi haeresiarchae obstiterunt, sed plebs etiam laïcorum infremuit adversus lupum, non jam pastorem, gregem sibi commissum dilacerantem. Scilicet, communi fidelium sensu roborati et priorum episcoporum, quorum doctrinam et fidem susceperant, inhaerentes vestigiis, impii pastoris vocem audire renuerunt.

Ad rem apposite Augustinus (1): «Quis nesciat, sanctam »Scripturam canonicam... omnibus posterioribus episcoporum lit»teris ita praeponi, ut de illa omnino dubitari et disceptari non pos»sit, utrum rectum sit, quidquid in ea scriptum esse constiterit; »episcoporum autem litteras, quae post confirmatum canonem vel »scriptae sunt vel scribuntur, et per sermonem forte sapientiorem »cujuslibet in ea re peritioris, et per aliorum episcoporum gravio»rem auctoritatem, doctioremque prudentiam, et per Concilia licere »reprehendi, si quid in eis forte a veritate deviatum est? Et ipsa »Concilia, quae per singulas regiones vel provincias fiunt, plena»riorum Conciliorum auctoritati quae fiunt ex universo orbe chris»tiano, sine ullis ambagibus cedere?.... Nam et Concilia posteriora »prioribus apud posteros praeponuntur, et universum partibus »semper jure optimo praeponitur.»

THESIS XIII.

Romani Pontifices potestatem habent regendi et gubernandi universam Christi Ecclesiam etiam collectim sumptam; proinde Primatus ille quo donantur, quatenus centrum existunt et culmen christianae hierarchiae (2), non est solius honoris prima-

---

(1) De bapt. contra Donat. l. 2, 4 et 14. — (2) Supra Thes. VIII, n. 51.

tus. et veluti signum tantum unionis; sed primatus jurisdictionis, et una ac personalis suprema potestas.

Nota I.°: Complexa forsan admodum videbitur thesis haec; verum, si sensum perpendas, simplex est, nempe: *potestatem inesse Romanis Pontificibus regendi universam Ecclesiam;* cetera autem sensum explicant hujusce potestatis, vel consectaria sunt inde deducta. Quid enim indicatur regendae societatis potestate, nisi eam ad proprium finem ducendi moralis facultas? Quis autem sit Ecclesiae finis, supra dictum est (1).

Nota. 2.° Nonnulli, ex iis qui Gallicani olim vocabantur, cum Rom. Pontificum primatum authenticis probatum documentis negare omnino non valerent, eidem praecipuam vim detrahere conati sunt, dicentes: in mero honore et unitatis signo repositum esse. Propterea inferimus ultimum theseos consectarium ad ejusmodi improbandum errorem.

122. Probr. 1.° In primis ad fidem spectat catholicam theseos doctrina, a Concilio Vaticano confirmata (2): «Si quis dixe»rit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectio»nis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem »jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae »ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen »Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tan»tum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supre»mae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et »immediatam, sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et »singulos pastores et fideles; anathema sit:» Insuper constat thesis Concilii Florentini decreto eamdem definientis.

Nota. Cum clare elucescat Ecclesiae docentis auctoritas ad christianam doctrinam semper et ubique docendam (3), necnon et infallibilitas in verbo Dei tradendo (4): jure possemus hac una et prima ratione probationem theseos concludere; verum si forsan in ignarum aliquem vel protervum offendas, qui nolit Ecclesiam audire, antiquiora aliqua adjiciemus documenta.

123. Probr. 2.° Supra (5) ex SS. Litterarum testimoniis primatum ostendimus Petri et ejus successorum Rom. Pontificum; id est, centrum et culmen eos esse totius christianae et ecclesiasticae hierarchiae. Ex quibus sic argumentamur: testimonia ista, scilicet: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... Quaecumque solveris super terram, erunt... Pasce oves meas...* testimonia.

---

(1) Thes. IV, n. 21. — (2) *Pastor aeternus*, c. III. — (3) Thes. V, n. 25. — (4) Thes. XI, n. 92. (5) Thes. VIII, n. 51.

inquam, ista non solum honorem indicant, vel unitatis signum, vel loci praecellentiam, sed regendi potestatem seu jurisdictionem. Atqui honoris primatum, et signum unitatis, et praeeminentiam loci Ecclesiam respicere universam, etiam collectim sumptam, ut in Conciliis, fatentur adversarii; ergo vi eorumdem testimoniorum et pari jure fateri debent. Romanis Pontificibus fuisse jurisdictionem datam in universam Ecclesiam, etiam collectim sumptam. *Minorem* nequeunt adversarii in dubium revocare: etenim, Romanos Pontifices omnibus oecumenicis praefuisse Conciliis, omniaque adprobasse, quae autem non probaverunt vigore caruisse, universa testatur historia: ergo res est indubia, honoris primatum, praeeminentiam loci, et unitatis signum necessarium, respicere in Romanis episcopis universam Ecclesiam collectim sumptam.

Major autem propositio ita obvie elucet ex sola testimoniorum illorum lectione, ut prorsus supervacanea videatur ulterior explanatio. Vocat Christus Ecclesiam ovile suum, gregem suum, et committit Petro oves suas regendas, seu pascendas; numquid potest pastor oves pascere, sine regendi eas protestate? Seu, numquid potest societas ulla ad suum perduci finem, absque potestate gubernandi, id est, ad finem eam perducendi? Item: omnis societas in auctoritate et potentia regiminis solidatur et subsistit: sed fundamentum Ecclesiae constituitur Petrus cum successoribus suis, juxta laudata testimonia: ergo veram indicant jurisdictionem. Item: *claves* habere regni et civitatis, efficaciter posse *ligare* vel *solvere* in ordine ad societatis finem, non minus indicat jurisdictionem et potestatem, quam voces ipsae *jurisdictio* et *potestas*. Denique, episcoporum auctoritas ad oves sibi commissas gubernandas, non aliis clarioribus designatur verbis in sacra Scriptura: sed nullus dubitat episcopus de vera sibi tradita jurisdictione ad gubernandum; ergo neque dubitare fas est, in iis testimoniis, non de solo honore et praecellentia esse sermonem, sed de vera jurisdictione et gubernandi potestate. Christus ipse se pastorem, nosque oves suas appellat: sed abs dubio veram id jurisdictionem indicat in omnes oves, sive individuatim, sive collectim sumptas; hoc est enim pastoris propriissimum, oves suas regere tum singillatim, tum omnes simul; ergo dum ovium suarum pastorem constituit Jesus Petrum et successores ejus, dat pariter jurisdictionem in singulas et omnes simul.

124. Probr. 3.° In primis sententias perpendas supra (1) traditas, quibus vera jurisdictio et summa auctoritas Rom. Pontificis pates-

(1) Thes. VIII, n. 55.

cit. non autem mera ordinis praecellentia: videas ibidem (n. 56) et Athanasium idem testantem. Conc. Oecum. III Patres dixerunt in sententia adversus Nestorium: «Coacti per sacros cano»nes et epistolam Coelestini Romanae Ecclesiae episcopi, ad »hanc contra eum sententiam necessario venimus:» potestatem ergo exercebat regendi Ecclesiam, et quidem collectim sumptam. Romanus Pontifex. Synodus Oecumen. IV. sic Rom. episcopum rogabat: «Rogamus et tuis decretis nostrum honora ju»dicium, et sicut nos capiti in bonis adjicimus consonantiam, sic »et summitas tua filiis, quod licet, adimpleat.» Ecce, concilium generale, id est, Ecclesia collectim accepta, se subjectam profitetur auctoritati Pontificis Romani: et quidem ipsa capitis sententia et responsio comprobavit, supra ipsum Concilium veram possidere jurisdictionem, non solum honorem; decretum enim quoddam Concilii rescidit Pontifex, nec inde vigorem habuit ullum. Anatolius, episcopus Constantinopolitanus, excusavit quod id decrevisset Concilium, aitque: «Cum et sic gestorum *vis omnis et* »*confirmatio* Vestrae Beatitudinis auctoritati fuerit reservata.» Quo manifestum est, credidisse Patres auctoritatem Pontificis Rom. eminere supra concilium generale. Parem protestati sunt subjectionem Patres Conc. generalis VI. Constantinop. III. in epistola synod. ad Agathonem Papam: «Itaque tibi, ut pri»mae sedis antistiti (major in voce graeca vis; ὡς πρωτοζρόνῳ σοι, tibi »ut supremae potestati) universalis Ecclesiae, quid agendum sit re»linquimus, stanti super firmam fidei petram, libenter, acquies»centes verae confessionis litteris a vestra paterna Beatitudine ad »piissimum Imperatorem missis: quas, ut summo Apostolorum ver»tice divine praescriptas, agnoscimus... Orthodoxae autem fidei »splendidam lucem vobiscum clare praedicavimus. Quam ut ite»rum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus »paternam sanctitatem.» Numquid haec solum honoris primatum indicant? At perspicua sunt verba, nec ullo indigent commentario: et factum ipsum rem confirmat; nam Pontifex sententiam Concilii emendavit ex parte, sicque confirmavit, nec aliter effectum illa obtinuit.

125. S. Irenaeus (1) intercessit apud Pontificem Victorem ne excommunicationem fulminaret adversus episcopos orientales, qui ritum Paschae non observabant: jam vero jurisdictionem tum Pontificis intentata sententia tum Irenaei intercessio manifestant. Tertullianus (2) Romanum episcopum appellabat: *Summum Pon-*

(1) Euseb. histor. eccles. l. 5, c. 24.—(2) De pudic. c. 1.

tificem et *Episcopum Episcoporum:* atqui nemo dubitat pontificis et episcopi propriam et necessariam esse gubernandi subditos, etiam simul sumptos, potestatem. Pariter docet Augustinus (1) Romani Pontificis sententias *totum christianum orbem*, obligare: «A duobus »venerabilibus antistibus Apostolicae Sedis papa Innocentio et »papa Zozimo, nisi correcti etiam egerint poenitentiam, toto »christiano orbe, damnati sunt.» Summam autem esse Rom. Pontificis auctoritatem in universam Ecclesiam testatur etiam (2): «Jam de hac causa (Pelagii) duo Concilia missa sunt ad Sedem »Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: uti»nam aliquando finiatur error.» Jam vero nisi summa foret auctoritas Pontif. Romani, mansisset appellandi jus ad Ecclesiam collectim sumptam, seu generale Concilium. Denique sententia absolvimus Gelasii Pp. (3): «Sed nec illa praeterimus, quod Apos»tolica sedes frequenter, ut dictum est, more majorum, etiam sine »ulla synodo praecedente, et absolvendi quos synodus inique dam»naverat, et damnandi nulla existente synodo quos oportuit, ha»buerit facultatem... Quoniam sicut id quod prima Sedes non pro»baverat, constare non potuit: sic quod illa censuit judicandum, »Ecclesia tota suscepit.»

126. Obj. 1.° S. Cyprianus primatum Sedis Romanae quidem agnoscebat, at jurisdictionem in ceteros episcopos ei negabat: sic enim tacite arguebat in Concilio Carthaginensi Stephanum PP. (4): «Neque enim quisquam nostrum, episcopum se episcopo»rum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem »collegas suos adigit.»

Resp. Haec dixisse Cyprianum de episcopis Concilio adstantibus, quorum sane nullus supra ceteros potestatem habebat. Inst. 1.° Adjicit dicti rationem: «Habet omnis episcopus, pro licen»tia libertatis et potestatis suae, arbitrium proprium, tamque judi»cari ab alio non potest, quam nec ipse potest alterum judicare.» Ergo neque jurisdictioni Romani Pontificis subduntur episcopi juxta S. Cyprianum.

Resp. nego *conseq.* Limites enim agnoscit Cyprianus in *arbitrio* episcoporum dicens: «*pro licentia potestatis suae.*» Unde dummodo limites ejusmodi non praetergrediatur episcopus a nullo quidem potest judicari: censebat nempe S. Cyprianus non esse tanti momenti haereticos rebaptizare vel secus, ut id episcopi cujusvis excederet potestatem. «Superest ut de hac ipsa re, quid sin-

(1) Ep. 190, (a-157.)—(2) De verb. Ev. Jo. Serm. 131 (a. de verb. Ap. Serm. 2). —(3) Ep. ad episcopos Dardaniae. - (4) Apud Augustin. l. 3, de Bapt. contr. Donat. n.° 5.

»guli sentiamus proferamus, neminem judicantes, aut a jure com-»munionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.»

127. Inst. 2.° Non tantum in quaestionibus quibusdam plenum arbitrium concedebat Cyprianus episcopis, et a quolibet alio episcopo independens judicium, sed in negotiis quibuslibet ecclesiasticis; ait enim (ibid.): «Expectemus universi judicium Domini nostri »Jesu Christi, qui *unus et solus* habet potestatem, et praeponendi »nos in Ecclesiae suae gubernatione, et de acto nostro judicandi.»

Resp. Ad fastidiosam hanc è Cypriani verbis saepe ab adversariis recoctam difficultatem tria reponam: 1.° Augustini aetate sub lite fuisse ejusmodi Cypriani acta, utipse testatur (1); «non »desunt, qui hoc Cyprianum non sensisse contendunt, sed sub »ejus nomine a praesumptoribus atque mendacibus fuisse confic-»tum.» De illo autem Carthag. Concilio, ubi verba ista Cyprianum protulisse dicitur, ait Augustinus (2): «Vos profertis »Concilium Cypriani quod aut non est factum aut a ceteris uni-»tatis membris, a quibus ille non est divisus, merito superatum.»

2.° Resp. Quod solus Christus potestatem habet de episcoporum actibus judicandi, non *universim* asseruit S. Cyprianus, sed in subjecta materia, in iis scilicet quae supra eorum potestatem non sunt. 3.° denique, cum eodem Augustino reponimus (3): «Por-»ro Cyprianus, aut non sensit omnino quod eum sensisse recitatis: »aut hoc postea correxit in regula veritatis: aut hunc quasi naevum »sui candidissimi pectoris cooperuit ubere charitatis, dum uni-»tatem Ecclesiae toto orbe crescentis, et copiosissime defendit, et »perseverantissime tenuit vinculum pacis.»

128. Obj. 3.° Augustinus Concilii generalis auctoritatem supra Romanum Pontificem constituit: ait enim quod S. Cyprianus universae Ecclesiae auctoritati obsecutus fuisset, «si »jam illo tempore veritas eliquata et declarata per plenarium Con-»cilium fuisset» (4); similiter in causa Donatistarum, qui ab Episcopis Romanis fuerant damnati; dicit (5): «Restabat adhuc plena-»rium Ecclesiae universae Concilium, ubi etiam cum ipsis judici-»bus causa posset agitari, ut si male judicasse convicti essent, eorum »sententiae solverentur.»

Resp. Dist. seu explico Augustini verba: «restabat plenarium »Concilium.» a Pontifice Rom. sejunctum; nego: aperte enim ait, «Plenarium concilium, cum *ipsis judicibus*.» id est, romanis episcopis. *Restabat plenarium Concilium* simul cum Episcopo Roma-

---

(1) Ep. 33 (a. 48), n. 38.—(2) L. I, contr. Crescon. n. 38.—(3) Ep. 93, n. 40.—(4) L. 2, *de Bapt. contr. Donat.* n. 5.—(5) Ep. 43 (a. 162), n. 19.

no; subdist. Quatenus exinde possent facilius cedere ii qui Pontifici Romano obsistebant; concedo: quasi solum possint absolute a plenario Concilio judicia ultimo terminari; nego.

Inst. Dicit etiam Augustinus (ibid. I. de Bapt.): «Nec nos ipsi »tale aliquid auderemus asserere, nisi universae Ecclesiae concor»dissima auctoritate firmati;» in causa, nempe, inter Stephanum PP. *et* Cyprianum, de *rebaptizandis haereticis*. Ergo non *respective* tantum, sed *universim* et *absolute*, nequeunt Ecclesiae judicia nisi per universalia Concilia terminari.

Resp. Nego *conseq*. Non id ex Augustini verbis consequitur, sed hoc aliud, si quid judicem, sat diversum; ergo *universim* nequeunt Ecclesiae judicia nisi universae Ecclesiae concordissima auctoritate terminari. Nos quidem fatemur, cum Augustino, per universalia Concilia exhiberi istam universae Ecclesiae concordissimam auctoritatem: at pariter exhiberi tenemus per Romani Pontificis definitivas sententias; quod minime negat Augustinus, sed nobiscum fatetur etiam supra (n. 125): imo et in ea epistola, ab adversariis citata, quid ipse sentiat elucet. Loquens enim de Caeciliani, episcopi catholici, appellatione ad Rom. Pontificem in causa cum Donatistis, ait: jure noluisse Caecilianum judicio subjici concilii Donatistarum episcoporum, «cum sibi praesertim videret apud ecclesiam transmarinam »incorruptum et integrum examen suae causae manere. Ubi si ni»hil adversarii agere vellent, ipsi se *ab orbis terrarum* innocentis»sima communione praeciderent:» (1). Ecce, cum non ageretur de Concilio universali, sed de causa a Rom. Pontifice dijudicanda; tamen nolentes hujus judicio acquiescere, se ipsos a *communione orbis terrarum* praecidebant. Sententiam autem a Pontifice latam, *ultimam* vocat (ibid. n. 16.) Augustinus: «Et tamen qua»lis ipsius beati Melchiadis *ultima* est prolata sententia, quam »innocens, quam integra, quam provida, atque pacifica!... O virum »optimum, o filium christianae pacis, *et Patrem christianae plebis!*»

Unde intelligimus quoque, non de simplici loqui *primatu honoris* cum in hac eadem epistola (n. VII), auctoritatem laudat «Romanae »Ecclesiae, in qua semper apostolicae cathedrae viguit princi»patus.»

129. Obj. 3.° Non pauci Pontifices Romani testati sunt, nihil in Ecclesiae canones se posse; atqui in Ecclesia et in Concilio generali potestas existit canones faciendi et mutandi; ergo supremam potestatem non habent Pontifices RR.

---

(1) Ep. 43, n. 18.

Resp. Dist. *maj*. Nihil posse in canones jus divinum, vel fidem attingentes; conc. Jus ecclesiasticum spectantes; nego, vel subd. Nihil possunt, ubi non adest rationabilis causa dispensandi, vel obstat bonum Ecclesiae; conc. iterum nihil *licite* posse; cum ad *aedificationem*, non autem ad *destructionem* acceperint omnem potestatem: aliter, nego.

130. Obj. 4.° Concilium Constantiense decretum edidit ses. 4.ª; «Quod Concilium generale, Ecclesiam catholicam militan»tem repraesentans, potestatem a Christo immediate habet; cui »quilibet, cujuscumque status vel dignitatis, etiamsi Papalis exis»tat, obedire tenetur in his quae pertinent ad fidem et extirpationem »dicti schismatis et reformationem generalem Ecclesiae Dei in ca»pite et in membris.»

Resp. 1.° Ejusmodi decretum editum a Concilio fuit dum esset acephalum duplici de causa; primo quia tres erant incerti Pontifices in Ecclesia, quae proinde divisa erat: secundo, quia nullus tunc erat cum Concilio Pontifex a quo regeretur; nam Joannes XXIII a quo unico convocatum fuerat, aufugerat a Concilio.

Resp. 2.° Martinus V in confirmatione Concilii, approbavit tantum quae *conciliariter* decreta fuerant, et *non aliter nec alio modo*.

Resp. 3.° Ex contextu Decreti deducitur, pro tempore schismatis Papa certo non existenti, editum illud fuisse: sic enim incipit Decretum: «Ipsa sancta Synodus in Spiritu S. legitime congregata, »generale Concilium faciens... cui quilibet, cujuscumque status...» et cetera.

In sessione autem sequenti, etiamsi extenderit Decretum ad quodlibet Conc. generale *legitime congregatum:* tamen circumstantias easdem intellexit dicens: *super praemissis*. Atqui in priori decreto pro tempore schismatis, ad illud extirpandum, sermo erat.

Obj. 4.° S. Hieronymus (1): «Si auctoritas, ait, quaeritur, »orbis major est urbe.»

Resp. Non est ad rem Hieronymi dictum; non enim de decreto ullo agitur vel Pontificis, vel Concilii generalis seu Ecclesiae universalis; sed de quadam consuetudine, quae Romae obreperat, ut diaconi quamdam supra presbyteros praecellentiam ostentarent, quod reprehendebat sanctus Doctor.

131. Obj. 5.° Totum est majus sua parte. Sed Ecclesia universalis est totum, cujus pars est Romanus Pontifex; ergo rationi et naturae adversatur, quod potestas Rom. Pontificis potestatem superet Ecclesiae universalis.

---

(1) Ep. ad Evagr.

Resp. Dist. *maj.* Totum *totaliter* sumptum et *quantitative* intellectum, est majus sua parte; conc. Aliter; nego *maj.* Dein dist. *min.* Sed Ecclesia universalis est totum, *totaliter* etiam sumpta (in praesenti quaestione), et *quantitative* intellecta; nego *min.* Ecclesia universalis est totum, non *totaliter*, sed ut a capite condistincta, et *virtualiter* intellecta; conc. *min.* et nego *consequentiam.*

In praesenti ergo quaestione non dicimus Pontificem Rom. potestatem habere supra Ecclesiam universam et, consequenter, supra Conc. generale simul cum eodem Rom. Pontifice intellectum; sed uti ab eodem Pontifice condistinctum. Deinde non *quantitative* comparantur ad invicem, sed *virtualiter*. Unde quemadmodum in corpore physico nihil obstat, esse in capite virtutem qua eminet supra reliquas omnes corporis partes, etiam collective sumptas, puta visivam potentiam: a pari in corpore morali, qualis Ecclesia existit, nihil obstat inveniri in capite virtutem, seu potentiam, qua super omnia emineat reliqua membra.

THESIS XIV.

Romanus Pontifex cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab Ecclesia universa tenendam definit, ea infallibilitate pollet, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.

132. **Nota.** 1.° Desumimus thesim, quoad verba etiam, ex Vaticano Conc. (1). Habes ergo, eodem explicante Concilio, quid illud indicet, *loqui ex cathedra:* nam, si privatos consulas auctores, videbis eos adjicere, vel detrahere pro lubito haec vel illa requisita, ut Pontifex ex *cathedra* sententiam ferat. Ut ista ergo, quam Ecclesia tandem definivit, gaudeat infallibilitate, opus est primo: ut loquatur Pontifex ut *Pastor et Doctor omnium christianorum.* Nam cum sit etiam pastor et Doctor singularum dioecesum, imo singularum Christi ovium, dum partes has Ecclesiae pascit et regit, (quod et singuli praestant episcopi, vel parochi) infallibilem etiam esse non asserit thesis. Secundo: oportet ut doctrina a Pontifice tradita *circa fidem vel mores* versetur. Unde si quicquam edoceret de notionibus vel factis mere physicis, puta, de legibus liquidorum vel

(1) C. *Pastor aeternus*, c. IV.

electricitatis, etc., ejusmodi non attingit quam tuemur infallibilitas. Tertio: requiritur praeterea ut definiat Pontifex, *doctrinam ab Ecclesia universa* tenendam. Proinde, si solum privatas personas, vel peculiares coetus definitio vel mandatum perstingeret, non posset definitio *ex cathedra* nuncupari; non enim haec verba inutiliter fuisse adjecta censemus.

Nota 2.° Olim plures doctores asserere non dubitabant, fide certa thesim hanc tenendam (1): in Traditione enim et SS. Litteris contineri perspiciebant: alii autem, ex schola praesertim Gallicana, eamdem tenaciter impugnabant, usque ad Vaticani Concilii solemnem definitionem.

133. Probr. 1.° Primum argumentum, pro catholicis quidem apodicticum, pro ceteris autem sufficiens etiam si theses (XI et XII) supra positas perpendere velint, desumitur ex sententia Vatic. Concilii, ex qua ad verbum est thesis deprompta. Verum, quoniam haeretici ac schismatici antiquiora testimonia minori solent protervia respuere; nonnulla seligemus, ceteris praetermissis, quae plures auctores cum Bellarmino, Suarez, Gotti, Wirceburgensibus, etc., fusiori calamo describunt.

134. 2.° Primatus Petro a Christo traditus pro Ecclesia stabilienda et conservanda, concessus etiam Romanis Pontificibus, uti demonstrantum fuit (Thes. VIII). Atqui in docenda fidei et morum doctrina, Petrus, uti caput et primas Ecclesiae, infallibilis fuit: ergo et Romani Pontifices.

Min. probr. Verba evangelica exhibent, quali Petrus erga Ecclesiam donatus est potestate. *Et ego dico tibi: quia tu es* Petrus, *et supra hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: et portae inferi non praevalebunt adversus eam* (2): et rursus: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (3).

Item, post resurrectionem, ait illi Dominus: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (4). Ex his argumentamur:

a) Ex natura sua postulat Ecclesia unitatem fidei et morum sanctitatem, ut supra ostensum fuit (5); ita ut, non esset amplius Ecclesia Christi absque sanctitate morum et fidei unitate. Atqui nec fidei unitatem, nec morum sanctitatem, haberet Ecclesia, si Petrus, aut ejus successores, in fide vel moribus falsam edocerent doctrinam; ergo in fidei et morum doctrina falli nequeunt. *Min.* patet. Nam in fide et moribus ab eo pendet Ecclesia in quo est fundata.

---

(1) Vide Suarez *De fide*, D. V, sect. VIII.—(2) Matth. XVI, 18.—(3) Luc. XXII, 31, 32.—(4) Jo. XXI, 16.—(5) Thes. III, et X.

b) Petrus, ejusque in cathedra successores, debent ceteros fratres adversus diabolum confirmare. Atqui minime confirmarent, si edocerent Ecclesiam in fide et moribus falsam doctrinam; ergo in his errare nequeunt.

c) Si traderet Petrus falsam circa fidem vel mores doctrinam, non pasceret oves Christi, sed mactaret potius: ergo cum potestate pascendi, dedit quoque Christus Petro non errandi in fide et moribus potestatem. *Ant.* patet: venit enim Christus ut populum sibi colligeret *sectatorem bonorum operum* (1), ut *in sanctitate et justitia serviamus illi* (2), et *habitaret per fidem in cordibus nostris* (3).

135. 3.° Probr. Etiamsi clarum habeamus theseos testimonium ex *Vatic. Concilio* oecumenico, ideoque sufficientem cuilibet catholico probationem; nec non solida ex sacris Scripturis argumenta; aliqua tamen adjicimus ex Traditione ecclesiastica testimonia ad majorem rei explanationem; et quidem ex triplici fonte desumpta:

a) Ex ipsis Romanis Pontificibus, qui verbo et facto, hanc sibi inesse praerogativam testati sunt:

b) Ex oecumenicis Conciliis, quae, non solum talem ac tantam facultatem minime abnuentes tacite agnoverunt, sed etiam expressis verbis:

c) Denique ex SS. Patribus, quorum nonnulla proferemus testimonia.

136. a) Gelasius PP. dixit: (4) «Hoc est quod Sedes Apostolica magnopere cavet, ut quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla rima pravitatis, nulla prorsus contagione maculetur; nam si, (quod Deus avertat, quod fieri non posse confidimus) tale aliquid proveniret, unde cuiquam resistere auderemus errori? vel unde correctionem errantibus posceremus?» Pariter Agatho PP. ad Imperat. Constantinum scribebat: «Apostolica Christi Ecclesia, quae per Dei omnipotentis gratiam, a tramite apostolicae traditionis numquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit: sed ut ab exordio fidei christianae percepit ab auctoribus suis. Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus permanet, secundum ipsius Domini Salvatoris divinam pollicitationem, quam suorum discipulorum Principi in sacris Evangeliis fatus est; *Petre, Petre*, inquiens, *ecce Satan expetivit*... Consideret ergo vestra tranquilla clementia, quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare eum fratres suos admonuit; quod apostolicos Pontifices, meae exiguitatis praedecessores confiden-

(1) Tit. II, 14.—(2) Luc. I, 75.—(3) Eph. III, 17.—(4) Ep. ad Anast. Imp.

»ter fecisse semper cunctis est cognitum.» Simplicius Pp. ad Zenonem Imp. «Perstat in successoribus suis haec et eadem Apos»tolicae norma doctrinae, cui Dominus totius curam ovilis injun»xit: cui se usque ad finem seculi minime defecturum, ac portas »inferi numquam prevalituras esse promisit.» Leo IX, epist. ad Michaël. Imper. ait: «Erit ergo quisquam tantae dementiae, qui »orationem illius, cujus velle est posse, audeat in aliquo vacuam »putare? Nonne a sede Principis Apostolorum, tam per eumdem »Petrum quam per suos successores, convicta et expugnata sunt »omnium haereticorum commenta, et fratrum corda in fide Petri, »quae hactenus non defecit nec in finem deficiet, sunt confirmata?» Alia omittimus praeclara Pontificum testimonia, et è Conciliis nonnulla laudabimus.

137. b) In Constantinopol. IV subscripserunt Patres omnes: «Quia non potest praetermitti sententia Christi dicentis: *Tu es »Petrus, et super hanc petram*... haec, quae dicta sunt, rerum pro»bantur eventibus: quia in Sede Apostolica immaculata est semper »servata catholica religio et sancta celebrata doctrina... Sequentes »in omnibus Apostolicam Sedem, speramus ut in communione esse »mereamur cum illa, in qua est integra et vera christianae religio»nis soliditas.» Vide etiam Constantinop. III, epist. ad Agathonem (1). In Conc. Lugdun. II, dixerunt Graeci in professione fidei: «Sicut Romana Ecclesia prae ceteris tenetur fidei »veritatem defendere; sic et si quae de fide subortae fuerint quaes»tiones, suo debent judicio definiri.» In Ephesino Conc. Act. 2, quo pacto Philippus legatus pont. loquutus fuerit Patribus, vide supra (n. 54).

138. c) SS. Patrum denique nonnullos laudabimus. In primis vide, supra (n. 42), S. Irenaeum. S. Cyprianus Romanam Sedem vocat: «Petri cathedram;...» et adjicit: «eos esse Roma»nos, quorum fides, Apostolo praedicante, laudata est, ad quos »perfidia non possit habere accessum:» (2). Hieronymus promissam Petro fuisse a Domino infallibilitatem docet (3): «Si con»sideret, illam potestatem et aedificationem super eum Ecclesiae, in »futuro promissam, non in praesenti datam, intelliget. Quae si sta»tim dedisset ei, numquam in eo pravae opinionis error invenisset »locum.» Donum ejusmodi ad Petri haeredes, Romanos Pontifices, descendere, et ipse fatetur (4): «Apud vos solos incorrupta ser»vatur Patrum haereditas: *vos estis lux mundi, vos sal terrae:* Bea»titudini tuae, id est, cathedrae Petri communione consocior:

(1) Supra, thes. XIII, n. 122.—(2) Ep. 55, ad Cornelium.—(3) In Matth. XVI, 23.—(4) Ep. 57 ad Damas.

»super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque tecum »non colligit, dispergit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi »est. Decernite, si placet, et non timeo tres hypostases dicere.» Quae fuerit de hac re Augustini mens, vide supra (Thes. XIII, n. 123), ubi de fide causas sententia Rom. Pontificis finiri asserit: verum nisi in doctrina fidei docenda esset infallibilis, superesset adhuc summa Ecclesiae, vel generalis Concilii sententia; at id esse necessarium negat (1): «In his verbis apostolicae Sedis tam antiqua »atque fundata certa et clara est catholica fides, ut nefas sit de illa »dubitare christiano.» Imo quid populus sentiret christianus indicat (2): «Nonnulli quippe eorum, antequam ista pestilentia (Pela»giana) manifestissimo etiam Sedis Apostolicae judicio damnaretur, »vobis innotescere potuerunt, quos nunc repente tacuisse perspici»tis... qui tamen lenius profecto sunt tractandi. Quid enim eos ter»reri opus est, quos satis territos ipsa taciturnitas monstrat?» En quid sanctus Bernardus sentiebat (3): «Oportet ad Rom. Ponti»ficis apostolatum referre pericula quaeque et scandala emergentia »in regno Dei, et praesertim, quae fidem contingunt: dignum nam»que arbitror, ibi resarcire damna fidei, ubi non possit fides sentire »defectum.»

139. Ex summis Scholae doctoribus, inter quos, etiam ante solemnem difinitionem, communis, haec erat sententia, tres tantum laudabimus. Sanctus Thomas (4) ait: «Dicendum quod nova »editio symboli necessaria est ad vitandum exsurgentes errores. »Ad illius ergo auctoritatem pertinet editio symboli, ad cujus auc»toritatem pertinet finaliter determinare ea quae sunt fidei, ut ab »omnibus inconcussa fide teneantur; hoc autem pertinet ad auctori»tatem Summi Pontificis.» Sanctus Antoninus (5) pariter: «Ratio quare fides Ecclesiae in generali deficere non potest, est »quia divina Providentia Ecclesia regitur, scilicet, Spiritu Sancto »eam dirigente, ut non erret. Et licet Papa in particulari errare »possit, ut in judicialibus, in quibus proceditur per informatio»nem; alias in his quae pertinent ad fidem, errare non potest, scili»cet, ut Papa, in determinando.» Tandem Doctor Eximius ad fidem pertinere doctrinam hanc defendebat (6): «Veritas catholica »est, Pontificem definientem ex cathedra esse regulam fidei, quae »errare non potest, quando aliquid authentice proponit universae »Ecclesiae, tamquam de fide divina credendum. Ita docent hoc tem»pore (obiit a. 1617) omnes catholici doctores; et censeo esse rem »de fide certam.»

---

(1) Ep. 190, (a. 157).— (2) Ep. 191, (a. 104).—(3) Ep. 190 ad Innocent.— (4) 2, 2, q. 1, a. 10.— (5) P. 4, tit. 8, c. 3, s. 5.—(6) De Fide, disp. 5, s. 8.

140. Probationem perficimus luculentis Gelasii Pp. verbis (1): «Duodecim certe fuere Apostoli, paribus meritis, parique »dignitate suffulti. Cumque omnes aequaliter spiritali luce fulge»rent, unum tamen principem esse illis voluit Christus; eumque »dispensatione mirabili in dominam gentium Romam direxit, ut »in praecipua urbe vel prima primum et praecipuum dirigeret »Petrum. Ibique... aeterno hospitio conquiescit; praestans sedi, »quam ipse benedixit, ut a portis inferni numquam pro Domini »promissione vincatur, omniumque sit fluctuantium tutissimus »portus. In quo qui requievit, beata et aeterna statione gaudebit: »qui vero contempserit, ipse videbit qualia genera excusationum in »die obtendat judicii.»

Obj. 1.° Ecclesia docens, sive dispersa, sive in Concilium congregata, auctoritate gaudet de rebus fidei judicandi. Sed inanis evadit ejusmodi auctoritas, Romani Pontificis existente infallibili auctoritate: ergo haec non est concedenda, cum Providentia inutiliter non operetur. *Min.* prob. Ecclesiae docentis judicium de fide vel moribus, debet cum consensu et approbatione Rom. Pontificis intimari. Atqui nihil adjicit auctoritas Ecclesiae judicio Rom. Pontificis, si hujus summa, seu infallibilis, est auctoritas: ergo inanis evadit Ecclesiae auctoritas. *Major* supra fuit probata (n. 116).

Resp. 1.° In primis, quod supponitur, non concedimus; duas esse distinctas auctoritates, alteram Ecclesiae, seu Conc. generalis· alteram vero Rom. Pontificis: «Nam revera, ait Suarez (2), in Ec»clesia non sunt duae regulae, sed una tantum, quae est Summus »Pontifex, qui potest variis modis uti ad definiendum sua potesta»te, prout opportunitas tulerit, et Ecclesiae fuerit expediens; et »ideo unus illorum modorum, est, definire cum Conc. generali, »quia interdum est ad majorem Ecclesiae satisfactionem, utque ma»gis constet de communi consensu ejus, et ad majorem confusio»nem haereticorum, vel quorumcumque contradicentium, ut recte »nobis declararunt Apostoli exemplo suo; Actor. XV, et Galat. II.»

Resp. 2.° Nego primam *minorem:* ad probationem autem, distinguo *min.* Nihil Ecclesiae docentis auctoritas adjicit judicio Rom. Pontificis, neque *dispositive;* nego *min.* Nihil adjicit augendo auctoritatem et infallibilitatem; concedo *min.* vel potius, subdistinguo: *absolute* non auget Ecclesia Pontificis auctoritatem; conc. *Respective;* nego. Itaque providet Deus Ecclesiae suae tum subsidiis ordinis naturalis, tum supernaturalis, cum utriusque ordinis sit causa: jam vero juvari et illuminari mentem Pontificis Rom., nec non

(1) Tract. Gelas., epist. 8.—(2) De Fide, d. V, sect. VIII, n. 10.

fidelium mentes, judicio ac testimonio totius Ecclesiae docentis apertum est, si naturalem perpendamus ordinem. Quo pacto autem Ecclesiae consensus possit *respective* augere Pontificis auctoritatem, vide supra (n. 128). Exemplum sane Ecclesiae universae capiti suo consentientis, multum praestat ut ignavus quilibet vel rebellis obediat.

142. Inst. Praemissa Pontificis Rom. definitione dogmatica, ceteri episcopi coguntur ad idem judicandum, si illa sit infallibilis. Atqui coacta sententia auctoritate caret; ergo inanis evadit Ecclesiae docentis auctoritas.

Resp. Dist. *majorem:* coguntur *absolute;* nego; *conditionate*, id est, si velint veritatis et fidei esse testes; concedo. Deinde dist. *min.* Coacta sententia, si coactio sit *absoluta*, (ad verum, scilicet, et ad falsum indifferenter impellens), auctoritate caret; concedo: si sit conditionata; nego *minorem*. Sane judex, in ferenda sententia, liber sit oportet; non quidem libertate a rei judicandae ambiguitate et incertitudine orta, quae mentem ad oppositа fluxam et incertam constituit; sed libertate, quatenus a vero judicio non deterreatur. Jam vero hanc non evertit libertatem Rom. Pontificis definitio infallibilis, sed potius juvat et perficit.

143. Obj.° 2.° Cyprianus, cum plurimis aliis episcopis, noluerunt, in quaestione de rebaptizandis, Stephani Pp. decreto subjici: ergo non esse infallibilem putabant.

Resp. Nego *consequentiam*. Nam sentiebat Cyprianus, et similiter qui eum sequebantur, non esse quaestionem de fide vel moribus, sed de disciplina tantum, uti dictum est supra (nn. 126, 127).

144. Obj. 3.° Romanos Pontifices posse *male judicare*, adeoque tunc eorum sententias corrigendas, supponit Augustinus; vide supra (n. 128.)

Resp. Dist. Id supponit Augustinus in judiciis facti et personalibus, ubi proceditur per informationem, sicut notat supra sanctus Antoninus (n. 139); concedo: in sententiis ex cathedra circa doctrinam; nego.

Obj. 4.° Post Romanorum Pontificum decreta dogmatica, saepe convenerunt Concilia oecumenica ad easdem fidei discutiendas ac definiendas sententias: ergo non sunt irreformabilia pontificia decreta.

Resp. Dist. *ant.* Convenerunt Concilia quasi ad incertas disquirendas doctrinas: nego. Ad easdem confirmandas consensu Ecclesiae explicito, quo *respective* accrescebat decretorum auctoritas; conc. Vide responsionem nuper traditam (n. 142). Juxta hunc sensum, ad proterviam, scilicet, plurimorum edomandam, dixit Conc. gen. V: «Nec enim potest in communibus fidei disceptationibus »aliter veritas manifestari.»

145. Obj. 5.° Honorius I, cum aliis haereticis, fuit a Conc. gen. VI. damnatus: ergo non est Rom. Pontifex infallibilis.

Resp. Dist. *Antec.* Fuit damnatus propter aliquam ex cathedra definitionem: nego: propterea quod in ipso ortu haeresis monothelitarum non illam condemnavit, sed silentium de quaestione illa injunxit tantum; conc. *ant.* et nego *consequentiam.* In hoc tantum sensu a Leone II probata fuit Honorii I damnatio, vel potius permissa. Praeterquam quod litterae apostolicae Honorii, quibus accusatio in eum nitebatur, per plurimos annos ignotae fuerunt, et tandem a solis haereticis productae. Jure igitur suspectae habentur, praesertim quod Agatho Pp. Leonis praedecessor, non tantum Rom. omnium Pontificum fidem laudaverit in litteris ad Imperat. Constantinum, sed diligentiam quoque eorumdem in haeresibus profligandis, uti rem omnibus notissimam. Ajebat illi enim: «Consideret itaque vestra tranquilla clementia, »quoniam Dominus et Salvator omnium, cujus est fides, qui fidem »Petri...» Vide supra reliqua (n. 136). Quo ergo pacto, dices, permisit Agatho damnari Honorium I a Concilio VI. quod ipse convocaverat? Facile intelliges: nam durante Concilio è vivis sublatus est Agatho, et, Sede Romana vacante, nomen Honorii inter haereticos ausi sunt orientales episcopi connumerare, non alio quam ipsorum haereticorum testimonio. Interea electus fuit Leo II, et antequam Imperator electionem probaret, Concilii decreta fuere eidem proposita ut ea confirmaret: noluit tamen Honorii damnationem nisi modo dicto approbare. Cum autem sententia ejusmodi circa factum personale, non autem circa doctrinam versaretur, error in ea potuit irrepere, prout supra dictum est (n. 145).

146. Obj. 6.° Petrus, Apostolorum caput, Christum negavit; postea a Paulo arguitur quod gentiles scandalizaret ut Judaeos lucrifaceret; Marcellinus Pp. thus idolis obtulit ut mortem effugeret; Innocentius VIII, ut Volaterranus refert, Norwegis indulsit calicem sine vino consecrare.

Resp. 1.° Nulla in his et similibus factis, quae objici solent, habetur definitio ex cathedra de qua agimus.

Resp. 2.° Tum Petrus, cum Christum negavit, nondum primatum acceperat, ut supra notat (n. 139) Hieronymus. Verissimum quidem est, Petrum a Paulo reprehensum (1), etiamsi nonnulli, nescio quo inani timore, a sensu obvio Scripturae recedere non timeant: qua de re vide Suarez solide disserentem (2).

---

(1) Galat. II, 11-21.—(2) De Leg. l. IX, c. 20.

Cum autem Petrus tunc nihil universalem Ecclesiam, neque particularem ullum fidelem quicquam doceret, factum ejusmodi ad praesentem non pertinet quaestionem, ut notavit Tertullianus (1): «Ceterum si reprehensus est Petrus, conversationis »fuit vitium, non praedicationis.» Marcellini lapsus a criticis inter fabulas computatur: verum neque id ad docendi auctoritatem spectare perspicue patet. De Innocentio autem VIII. dicimus, non satis probatum quod enarrat Volaterranus; verum si id evenisse ostenderetur, non universalem Ecclesiam quidquam de fide tenendum edocuisset tunc Pontifex, sed dispensationem tantum particularem, invalidam quidem, in ficta quadam necessitate, concessisset.

147. Obj. 7.° Liberium Pp. cum Arianis communicasse, Athanasium damnasse, et formulae Arianorum subscripsisse, referunt S. Hilarius, S. Athanasius, S. Hieronymus, etc.

Resp. 1.° Nego assertum; nam corrupta, vel conficta fuisse ista documenta, ex quibus ejusmodi adversus Liberium, nec non adversus illum venerabilem senem, Patrem Conciliorum nuncupatum, Osium nempe, dicta desumuntur, aperta sunt indicia. Deinde, iniquissimi Ariani innumeras adversus catholicos insigniores evulgarunt calumnias, ut pravos suos errores, moresque defenderent; exinde plurium Patrum nomen, etiam apud catholicos, diffamatum. De Liberio Pp. vide defensionem apud Wirceburgenses (2); de Osio autem Cordubensi, inter Sanctos in martyrologio Graecorum laudato, conferas Macedam (3).

Resp. 2.° Si Liberius, ut supponitur, defecisset, non quidem ex cathedra docens, sed in privato documento, aerumnis confectus et minis cedens Arianorum, subscripto, numquam ad universalem Ecclesiam misso et promulgato, errasset.

148. Obj. 8.° Stephanus II probavit baptisma in vino datum: Coelestinus III definivit matrimonium dissolvi posse, conjuge altero in haeresim lapso: nonnulli Pontifices responderunt dissolvi matrimonium ratum, si aliud consummatum subsequatur: ergo errori Pontifices Rom. sunt obnoxii.

Resp. 1.°, ut praecedenti Responsione 2.ª

Resp. 2.° Stephani II rescriptum suppositicium esse eruditus Harduinus tuetur; Natalis Alex. esse mendosum, et mutata interpunctione errorem inductum. Ad reliqua, et nonnulla similia, dicimus; responsa fuisse privati doctoris sensum expri-

---

(1) L. de Praescrip. — (2) Theolog. dogmat. *de Deo*, disp. V, c. I.— (3) *Osius vere Osius.*

mentia, non vero Doctoris universalis, pro universa Ecclesia promulgatas definitiones: unde aliquas ejusmodi responsiones expunxit S. Raymundus ex collectione Decretorum, jussu Gregorii IX; et Alexander III fassus est, nonnullos praedecessores in his errasse, ut privatam suam opinionem in materia adhuc indecisa tradentes.

149. Obj. 9.° Tribunal S. et U. Inquisitionis damnavit, ut haereticam Galilei sententiam defendentis, terram versus solem in spatio circumferri; idque auctoritate S. Pontificis non solum adprobantis, sed etiam poenas in errantem impositas exequi jubentis.

Resp. Dist. Id factum est auctoritate Pontificis *immediate* judicantis, nego: auctoritate delegata, ideoque *mediate* decernentis: concedo. Auctoritatem quidem tum docendi, tum aliquas leges ferendi, potest S. Pontifex delegare, non autem plenitudinem potestatis Apostolicae. Nec obstat, quod Pontifex judicium tribunalis et sententiam probaverit: dupliciter enim potest ejusmodi approbatio adhiberi; primo, ut probet usum seu actum auctoritatis inferioris et delegatae, prout a tali auctoritate potest usus seu actus fiere; secundo; ita, ut talis auctoritatis actui, seu sententiae accedat quoque actus, seu sententia auctoritatis summae et Apostolicae cum omni suae potestatis plenitudine. Sic, ex. gr., cum alicujus episcopi approbat Pontifex legem, non ideo exit obligatio extra episcopi dioecesim; etiamsi potestas legislativa Pontificis ad universam se porrigat Ecclesiam: simili modo, dum probat sententiam tribunalis damnantis Galilei opinionem, illam approbat *prout a tali ortam tribunali*, ideoque usque ad definitionem ex cathedra minime trascendit; sicut etiam decretum particulare non evadet generale, quod illud a Papa confirmetur. Quid ergo opus est ut *ex cathedra* definitio evadat? Ut luce clarius eluceat, definitionem ex auctoritate immediate procedere Apostolica, et pro universali Ecclesia. Quo pacto autem id elucebit? Per solemnem promulgationem, ex mandato Pontificis peractam, in qua ista indicuntur et intimantur.

Nec tamen inferas, non obligare decreta illa quae supremum non attingunt gradum auctoritatis Apostolicae: auctoritas enim delegata vera est auctoritas, et ideo omnes ei subditos obligat, cum ejusdem decreta convenienter fuerint promulgata vel intimata.

SCHOLION.

150. Plurimas damnavit Sedes Apostolica propositiones circa doctrinam fidei vel morum versantes, non tamen quasi *haereticas*, sed tamquam aliqua denigrante censura dignas; puta, quod sit

erronea. haeresi proxima. sapiens haeresim. blasphema. seditiosa. schismatica. impia. temeraria. scandalosa. piarum aurium offensiva. errori proxima, et si quae alia existit infamans nota. Ejusmodi. sententiae non raro pro universa Ecclesia. et ex suprema Apostolica potestate. a Rom. Pontificibus dictantur et promulgantur; ex cathedra. nempe. Unde censemus cum La-Croix (1) «Itaque »dubitari non potest. quin ea decreta debeant esse regula infallibi»lis circa materias fidei et morum. ut late demonstrat Cardenas... »Ex dictis certum est. quod propositiones eo modo damnatae a Pon»tificibus amiserint omnem probabilitatem practicam. quam ante »forte habuerunt: damnantur enim ut perniciosae in praxi. et doc»trina. ususque earum districte prohibentur. Dixi. *practicam;* nam »non est adeo certum. an etiam *speculativam* amiserint: nam licet »Cardenas relatus dixerit. propositionem certo esse falsam, si »damnata sit veluti scandalosa et in praxi perniciosa. tamen dicit »opinionem. quae tantum speculative procederet. non incurrere »damnationem. Et Lugo (*de fide*. d. 20). Moya. cum Cano »absolute docent. propositionem aliquam posse damnari ut scanda»losam. aut offensivam piarum aurium. neque tamen inde inferri »posse. esse falsam.» Quidquid autem sentiant Auctores. diversa diversi opinantes. ex Vaticano Concilio liquet: constitutiones et decreta etiam servanda. quibus a Sancta Sede prohibentur et proscribuntur pravae illae opiniones. quae ad haereticam pravitatem plus minusve accedunt (2). Etiamsi enim hisce decretis fidei veritas non definiatur. quo casu infallibilia esse jam fides ipsa docet; tamen auctoritati Pontificis in re adeo gravi. quae *plus minusve* ipsam attingit fidem. obsequendum est: adeoque. juxta pravae notae sensum et naturam. propositionem proscriptam rejiciendam. Quod si particulari nota. sed in genere tantum. non proscribatur propositio aliqua, tunc saltem ut improbabilis et in praxi perniciosa erit habenda. Manifesta enim sunt Christi verba: «*Pasce agnos meos. pasce oves meas. Qui vos audit. me audit; qui vos spernit. me spernit. Si Ecclesiam non audierit. sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (3).»

Nota: Quae adversus thesim objici solent ad Vigilium Pp. et *tria Capitula* pertinentia. vide supra (n. 105). ubi nihil prorsus contra fidem in his intercessisse ostendimus.

Corollarium. Ex dictis eruitur sententias Romanorum Pontificum firmissima praebere theologo argumenta. juxta regulas supra traditas (4).

---

(1) L. I, n. 203, 204.—(2) Const. *Dei Filius*, ad finem. — (3) Jo. XXI, 15; Luc. X, 16; Matth. XVIII, 17.—(4) Disquis. I, Prolegomena, n. 63.

ARTICULUS III.

De Ecclesiae, extrinsecus, seu quoad nos, inspectae proprietatibus et notis.

THESIS XV.

Christi Ecclesia est necessario visibilis, id est, potest certo ac permanenter ab hominibus cognosci tamquam vera Christi Ecclesia.

151. **Nota.** Haeretici, ut se a novitatis nota defendant, adeoque doctrinae suae falsitatem dissimulent, interrogati a catholicis, ubi erat Christi Ecclesia antequam nova eorum nasceretur secta, et recentia sua evulgarent placita? respondent: invisibilem et absconditam tunc fuisse ac latuisse Ecclesiam christianam.

Non opus est pluribus thesim hanc confirmare argumentis; perspicue enim fluit ex aliis statutis thesibus, ita ut, inutilis contentionis jure argueremur, si inane ejusmodi haereticorum effugium multis conaremur praeoccupare sermonibus.

152. Prob. 1.ª In primis cuivis catholico indubitata et catholica prorsus est theseos doctrina, quam explicitis verbis tradidit Vaticana Synodus (1): «Ut autem officio veram fidem amplecten»di, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus »per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque ins»titutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et ma»gistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci.»

2.° Ad Christi Ecclesiam tenentur omnes homines accedere, usque ad finem seculorum (Thes. I, supra): sed ad id non essent constricti, nisi tamquam vera Christi Ecclesia esset cognoscibilis, ita ut ab impiis sectis discerni valeat; ergo dignosci potest vera Christi Ecclesia.

153. 3.° Visibilis est necessario Christi Ecclesia, seu cognosci ab hominibus potest, si dignoscere homines debent veros Christi ministros et Apostolorum successores: sed ita se res habet; statuit enim Christus D. Ecclesiam suam conservari et propagari praedicatione ac testimonio suorum ministrorum qui Apostolis succedunt (Thes. V.): ergo. Inde ajebat Dominus: «*Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.*» (2) Paulus autem: «*Sic nos*

---

(1) Const. *Dei Filius*, c. III. (2) Luc. X, 16.

existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.» (1).

4.° Ecclesia Christi est visibilis, si regitur hierarchia visibili: hierarchia qua regitur est visibilis, si culmen et centrum ipsius est visibile: atqui res ita procedit; hierarchiae enim christianae culmen et centrum est Romanus Pontifex, hominibus omnibus visibilis, ut supra (Thes. VIII.) demonstratum est; ergo.

5.° Christus D. mandatum dedit discipulis: *Euntes docete omnes gentes... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi:* (2). Non autem furtive et occulte edocturos fore gentes, clare dixit ipse Dominus 3): *Vos estis lux mundi; non potest civitas abscondi supra montem posita:* imo ab ipsis quoque Christi hostibus discipulos ejus agnoscendos et propterea odio habendos (4): «*Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus:... Si me persecuti sunt, et vos persequentur;... Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum.*

154. 6.° Origenes (5) ait: «Ecclesia plena est fulgore ab orien»te usque ad occidentem.» Cyprianus (6): «Ecclesia Domini lu»ce perfusa per totum orbem radios suos porrigit.» Hieronymus pariter (7): «Ecclesia, supra montem sita, latere non potest.» Etiam Augustinus (8): «Numquid digito ostendimus Ecclesiam? Non»ne aperta est?» Et alibi (9): «Tamquam ille, quem catechizamus, »quaereret et diceret: Quo ergo signo manifesto adhuc parvulus, et »nondum valens liquidam discernere a tot erroribus veritatem, quo »manifesto indicio tenebo Ecclesiam Christi? Sequitur idem Pro»pheta et docet, eam Ecclesiam Christi esse praedictam, quae om»nibus eminet et apparet. Ipsa enim est sedes gloriae, de qua dicit »Apostolus: *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* »Propter hos motus parvulorum, qui possunt seduci ab homini»bus... Dominus quoque praevidens, ait: *Non potest civitas absconsi supra montem constituta.*» Sed ut quid moremur in rebus adeo apertis? Pertinaces haeretici semper cunctabuntur; sincere autem veritatem quaerentibus, sat superque dictum.

155. Obj. 1.° Ecclesia in Scripturis vocatur: *domus spiritualis.* Sed quod spirituale est videri non potest: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Quatenus Ecclesia in pluribus differt a materiali domo; conc. Quasi in omnibus eidem opponatur, et consequenter inveniri et dignosci nequeat Ecclesia; nego *maj.* Sane domus mate-

---

(1) 1.ª Cor. IV. — (2) Matth. XXVIII, 19, 20. — (3) Ibid. V, 14.—(4) Jo. XV, 19-21.—(5) Hom. 30. in Matth.— (6) De Unit. Eccl.—(7) In Amos. c. I. 2.—(8) Tract. I, in ep. Jo. n. 13.—(9) Contr. Faustum Manich. l. XIII, n. 13.

riales sunt corporibus tutandis destinatae; Ecclesia autem Christi pro salute aeterna hominum, praesertim quoad eorum animam, est constituta; domus ergo spiritualis, potius quam corporalis, dicenda.

Dist. etiam *minorem:* Videri non potest quod spirituale est simul et corporeum; nego; quod spirituale solummodo existit; subd. nequit videri oculis corporis; concedo: nequit videri, id est, cognosci mentis intuitu; nego *min.* et dein *consequentiam* undique claudicantem.

156. Obj. 2.° Ecclesia Christi colligenda ex *veris Dei adoratoribus*, ipso Domino testante (1). Sed vera adoratio fieri debet *in spiritu et veritate* (ibid.), quod invisis actibus completur: ergo videri non potest vera Ecclesia,

Resp. 1.° nego *consequentiam*, quae plus quam praemissae extenditur: ex his enim ad summum consequeretur; adorandi actum, quatenus intus in animo completur, invisibilem esse; non autem ipsam Ecclesiam, prout a Christo certis notis ac proprietatibus ornatam et constitutam.

Resp. 2.° Dist. *min.* Completur adoratio *invisis actibus*, id est, per oculos corporeos *invisis;* conc. Mente quoque *invisis* et inscitis; nego *minorem.* Etenim, ipso Domino Jesu attestante, in hoc discriminatur vera religio et Dei Ecclesia a falsis et sacrilegis sectis, quod in illa scienter, in istis cum inscitia Deus adoratur (2): *Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus.*

Obj. 3.° *Regnum Dei intra vos est;* ergo est res invisibilis. Dist. *antec.* et expono: Regnum Dei, quod est Ecclesia *objective* et adaequate sumpta; nego; *subjective* et quoad effectus intellectum Regnum Dei, id est, quoad obedientiam, charitatem, *pacem et gaudium in Spiritu Sancto*, intus in corde est; conc. *antec.* et nego *conseq.*

THESIS XVI.

Vera Christi Ecclesia a quavis ficti nominis christiana secta hisce notis discerni potest; quod sit nempe, Una, Sancta, Catholica et Apostolica.

156. Praenotanda. 1.° *Notam* alicujus rei dicimus quod, quasi signum, ad ejus cognitionem ducit: unde, ut talis existat, oportet: primum, ut prius ac facilius cognoscatur quam res cujus est nota: secundo ut cum ipsa re sit intime connexa, seu ut per se ei insit, non vero fortuito tantum, seu, ut dici solet, *per accidens.*

---

(1) Jo. IV, 23.—(2) Ibid. 22.

2.° Duplici modo potest ad rei alicujus notitiam perveniri; *negative*, seu per exclusionem; et *positive*, seu per mutuam connexionem rei cum nota, et notae cum re. Nota ergo *negativa* ostendit hoc vel illud non esse rem quam inquirimus, quamvis forsan aliquam rei quaesitae gerat similitudinem, nota autem *positiva* rem quam inquiris tibi protinus exhibet: sic ungues signum, seu notam *negativam* leonis dices; rugitum autem *positivam*.

3.° Notae in thesi positae, complexim sumptae, *positivae* sunt; ita enim propriae sunt christianae Ecclesiae, ut nullae falsae sectae possint accedere. Singillatim autem, utrum sint positivae et quatenus, statim dicemus dum de singulis agamus.

158. 1.ª Pars, scilicet, quoad *Unitatem* probatur.

Christiani omnes convenire debent in ejusdem fidei professione (thes. III, n. 15); regi sub una hierarchia ad unum supremum caput ducta (thes. VII, n. 36). Unitas ergo convenit Christi Ecclesiae. Insuper, unitas ejusmodi est prius ac longe facilius cognoscibilis, utpote obvia et simplicior, quam Ecclesia adaequate sumpta: ergo *unitas* est verae Ecclesiae nota.

Ad hunc sensum unitas restricta, dicenda est *negativa* nota; non enim videtur alicui falsae sectae, saltem ad breve tempus, repugnare. Pro eruditis autem, scientibus constituisse Christum Dominum hierarchiam Ecclesiae regendam a B. Petro ejusque successoribus, Romanis Pontificibus; *positiva* evadet unitatis nota. Etenim quaevis secta ab Ecclesia vera secedens, a capite, id est, a Romano Pontifice, pariter recedet; habet enim Ecclesia necessariam cum suo capite unionem ut supra diximus (thes. VII): unde ajebat Ambrosius (3): «Ubi Petrus, ibi Ecclesia:» et Leo (2): «Perse»verat Petrus et vivit in successoribus suis.» Verum hac de re conferas thesim supra statutam (thes. VIII, n. 46).

158. II.ª Pars ostenditur. *Sanctitas* non potest Ecclesiae Christi deficere, id est, sancta morum doctrina, neque reliqua Sp. Sancti charismata: (supra, thes. X, et XI). Quaevis ergo secta quodcumque turpe aut erroneum docens vel approbans, vel Spiritus Sancti carens charismatibus, nequit esse Christi Ecclesia. Vide (loc. cit.) Patres docentes exinde differre Ecclesiam a sectis haereticorum. Et sane Dominus Jesus, de illis qui rectam salutis prosequuntur viam, ait (3): *Ex fructibus eorum cognoscetis eos;* Paulus autem, postea quam carnis descripsit fructus, qui sint Spiritus Sancti indicat (4) dicens: *Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium, pax, patien-*

---

(1) In Ps. 40.—(2) Serm. 2, de *Annivers. Assumpt.*—(3) Matth. VII, 16.—(4) Galat. V, 22, 23, 25.

tia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas... Si spiritu vivimus, spiritu et ambulemus.

Praeterea, uti diximus (ibid.), data sunt ejusmodi Spiritus S. dona ad Ecclesiae aedificationem et propagationem, et ad corpus Christi constituendum. Atqui secta nulla potest corpus Christi constituere, quod unicum est; *unum corpus, unus spiritus..... una fides, unum baptisma* (1); ergo nulli sectae dantur.

Proinde non tantum *negativa*, sed *positiva* quoque dicenda est nota sanctitatis, praesertim cum Sp. Sancti charismata directe et formaliter ad Ecclesiam commendandam referuntur.

160. III.ª Pars probatur. *Catholicitas*, quemadmodum supra (thes. IX) exposita et demonstrata, pertinet ad veram Christi Ecclesiam: ergo quaevis christianorum secta, quae ad omnes gentes congregandas ac tenendas non excurrit seu dilatatur; vel excurrit quidem, non vero ut ex iis tamquam totum ex partibus coalescat, sed disgregatae maneant; vel etiamsi qualitercumque eas sibi copulet, non ita tamen, ut partes sint ad invicem et cum toto homogeneae; Christi vera Ecclesia esse non potest. Ad hunc restricta sensum catholicitatis nota, non videtur vim transcendere notae *negativae*.

Verum acuti ingenii et praestantioris prudentiae homines, qui perpendant, quo pacto diversas mundi plagas pervaserit, et diversissimas gentes barbaras vel excultas, rudes vel sapientes, nobiles vel ignobiles, omnis aetatis, cujuslibet conditionis, Christi Ecclesia sibi adduxerit; idque non armis, non vi, non minis, non bonis alliciendo temporalibus, sed gravissimis imminentibus difficultatibus, et in ostensione *spiritus* et *virtutis* (2); attractas autem in eadem fide et spe retineat, homogeneas invicem et cum toto; qui hoc, inquam, perpendant, divinam quamdam agnoscent virtutem, et catholicitatis nota jure *positiva* dicetur. Quod facile concedes, si verba Chrysostomi, supra laudati (n. 65), attento animo recolueris.

161. IV.ª Pars evolvitur.

Nota. *Apostolicitas* indicat, ab Apostolis Christi Ecclesiam ortum ducere debere: quod cum supra (n. 25, thes V.) preoccupaverimus, in eadem re haud immorabimur. Ab Apostolis processus potest *materialis*, id est, mere localis aut personalis, esse; vel *formalis*, seu in doctrina et regendi jure auctoritateque constitui. Non quidem intendimus apostolicitatem materialem ratione loci, notam verae Ecclesiae esse constitutam: nihil enim liquidum certumque hac de re habetur a Christo praescriptum; qui potius Apostolis, ideoque et successoribus commendavit: *Cum persequentur vos in civitate is-*

(1) Ephes. IV, 4, 5.—(2) I.ª Cor. II, 4.

ta, fugite in aliam (1). Verum oportet personalem esse apostolicam successionem; in persona enim Apostolorum promisit Christus Ecclesiae se perpetuo ei adfuturum (2): impar tamen esset personalis successio, nisi *formalis* ipsa accederet; notum est enim ex ipsis immediatis Apostolorum successoribus aliquos apostolicam doctrinam adulterasse, et sectas instituisse sub nomine et velamento Christi, *abducentes discipulos post se*. Sed haec perspicue patent ex superius statutis (loc. cit.)

162. Proinde quaevis sub christiano nomine secta, quae recens nata existat; vel cujus ortus non transcendat usque ad apostolica tempora; vel quae normam habeat fidei et divinarum institutionum apostolica traditione diversam; vel etiam, si doctrinas profiteatur traditioni oppositas; nullatenus vera Christi Ecclesia esse poterit. Hoc quidem obvium est et apertum omnino: attamen ejusmodi sensu accepta *Apostolicitatis* nota, *negativa* tantum dicenda.

Positiva quoque erit haec nota, pro iis qui ea praediti sunt historica eruditione et dogmatica scientia, qui non solum personalem episcoporum ab Apostolis successionem dignoscere valeant, verum etiam doctrinam omnem illorum cum ea quam Apostoli tradidere conferre, ita ut perspiciant in nulla re discrepare. Nam his datis, haud secus elucet praesentem Ecclesiam, ipsam esse quam Christus instituit, ac talem esse patebat illam quam Apostoli regebant, et ubique Christi nomine et virtute fundabant.

163. His ergo positis, totius theseos veritas stat. Nam 1.° quatuor praedictarum notarum complexus ita proprius est Ecclesiae Christi, ut nulli sectae adjudicari valeat; non tantum quia notae illae, quas *positivas* esse diximus, sunt verae Ecclesiae exclusive affixae; sed etiam quia suis ipsorum viribus traditi homines, a notis etiam *negativis*, vel aliqua saltem, confestim decidunt: jugum enim *Unitatis* in fide et in subjectione hierarchica non potest diu humana ferre superbia; animi autem inconstantia, ac nova audiendi vel dicendi pruriens cupiditas a Traditione firmiter tenenda facillime avertunt, uti notat Augustinus (3): «Sed etiam ipsam, »quae nunc est, Ecclesiam, nisi Dominus inhabitaret, iret in erro»rem quamlibet studiosissima speculatio.»

164. 2.° Synodus oecumen. II, Constantinopolitana I, Apostolorum symbolo, in quo dicebatur, «Credo in sanc»tam Ecclesiam», quatuor hasce notas inseruit: «Credimus in *Unam* »*Sanctam et Apostolicam Catholicam Ecclesiam*.» Scilicet, cum fidei symbolum proposuerunt Apostoli, non urgebat explicite profiteri

---

(1) Matth. X, 23.—(2) Ibid. XXVIII, 20. -(3) Enarr. in Ps. IX.

quod *Una* esset Christi Ecclesia, cum omnes christiani *cor unum essent et anima una:* neque quod esset *Apostolica*, quia res ipsa clamabat et oculis patebat: neque quod esset *Catholica;* quia particulares et locales sectas, a quibus discerneretur Ecclesia ad mundum universum dilatanda, diabolus non induxerat. At postea, notis aliquibus designari Ecclesiam opus fuit. Vaticanum quoque Conc. quatuor has enumeravit *notas* (1): «Ecclesia per se ipsam, »ob suam admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et »inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam uni»tatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum »est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium »irrefragabile.» Et Augustinus ait (2): «Omnis spiritalis videt, »quia Ecclesia, per totum orbem terrarum est una, vera, catholica, »et tolerat peccata hominum, quos non potest purgare de area do»minica:» et alibi; «Sequere viam catholicae disciplinae, quae ab »ipso Christo per Apostolos ad nos usque manavit, et ab hinc ad »posteros manatura est (3):» Praeterea videas eumdem Augustinum praeclare evolventem (4), quo pacto Ecclesiae effulgeat auctoritas, qua salutis viam ostendit: praesertim, quid ipsum in vera Ecclesia firmiter tenebat, quod exponit dicens (5): «In catholica »Ecclesia, ut omittam sincerissimam sapientiam, ad cujus cogni»tionem pauci perveniunt... multa sunt alia quae in ejus gremio »me justissime tenent. Tenet consensio populorum ac gentium, »(ecce Unitatem atque Catholicitatem): tenet auctoritas miraculis »inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, (ecce Sanc»titatem charismatibus Sp. Sancti fulgentem): tenet ab ipsa sede »Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, »usque ad praesentem successio sacerdotum, (ecce Apostolicitatem): »tenet postremo ipsum catholicae nomen; quod non sine causa in»ter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit...» Et juxta Cyril. Hieros. tribus gaudet Ecclesia essentialibus characteribus; quod sit *una, sancta et catholica* (6).

165. Objicies 1.° cum Protestantibus. Per sacras Scripturas, Augustino teste, cognoscimus Ecclesiam: ergo inutiles dicendae traditae notae. *Ant.* prob. «In Scripturis discimus Christum, »in Scripturis discimus Ecclesiam» (7).

Resp. Dist. *ant.* Universim et absolute discimus Ecclesiam per Scripturas: nego *ant.* Quibusdam positis circumstantiis, quales supponit Augustinus; subdistinguo: *remote* per Scripturas cog-

---

(1) Const. *Dei Filius*, c. III.—(2) Serm. IV. de *Jacob* et *Esau*.—(3) L. de *Util. credendi*, n. 20.—(4) Ibid. n, 35. — (5) *Contr. epist. Manich.* l. I, n. 5. — (6) Catech. 18, n. 26. - (7) Ep. 166, *contr. Donatist.*

noscitur Ecclesia; conc. Proxime, quasi nota Ecclesiae sint ipsae Scripturae; nego. Nam potius per Ecclesiae magisterium cognoscere, quae sint divinae Scripturae, oportet: cognitis autem (quod supponebat Augustinus), in ipsis discimus proprietates et notas Ecclesiae, ideoque *remote* Scripturae ducunt nos etiam ad Ecclesiam cognoscendam, quae alioquin fulget etiam ex semetipsa.

166. Obj. 2.° Nihil aliud est Ecclesia, quam ovium Christi congregatio. Sed Christi oves cognoscuntur, quatenus ipsius tenent doctrinam: *oves meae vocem meam audiunt* (1): ergo vera nota Ecclesiae est Christi doctrina. Sic delirant Protestantes.

Resp. 1.° Retorqueo argumentum: atqui oves Christi dignoscuntur quatenus pascuntur a Petro; *Pasce oves meas:* et quatenus audiunt Ecclesiam; *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus:* et quatenus unum sunt; *Rogo, Pater, ut omnes unum sint:* etc., etc. Ergo vera nota Ecclesiae est, quod Petro et ejus successoribus sit subjecta; quod Ecclesiae magisterio ducatur, non autem sensu privato; quod unitate sit ornata, non sectis divisa; etc., etc. En quid valeat istud protestantium telum.

Resp. 2.° Ad *notae* rationem, non sufficit cum Ecclesia connexio; debet insuper esse facilior cognitu, ut supra dictum (n. 157): jam vero, ut tenere aliquos Christi doctrinam pateat, hoc etiam noscendum; quaenam ista sit doctrina. Atqui id longe est difficilius; cum ideo Christus Ecclesiam fundaverit et *notis* distinxerit, ut per eam tandem doctrina sua dignoscatur.

167. Obj. 3.° Ambrosius (2) in ea verba: *Docete omnes gentes...* ait: «Fides Ecclesiae in primis quaerenda mandatur, in qua, »si Christus habitator est, abs dubio est legenda.» Ergo sinceritas fidei *Nota* est quae ad legendum Ecclesiam nos ducere debet.

Resp. Nego *conseq. Antecedens* autem explico et distinguo. Verba illa Christi, quae commentatur Ambrosius, ostendunt; Ecclesiam propter fidem docendam in primis institutam; fides enim *substantia est sperandarum rerum* (3). Proinde, quemadmodum Ecclesiae in primis munus fidem praedicandi mandatur, ita nobis fidem quaerendi uti primum officium injungitur, tamquam scopus scilicet, cujus causa ad Ecclesiam accedamus, non autem tamquam signum quo illam dignoscamus. Quam ergo Ecclesiam eligere debemus, ad fidem Christi prosequendam? Illam in qua *Christus inhabitator est:* quae, nempe, *una* sit, *sancta, catholica et apostolica:* talem enim suam Ecclesiam Christus esse voluit, ut in praecedentibus ostensum est, adeoque in hac habitat.

---

(1) Jo. X, 27. – (2) L. 6, in Luc. – (3) Hebr. XI, 1.

168. Obj. 4.° Quod commune est nequit peculiaris et propria dici nota. Sed unitas pertinet quoque ad mahumetanos, et alios; ergo.

Resp. Dist. *min.* Unitas in Christi doctrina pertinet ad mahumetanos; nego min. In mahumetica superstitione; transeat: nam plures quoque sunt in ea sectae, ideoque id quoque negare liceret.

169. Obj. 5.° Sanctitatem, miraculis et aliis Sp. Sancti charismatibus fulgentem, dicimus notam esse Ecclesiae; at Augustinus ait (1): «Quaecumque talia in Catholica fiunt, ideo sunt ap»probanda, quia in Catholica fiunt; non ideo ipsa manifestatur »catholica, quia haec in ea fiunt:» ergo non miracula Ecclesiam commendant, sed contra, Ecclesiae veritate illa commendantur.

Resp. In quibusdam circumstantiis certior est Ecclesiae notitia, quam alicujus facti miraculosi veritas; tunc igitur locum habet ista Augustini sententia, non vero semper et ex natura rerum: facile ergo conciliabis ejusmodi verba cum aliis ejusdem supra (n. 88) laudatis sententiis.

170. Obj. 6.° Catholicitas non fuit perpetuo in Ecclesia, sed per plurima secula exiguam tenuit orbis partem lex christiana; ergo nota Ecclesiae esse nequit.

Resp. Nego *consequentiam:* praesumit objectio, in extensione *actuali*, saltem morali, reponendam catholicitatem; nos autem id minime concedendum censemus, sed juxta sensum supra (Thes. IX. n. 61) traditum intelligendam; aliter valde difficilis intellectu nota ejusmodi evadit, quod vellem perpenderent auctores in diffusione actuali eam constituentes. Vide responsionem alibi fusius traditam (n. 75).

Obj. 7.° Utrum adsit Apostolicitas, sive personalis, sive doctrinalis, nequit vulgus dignoscere: ergo verae Ecclesiae nota esse non potest.

Resp. Dist. *antec.* Nequit dignoscere, saltem *negative*, quatenus nullo modo respuat Ecclesia, imo vero profiteatur constanter magisterium è traditionibus acceptum; nego *ant.* Nequit vulgus cognoscere Apostolicitatem *positive*, evolvendo nempe, origines Ecclesiarum, et doctrinam conferendo apostolicam cum Ecclesiae dogmatibus; concedo, vel subdistinguo; non potest vulgus dijudicare *directe;* conc.; *indirecte*, sapientium, scilicet, auctoritate ductum; nego *antec.* et *conseq.* Etenim, sicuti testatur Augustinus (2); «Sapiens, quantum datum est, imitatur Deum: homini »autem stulto, ad imitandum salubriter, nihil est homine sapien»te propinquius.»

---

(1) De Unit. Eccl. n. 50.—(2) *De Utilit cred.* l. I, n. 33.

171. Obj. 8.° *Unitas* hierarchica Ecclesiae ad Romanum terminatur Pontificem; *Catholicitas* (quae exigit totum esse in partibus et partes in toto) indicat plenitudinem potestatis Rom. Pontificis quae ad totam protenditur Ecclesiam, singulas quoque attingere particulares Ecclesias. Sed qui ejusmodi cognoscit *notas*, ipsam individualiter Ecclesiam necessario cognoscit; ergo notae Ecclesiae, id est, *cognitu faciliores* esse nequeunt *Unitas et Catholicitas*.

Resp. Dist. *maj*. *Unitas* terminatur ad Rom. Pontificem, *Catholicitas* indicat jurisdictionem Rom. Pontificis informantem singulas Ecclesias: qua *proprietates* Ecclesiae sunt; conc. *maj*. Quatenus *notae* rationem habent; subdist. *Unitas* et *Catholicitas* indicant respectum ad Rom. Pontificem *confuse* et quoad se, conc.; *explicite* et *quoad nos*, nego. Nam *Unitas*, qua nota, postulat quidem hierarchiam *unam;* id est, ad caput unum personale terminatam; *Catholicitas* plenitudinem hujus auctoritatis Ecclesias singulas informantis; non vero in singulari *quis* hierarchiam terminet, vel in *quo* plenitudo sedeat auctoritatis indicant. Si namque talis habeatur notitia, evadunt, fatemur, notae *positivae*, et ipso facto noscitur vera Ecclesia.

SCHOLION

172. Praedictae *Notae* possunt praecisive intelligi veluti Ecclesiae proprietates; scilicet, tamquam profluentes ab ejus natura et constitutione prout a Christo dispositis: ejusmodi sensu acceptas, fide catholica constat ad Christi Ecclesiam necessario pertinere; quod praecedentes theses sat manifestant. Ut autem *notae* rationem induant aliud requiritur, uti dictum est (n. 157): unde hoc sensu acceptae non videntur eadem certitudine convenire Ecclesiae, praesertim cum sensus comprehensivus earum determinatur; in sensu enim determinando non omnes conveniunt auctores, licet in iis indeterminate asserendis consentiant. Nihilominus censeo doctrinam dicendam catholicam, quatuor ejusmodi proprietates esse *notas* verae Ecclesiae, tum propter communem in hac re consensum, tum, maxime, propter Concilii Vatic. sententiam supra (n. 164) laudatam.

In numero autem *Notarum* definiendo major est dissensio; nam alii pauciores, alii autem plures annumerant: at ii qui pauciores, in his reliquas comprehendunt; qui autem plures, dividunt quae nos in quatuor dictis amplectimur.

CAPUT III.

De Ecclesia Christi singulariter cognoscenda.

ARTICULUS I.

De vera Christi Ecclesia positive cognita.

THESIS XVII.

Ecclesia catholico-romana, id est, quae in quinque mundi plagas dilatatur, et Romano Episcopo, tamquam centro et capiti adhaeret, est vera Christi Ecclesia.

1.° Est fidei catholicae thesis haec: «Si quis dixerit, beatum Pe»trum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Aposto»lorum omnium principem, et totius Ecclesiae caput...: aut Roma»num Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successo»rem; anathema sit» (1).

173. Probr. 2.° Cui insunt omnes Christi Ecclesiae notae, illa est vera Christi Ecclesia. Atqui Ecclesiae catholico-romanae omnes conveniunt ejusmodi notae: ergo. *Major* ex eo patet quod aliter evaderet Ecclesia invisibilis, quod repugnat (2). *Minor* igitur ostenditur.

Ecclesia catholico-romana est a) *una:* unitate fidei et unitate capitis eam gubernantis; ita ut qui vel eamdem fidem nolit confiteri, vel obedientiam supremo capiti detrectet, ab Ecclesia projicitur:

b) *sancta;* puram docens morum doctrinam, vitia damnans, sancta ad mundandum a peccatis ministrans sacramenta, sanctis effulgens membris, quae juxta ejus disciplinam vitam degunt, quaeque miraculis, aliisque Sp. Sancti charismatibus a Deo commendantur. Perspicimus quidem in Ecclesia romana edoceri et perfici quaecumque ad sanctitatem et perfectionem pertinent evangelicam, ita ut innumeras gignat congregationes et virorum et feminarum hanc sanctitatem profitentium.

«Quod continentia, ut verbis utar Augustini (3), usque ad te-

---

(1) Syn. Vat. c. *Pastor aeternus*, c. I et II. — (2) Supra, thes. XV, n. 153. — (3) *De Util. cred.* n. 35.

»nuissimum victum panis et aquae, et non quotidiana solum, sed »etiam per contextos plures dies perpetuata jejunia; quod castitas »usque ad conjugii prolisque contemptum; quod patientia usque ad »cruces, flammas neglectas; quod liberalitas usque ad patrimonia »distributa pauperibus; quod denique totius hujus mundi asperna- »tio usque ad desiderium mortis intenditur. Pauci haec faciunt, pau- »ciores bene prudenterque faciunt, sed populi (catholici) probant, »populi audiunt, populi favent, diligunt postremo populi; populi »suam imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine provectu »mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis, accu- »sant.» Quod si haec, et alia ejusmodi, in Catholica fieri dubites, sanctorum legas vitas; diversarum congregationum percurras annales; virorum apostolicorum, nec non feminarum, non solum inter christianos, sed etiam inter gentiles et barbaras nationes versantium perpendas gesta, quae ipsis haereticis stupori sunt:

c) *catholica:* nam romanam Ecclesiam crescere et dilatari per universum mundum, ita ut, ubique eadem sit et unita, et partes sint ad invicem et cum toto homogeneae, factum est evidens ob oculos omnium positum. Quae suo tempore Augustinus (1), eadem nunc de romana jure dicimus Ecclesia: «Ecclesia illa est, quam »modo dixit *unicam suam:* haec est unica catholica, quae toto orbe »copiosa difunditur, quae usque ad ultimas gentes crescendo porri- »gitur. Unde in Evangelio dicitur: *Et praedicabitur hoc evange- »lium omnibus gentibus, et tunc veniet finis:*»

d) denique *apostolica* est: nam ab apostolo Petro dimanat Romana Sedes, et hujusce Ecclesiae Pontifices, pastores, doctores, constanter et ubique proclamant quod Paulus praecipiebat (2) *Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epis- tolam;* et quod Stephanus I, decernebat tamquam regulam ubi- que servandam: «Nihil innovetur nisi quod traditum est:» pari mo- do Tridentinum (sess. 4): «Traditiones ipsas tum ad fidem, tum »ad mores pertinentes, tamquam vel ore tenus a Christo, vel a Spi- »ritu Sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia catholica »conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et vene- »ratur.»

174. 3.° Miracula ab initio argumentum extiterunt veritatis christianae religionis, ut alibi probatum (3); et Ecclesiae concessa ut cum eadem permanerent, quod supra (4) ostendimus. Atqui Ecclesia catholico-romana miraculis a Deo commendatur: ergo vera est Christi Ecclesia. *Minorem* tum universa ecclesiastica historia

(1) Lib. seu Ep. Honorato, n. 43.—(2) 2.ª Thess. II, 14.—(3) Disq. II, n. 186, thes. XVIII.—(4) Thes. X, n. 84.

tum Patrum testimonia, tum authentica canonizationis Beatorum et Sanctorum acta, tum sanctorum missionariorum, ut Francisci Xaverii, Petri Claver, etc., etc., vita et opera, authenticis et innumeris testibus certissima, confirmant.

175. 4.° Vel Ecclesia romano-catholica est vera Christi Ecclesia vel nulla est certa. Sed hoc est aperte falsum; ergo. *Minor* patet supra (1). *Major* prob. Praeter romanam Ecclesiam, nulla est christiani nominis secta quae sic splendeat, unitate, sanctitate, catholicitate et apostolicitate, uti illa effulget: ergo nulla manet in mundo certa Ecclesia Christi, si romano-catholica vera non foret.

Unde cum eodem Augustino (ibid.) colligimus: «Cum igitur »tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus; »dubitabimus nos ejus Ecclesiae condere gremio, quae usque ad »confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones »episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, et partim ple»bis ipsius judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam mi»raculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui »nolle primas dare, vel summae profecto impietatis est, vel praeci»pitis arrogantiae.»

176. Obj. 1.° Plures semper reperire est in romanae Ecclesiae doctoribus et scholis circa fidem dissensiones, ex. gr. de libertate, de gratia, de praedestinatione, etc.; ergo minime huic convenit Ecclesiae *unitatis* nota.

Resp. Dist. *ant.* Reperiuntur dissensiones circa fidem definitam, seu catholicam: nego. Secus; conc. *ant.* et nego *conseq.* Rationis lumen minime lumine fidei extinguitur aut obscuratur, potius vero intenditur; et Ecclesiae auctoritas discussiones circa sacram doctrinam non improbat, Apostolo (2) suadente: *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

177. Obj. 2.° Successores B. Petri, principis Apostolorum, saepe plures simul extiterunt. Ergo unitas regiminis vel non est nota Ecclesiae, vel tunc defecisse Ecclesiam . aut invisibilem factam dicendum.

Resp. Dist. *ant.* Plures extiterunt, iique legitimi; nego. Aliter; conc. *antec.* et nego *consequentiam.* Defecit tunc Ecclesia apud eos qui schisma malitiose fovebant, non autem in reliquis: invisibilis fuit non in se, neque apud eos qui legitimo adhaerebant capiti; sed apud eos solum, qui bona fide illegitimum sequebantur, donec factorum veritas liqueret omnibus (a).

---

(1) Thes. XV, n. 153.—(2) 1.ª Thess. V, 21.

(a) Et hic notare juvat, non debere (ut puto,) nec *posse* concedi, quod *nullis tunc certo constabat* de vero Ecclesiae capite: nam si verum Ecclesiae dabatur caput

178. 3.° Innumeri sunt in Ecclesia peccatores, pauci autem vere sancti. Sed corporis bonitas vel malitia ex majori partium numero potius definienda, quam ex una vel altera: ergo non *sancta* dicenda Ecclesia, sed è contra.

Resp. Dist. *maj.* Pauci sancti, innumeri peccatores sunt, idque fit ex innata Ecclesiae propensione: nego: ex vitio extrinseco et adversante Ecclesiae natura: conc. *maj.* Similiter *minorem* distinguas: si corporis partes bene vel male se habent ex innata aptitudine, dijudicandum erit juxta majorem partium numerum; concedo; aliter, nego *min.* et *consequentiam.* Peccatores sunt non pauci in Ecclesia quemadmodum in area praeponderant paleae granis, ait Augustinus (1); at justi ex interna Ecclesiae vita enascuntur, tamquam connaturales fructus; peccatores vero extrinsecus malitia hominum gignit, Christi Ecclesia obsistente.

179. Obj. 4.° Romana Ecclesia immensas Asiae et Africae regiones ad recentia usque tempora ignoravit, quemadmodum et Oceaniam universam, utrasque Americas. Quod autem de Asiae, Africae et Europae partibus possederat, irruentibus haereticis, schismaticis et mahumetanis, vel penitus amisit, vel magna ex parte: ergo non est *catholica* dicenda, sed potius *pusillus grex.*

Resp. Dist. *consequens.* Dicenda romana Ecclesia *pusillus grex*, si ipsa, ad quamvis aliam christiani nominis sectam respective consideretur; nego: eo enim ducunt notae ad veram Christi Ecclesiam a falsa discernendam: si ad infideles, fictosque christianos simul eam comparemus; conc. *conseq.*

Unde, falso supponitur in universas mundi partes simul versari debere Ecclesiam, ut sit *catholica*, sicut supra dictum est (n. 170): falso etiam fingitur, loca illa quae obtinuerit debere actu retinere: ut enim notabat Augustinus (2): «Donatistae ruperunt in »Africa, ariani ruperunt in Aegypto, photiniani ruperunt in Pan»nonia, manichaei ruperunt in Perside. Quot locis sagena illa dis»rupta est? Et tamen quod includit, perducit ad littus.»

180. Obj. 5.° Christi Ecclesia unitate coalescit hierarchica, ad unum caput personale, non morale ducta. Sed romana Ecclesia caput habet morale quo gubernatur, Congregationibus scilicet cardinalium; ergo vera esse nequit Ecclesia Christi. Resp. Dist. *min.* Romana Ecclesia gubernatur cardinalium Congregationibus, auctoritate ipsis propria et independenti aut plena; nego: potesta-

---

(uti conceditur); cur dicendum, de hoc facto nullos notitiam certam habuisse? Numquid momenta legitimae electionis latere apud omnes necessum erat? Quod si apud aliquos nota erant, poterant quoque apud alios morali certitudine evulgari.

(1) De Unit. Eccl. n. 50.—(2) Serm. 252. IV *De Tempore.*

te a Pontifice Summo accepta et dependenti ac partiali; concedo.

Inst. Quod auctoritas non sit propria, sed aliunde accepta; quod non independens, sed altiori subordinata; id sane pertinet et respicit ad *causam* et *originem* ipsius, non vero ad *effectum*, id est. ad *gubernationem* reapse vigentem; scilicet, non afficit hierarchiam in *actu secundo* inspectam. Atqui hierarchia eatenus *nota* verae Ecclesiae populis esse potest, quatenus *effective*, seu in *actu secundo* se prodit; ergo in romana Ecclesia *nota unitatis* hierarchiae desideratur.

Min. probatur. Quod auctoritas Ecclesiam regens sit *divina*, quod non sit *humanitus* accepta, cum ipsius Ecclesiae confunditur veritate et divinitate: ergo unitas hierarchica non potest rationem *notae* ex parte causae et originis induere, sed ex *actu secundo*, seu ipsa gubernatione effective exercita.

181. Resp. ad instantiam: dist. *maj.* Quod auctoritas non sit *propria*, quod non sit *independens*... non afficit gubernationem in *actu secundo* inspectam, si in ipso *actu secundo* non elucescat dependentia; conc. *majorem;* si ipse *actus secundus* dependentiam prae se ferat; nego *majorem*. Deinde concessa *minori* et sequenti probatione, nego *consequentiam*.

Et sane, romanae Congregationes cum summa sapientia sunt á Summis Pontificibus constitutae, ita ut, non obscuretur, sed potius elucescat, ecclesiasticae hierarchiae natura et suprema potestas.

Hinc Congregatio quae dicitur *Concilii* (quippe ad executionem decretorum Concilii Tridentini instituta) non proprie regit Ecclesiam, sed ut per leges Tridentini, a Papa confirmati, regatur providet. Licet autem habeat nunc (initio enim non habebat) etiam facultatem dubia, ad decreta Concilii spectantia, interpretandi; non tamen ea quae fidem attingunt: cetera autem solum Pontifice consulto authentice interpretatur. Unde manifesto elucet non inesse Congregationi primatum, seu summam Ecclesiae auctoritatem.

Congregatio supremae Inquisitionis decreta universalia coram Sanctissimo edere solet, et quidem ipsius Pontificis nomine. Delegatam ergo et partialem tantum habere auctoritatem facile constat.

Similiter SS. Rituum Congregatio decreta universalia (nam particularia, cum universalem non respiciant Ecclesiam, nullum possunt dubium de vera Ecclesiae unitate hierarchica ingerere) de mandato solummodo Summi Pontificis edit ac promulgat.

Unde manifestum est nullatenus ante populos hierarchicam Ecclesiae unitatem per romanas Congregationes obscurari. Dixi *ante populos;* nam quod ad catholicos pertinet, notae eis sunt duae

regulae generales, quae veluti principia haerent muneribus a Pontifice Summo ceteris, etiam Cardinalium Congregationibus, collatis, ut observat Berardus (1): «Primum est, quoniam de supremo »Principe agitur, non jurisdictionem universam, et quantacumque »sit, in ejus veluti constitutos vicarios fluere... Hinc a delegato »Pontificis Maximi ad eumdem Pontificem provocatur. Alte»rum principium est, nonnullas inesse Pontifici Maximo »praerogativas, quas, quod dignitati ipsi cohaereant, personales »quodammodo dixerimus, nec facile aliis communicandas, eodem »jure, quo nec ipsa dignitas pontificatus maximi per quamcumque »delegationem communicari potest.»

Jam vero Pontificis Maximi praerrogativa est, centrum esse unitatis Ecclesiae, tum quoad fidem, tum quoad hierarchicam potestatem, ex dictis constat: propterea decreta omnia ad fidem spectantia, vel ad leges universales Ecclesiae, numquam sejunctim a potestate Pontificis Maximi exhibentur; tum ut summam attingant efficaciam; tum ne exinde unitas Ecclesiae ullatenus obnubiletur, quasi hierarchicus ordo a Christo constitutus declinaverit, a capite, scilicet physico, ad caput morale.

182. Quapropter quorumdam canonistarum (2) adprobare nequimus opinationem, qua conferre ausi sunt Primatum pontificium cum imperatoria potestate, et naturam illius juxta hanc definire. Volentes, scilicet, ostendere, promulgatione pontificia non indigere, ut universam obligent Ecclesiam, declarationes Congregationis Concilii; argumentantur ex Justiniani imperatoris statuto circa jurisconsultorum responsa: ut valeant «tamquam si eorum studia »ex principalibus constitutionibus profecta, et a nostro divino fue»rint ore profusa:» quasi, nempe, id debuerit Pontifex velle de sua in Congregationem delegata potestate, quod placuit Imperatori de jurisconsultorum placitis. At toto coelo distant pontificius Primatus et imperatoria potestas. Illud namque *divinae* est institutionis; haec vero *humanae:* illud in *Notam* et signum positum est verae Christi Ecclesiae; «Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur», ait Cyprianus; et Augustinus: «Quo venturus est qui sitit?... Ad Ecclesiam quae una est, et »super *unum* qui claves ejus accepit, voce Domini fundata» (3). Communem sane, prout libeat, faciat imperator supremam suam potestatem; deponat etiam illam, si velit, et in aristocraticum vel democraticum resolvat imperialem principatum; nihil moramur: absit vero quippiam ejusmodi de primatu Pontificio excogitare. Unde et ipse Pontifex Sixtus V (4), in eadem Constitutione,

---

(1) Comment. in jus can. diss. 2, c. 3. — (2) Apud Schmalzgrueber, *Diss. proem.* n. 372.— (3) Vide supra, n. 42. Thes VII.— (4) Const. «Immensa.»

ubi romanas instituebat vel confirmabat Congregationes, ait: «Ro»manus Pontifex, quem Christus Dominus corporis sui. quod est »Ecclesia, *visibile caput* constituit.» *Visibile* quidem, non qua *homo* tantum, sed qua *caput*, voluit esse *visibile*. Ad finem autem Constitutionis, ubi facultates singulis participatas Congregationibus declarat, ait: «Graviora quaecumque ad nos vel successores nostros de»ferantur; ut quid secundum Deum expediat, ejus gratia adjuvan»te, mature statuamus.» Atqui inter graviora, imo inter gravissima, deputandum ea quae sunt primatus Pontificii quasi constitutiva; teste Florentino Conc., teste etiam Vaticano: nempe, potestas *pascendi* et *gubernandi* universalem Ecclesiam collective sumptam; quod perficitur respective definitionibus circa fidem vel mores, et legibus universalibus: numquam ergo concedet S. Pontifex communem aliis evadere potestatem istam, ideoque *visibilis* semper existet, non apud catholicos tantum, sed apud gentes quoque omnes, unitas hierarchica *personalis* et *physica* Ecclesiae Christi.

ARTICULUS II.

De Christiana Ecclesia negative cognita, seu de iis qui ad Christi Ecclesiam non pertinent.

THESIS XVIII.

Schismatici Constantinopolitano episcopo adhaerentes nequeunt Christi esse Ecclesia.

183. **Nota.** Constantinopolitanum schisma a Photio, patriarcha illius urbis, originem habuit seculo IX. Deinde, non semel, ad Concilium generale orientales vocati, et consentientibus eorum legatis ad unitatem redire, uti in Lugdunensi conc. et Florentino, aliquorum episcoporum turbulentiis unio fuit impedita.

Probr. 1.° Vera Christi Ecclesia est Romano-catholica, ut probatum thesi praec.; et debet sub unico hierarchico regi ordine, ut diximus thesi VI. Sed adhaerentes schismati photiano non reguntur eodem hierarchico ordine cum Ecclesia Romano-catholica: ergo ad veram Christi Ecclesiam non spectant.

2.° Centrum et culmen christianae hierarchiae sunt Petrus Apostolorum princeps, ejusque successores Romani Pontifices, ut supra probatum est. (Thes. VII et VIII). Atqui adherentes photiano schismati, longe sunt ab hoc hierarchiae centro: ergo sunt extra Ecclesiae Christi *unitatem*.

183. 3.° Suprema, qua abutitur, potestas episcopus Constantinopolitanus post Photium, non habet originem Apostolicam: ergo ejusmodi ecclesia non est Apostolica. *Ant.* patet. Nam potestas ejusmodi a Photio originem ducit rebellanti, et a Sede Apostolica excommunione confixo: primis seculis nonnisi simplicem episcopum illa civitas habuit; deinde caput imperii evadens patriarchatu donata fuit; Patriarchae autem, usque ad seculum IX, cum Graecis Romano Pontifici subjecere, tamquam capiti Universalis Ecclesiae; tamen, non semel in haeresim lapsi depositi et damnati sunt. Patet ergo Ecclesiam illam ejusque Episcopum nullatenus esse posse centrum et supremum culmen christianae hierarchiae divinitus institutae.

4.° Ista Constantinopolitana ecclesia ad mundum universum non enuntiat Evangelium, sed sterilis omnino jacet, et cum partibus desiit esse homogenea; ergo non est amplius catholica, juxta ea, quae de catholicitate ostensa sunt (thes. IX, n. 61). Et quidem, eodem jure, seu potius, eadem injuria qua recessit ipsa a Romana et Catholica unitate, ab ea vicissim Russiacae et Graecanicae et Armenicae ac Aethiopicae ecclesiae segregatae fuere.

184. **Corollar.** Orientales ecclesiae, quas vel Russiarum imperatori vel Armenorum patriarchae, vel Graecorum archiepiscopis et primatis, subduntur, ad veram Christi Ecclesiam non spectant. Nam argumenta, adversus Constantinopolitanam posita ecclesiam, idem evincunt contra istas ecclesias ab eadem postea sejunctas. Idem plane infertur adversus Coptorum, Aegyptiorum, aliorumque ecclesias, quae, praeter Nestorianos vel Eutichianos quibus inficiuntur errores, olim jam ab oecumenicis Conciliis damnatos, Notis orbatae in simili versantur schismate.

THESIS XIX.

Protestantium innumerae sectae, sive simul sumptae, sive singillatim, Lutherani, nempe, Calvinistae, Zuingliani, Anabaptistae, etc., etc., non pertinent ad veram Christi Ecclesiam.

185. 1.ª Pars prob. Simul sumptas sectas istas non pertinere ad veram christi Ecclesiam, patet 1.° Vera Ecclesia, ut probatum est (thes. XVII), est Catholico-Romana. Atqui non habent Protestantes cum Catholica communionem: ergo non spectant ad veram Christi Ecclesiam.

2.° Congregatio cui non insunt Notae Christi Ecclesiae, nequit vera esse Ecclesia. Sed talis se habet ista sectarum congregatio, uti facile perspicies si Notas singulas expendas; ergo. Nam *Unita-*

tem hierarchicam et in fide minime habent: quad *Sanctitatem*, turpissimos errores in moribus profitentur; charismata autem Spiritus S. nulla invenies: *Catholicitas* longe ab ipsis existit; nam neque cum toto, neque ad invicem habent sectae protestantes homogeneitatem: de *Apostolicitate;* ut quid loquendum? Natae sunt a turpissimis impostoribus et vitiosis novatoribus seculo XVI.

186. II.ª Pars prob. nempe, neque ulla Sectarum Protestantium potest vera esse Christi Ecclesia.

1.° Quaelibet earum est sejuncta et independens a Catholica, quae, ut probatum est, est vera Ecclesia christiana. Sed vera Ecclesia Christi debet unica gubernari hierarchia et eamdem habere fidem: ergo nulla Protestantium secta ad veram spectat Ecclesiam.

2.° Nulla istarum Sectarum habet in fide *Unitatem;* quilibet enim quod vult et arridet, id credit; et inde id fluxit quod sectam a secta divisit, et dividit sectarium a sectario, nempe, *Spiritus Privatus*, uti dicunt, regula eorum fundamentalis.

3.° In Christi Ecclesia regula credendi debet esse ecclesiâ docens, ut probatum supra (thes. V, n. 25). Sed nulla Protestantium secta hac utitur fidei regula; ergo. Unde hac certissima norma configimus omnes et singulas Protestantium sectas et sectarios: *Nos ex Deo sumus. Qui novit Deum audit nos: qui non est ex Deo, non audit nos; in hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris* (1).

4.° Quaelibet Protestantium secta fuit recens orta; ergo non est *Apostolica:* item, est in angulo jacens, et sibi dissimilis, sive partes ad invicem, sive cum toto; ergo non est *Catholica:* ergo non est Christi Ecclesia.

5.° Miracula et cetera Sp. Sancti charismata veram Ecclesiam comitari debent et commendare, ut probatum fuit (thes. X, n. 84). Sed nullis miraculis fuit commendata secta aliqua: ergo Ecclesia Christi esse nequit.

187. 6.° Fidem Christi amplecti est prudentiae et virtutis actus. Atqui nulla virtus et prudentia suadet sectam aliquam amplecti protestanticam; ergo in nulla Protestantium secta est fides Christi quaerenda. *Major* patet; Christi enim amplecti fidem actus est honestus ac meritorius: *Qui crediderit, salvus erit* (2). *Min.* probatur. Non soli catholici, sed et Protestantes fatentur, in Catholica Ecclesia posse credentes aeternam assequi salutem: è contra, de qualibet secta, docet Catholica, extra salutis viam aberrare; et sectae reliquae de illa putant, falsam profiteri fidem. Atqui manifesta est imprudentia, viam incertam salutis arripere, certa et communi sensu

---

(1) 1.ª Jo. IV, 6.—(2) Marc. XVI, 16.

probata, dimissa: ergo nulla virtus et prudentia potest ad Protestantismum ducere.

188. Obj. Sufficit articulos fidei profiteri necessarios ut quis ad Ecclesiam spectet Christi. At illos omnes Protestantes profitentur; ergo.

Resp. Nego *min.* Nam qui unum tantum neget fidei articulum, cum Dei nitatur testimonio, *mendacem facit eum;* ut loquitur Joannes (1): ergo omnem subvertit fidem. Et quidem non minus in re minima, quam in maxima infallibilis est Deus; hinc, sine discrimine, a Protestantibus ficto, dixit Dominus (2): *Qui crediderit salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Et Paulus ajebat (3): *Licet nos aut Angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*

THESIS XX.

Anglicana secta, ab Henrico VIII inducta, ab Elisabetha regina instaurata, non potest vera Christi esse Ecclesia.

189. **Nota.** Orta fuit Anglicana secta ex eo, quod Henricus Rex voluit, dimissa legitima uxore, Annam Bolenam, cujus turpi amore fuerat irretitus, ducere. Noluit autem Romanus Pontifex prius legitimum, ideoque indissolubile, solvere conjugium: exinde luxuriosus rex a Romana et Catholica recessit Ecclesia, et regnum totum compulit vel mortem subire, vel a fide etiam recedere; seque Ecclesiae caput habendum decrevit.

Prob. 1.° Primum falsitatis argumentum pro Anglicana secta sit ipsius turpissima origo.

2.° Centrum et culmen christianae hierarchiae sunt Romani Pontifices, ut ostendimus (Th. VIII, n. 51): sed unica est ecclesiastica hierarchia; ergo extra Christi Ecclesiam Anglicani versantur. *Min.* ex Thes. VII, patet, supra, n. 36.

3.° Anglicana secta communionem habet cum haereticis, imo et rationalistis manifestis: ergo ab Unitate fidei decessit.

4.° Secta Anglicana omnem accipit jurisdictionem a seculari principe, ac saepe a femina regina; sed ab Apostolica traditione hoc est alienissimum; ergo.

5.° Nulla elucet in Anglicana secta Sanctitas miraculis commendata. Atqui miracula et alia Sp. Sancti charismata veram Ecclesiam consequuntur, ut probatum est; ergo. *Minor* ex thesi X constat.

---

(1) I.ª Jo. V, 10.– (2) Marc. XVI, 16.—(3) Gal. I, 8.

CAPUT IV.

De Ecclesiae filiis, seu veris christianis dignoscendis.

THESIS XXI.

Quidam ad Christi Ecclesia spectant interne et externe, seu et quoad illius animam, et quoad corpus; alii autem vel quoad animam tantum, vel quoad corpus; quidam denique nullo modo actualiter pertinent, sed in potentia, seu ex debito solum.

190. **Nota.** Ecclesia ovile et corpus Christi dicitur, et est; ideoque multis coalescit membris cum Christo capite et ad invicem coadunatis. Ex superius traditis constat, ejusmodi unionem ex donis internis procedere, puta, fide, aliisque Spiritus Sancti charismatibus: et ex vinculis externis, nempe, ejusdem fidei professione, sub eadem hierarchia subjectione, eorumdem necessariorum Sacramentorum participatione, et reliquorum mandatorum custodia. Hinc nomine *animae* Ecclesiae veniunt fides, charitas, aliaque Spiritus Sancti charismata interna: nomine autem *corporis* indicantur visibilia et externa fidelium vincula.

191. Prob. His positis, probatio, vel potius explicatio thesis obvia est. a) Quidam non solum externe fidem catholicam profitentur, sacramenta suscipiunt ceteraque mandata, tum divina, tum Ecclesiae hierarchicae, exequuntur; sed interius etiam donis fruuntur Spiritus S. quibus Christi vitam participant: ergo quidam externe et interne, quoad corpus et quoad animam, ad Christi spectant Ecclesiam. De his dixit Dominus (1): *Claritatem quam dedisti mihi dedi eis; ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummati in unum; et agnoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut me dilexisti.* Etenim exterius etiam horum praelucente sanctitate ad Christi Dei cognitionem mundum adducunt.

192. b) Alii, praesertim ex vulgo, in schisma, vel fidei errorem ignoranter prolapsi sunt ut notat Augustinus (2); at interius in Christum credunt, et affectu nonnisi veram cupiunt profiteri fidem

---

(1) Jo. XVII, 22, 23.—(2) Supra, n. 78.

et omnia, prout intelligere valent, servant mandata: ergo isti ad Christum ejusque pertinent Ecclesiam, sed quoad animam tantum. E contra, quidam sepulcra sunt dealbata; id est, exterius ea omnia praestant quae Ecclesiae filii praestare tenentur: verum interius vel partim, vel ex toto, ab ea fide, formata aut informi, quae nos Christo et Ecclesiae conjungit, recedunt; ergo nonnulli quoad corpus quidem inter membra Ecclesiae connumerantur, quoad animam autem defecerunt. Istos respiciebat Joannes dicens (1): *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis*. Quia autem fides primum est ex supernaturalibus donis, haereticus nullatenus inhaeret Christo et animae Ecclesiae.

193. c) Denique, non pauci nullis externis vinculis cum Ecclesia copulantur, et internis etiam carent Spiritus S. donis: ergo isti neque ad Ecclesiae animam, neque ad corpus possunt referri. *Ant.* patet. Nam plures vel fidem adhuc non sunt amplexati, vel ab ea recesserunt, et exterius etiam Ecclesiae non obsequuntur. Unde haereticus manifestus neque ad corpus spectat Ecclesiae; tamen eidem subjectus est, quia injuste recessit.

d) Denique adjicimus, quod isti in *potentia* seu *ex debito* ad Ecclesiam pertinent. Ut enim supra ostensum est, omnes homines fidem Christi profiteri tenentur et Ecclesiae coadunari, ut salutem consequantur aeternam. Vide Thesim I, n. 6.

THESIS XXII.

Ecclesia non coalescit ex solis praedestinatis. Certa et catholica est doctrina.

194. **Nota**. Praedestinati dicuntur illi, quorum aeternae saluti sic Deus ab aeterno providit, ut eam sint de facto consecuturi, ac ideo in Dei charitate de praesenti vita decessuri.

Prob. 1.° Damnata fuit ab Ecclesia Prop. 1.ª Hus, quae sic se habet: «Unica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinato»rum universitas.» Jure proscripta; aliter foret Ecclesia invisibilis: vide retro Thesim XV.

2.° Paulus, magnus Apostolus, a Christo electus, timebat tamen reprobari, et inde, ne, forsan e praedestinatorum non esset numero: numquid timebat etiam, utrum ad Ecclesiam pertineret Christi? Vide eum asserentem (2) se ministrum esse Christi et Apostolum.

3.° Vincula tum interna, tum externa, quibus Christo et Eccle-

---

(1) 1.ª Jo. II, 19.—(2) 2.ª Cor. I, 1; XI, 23.

siae conjungimur, ut fides, etc., non pendent a praedestinatione ad gloriam: ergo hac non stante, illa existere possunt.

195. Obj. Nemo accedit ad Christum nisi Pater illum trahat (1). Sed nullus perit ex his quos Pater Christo tradit (2): ergo praedestinati soli ad Christum accedunt et sunt illius membra.

Resp. Dist. *min.* Nullus perit Christi causa; conc. *min.* Illius qui perit culpa: Subd. Si perseveranter trahatur et efficaciter; concedo: aliter; nego: quod facile intelligitur ex parabola vitis (3); nam quidam cum palmites sint Christi et membra, tamen fructum ferre nolentes, tolluntur et in ignem mittuntur.

Inst. De illis qui Ecclesiam deserunt, ait S. Joannes (4): *Ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis.* Sed reprobi omnes prodibunt tandem ex nobis; ergo non sunt ex nobis, seu de Ecclesia. Resp. Dist. seu explico Joannis sententiam: *Non erant ex nobis* permanenter, seu finaliter et plene; conc. Actu, seu transeunter et ex parte saltem, seu externe; nego. Hoc sensu locutum sanctum Apostolum, ipse indicat: *Nam si fuissent ex nobis*, permansissent *utique nobiscum.*

THESIS XXIII.

Catholicus, etiamsi peccator, absolute intra Ecclesiam existit, licet imperfecte.

196. Propositio est certa et catholica.

Prob. 1.° Trident. conc. definit (5): «Si quis dixerit... eum »qui fidem sine charitate habet, non esse christianum; anath. sit.» Et adversus Syn. Pistor. damnavit Pius VI prop. 15.ᵐ: «Inte»tellecta in eo sensu, ut ad corpus Ecclesiae non pertineant nisi »fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate: haere»tica.»

2.° Thesim hanc docet passim Augustinus adversus Donatistas; et Hieronymus ait (6): «Quomodo caput plurima sibi »habet membra subjecta, è quibus sunt nonnulla vitiosa; ita et Do»minus J. C. cum sit caput Ecclesiae habet membra eos omnes qui »in Ecclesia congregantur; tam sanctos videlicet, quam peccatores.»

3.° Ratio ex dictis elucet: nam tum interne per fidem et spem; tum externe per fidei professionem et subjectionem hierarchicam Ecclesiae et Christo peccatores copulantur.

Adjicimus, *licet imperfecte;* quod patet ex thesi X, praesertim n. 83.

---

(1) Jo. VI, 44.— (2) Ibid. 29.– (3) Ibid. XV. —(4) 1.ª Jo. II, 19.– (5) Sess. XVII, c. 28.– (6) *In ep. ad Ephes.* c. I, v. 22.

Obj. Apud SS. Patres non semel legitur, ad Ecclesiam Christi malos non pertinere. Resp. Non pertinere *perfecte*, conc.; carent enim charitatis vinculo: *imperfecte* uti infirma membra; nego.

THESIS XXIV.

Excommunicati removentur partim ab Ecclesiae corpore, non autem ab anima.

197. Prob. 1.ª pars. Excommunicatio removet a communione fidelium, vel saltem a participatione Sacramentorum: ergo aliquo modo ab Ecclesia sunt segregati. Deinde supponit haec poena contumaciam aliquam in delinquendo apud eum qui excommunicatur: ergo aliquatenus a subjectione hierarchica deficit.

Dicimus *partim* removeri ab Ecclesiae corpore excommunicatos; nam si ignoranter ad sacramenta accedant. valide; si autem ex necessitate, etiam licite ea recipiunt. Praeterea eamdem cum Ecclesia fidem profitentur, et unionem hierarchicam retinent.

198. Probr. 2.ª Pars. Ab Ecclesiae anima non removentur excommunicati: tum quia excommunicatio est fori externi poena; etiamsi interius et coram Deo ad eam subeundam obliget; tum quia dona illa Spiritus Sancti quae interius Christo conjungunt a solo Deo pendent et conceduntur. Ideo ajebat Augustinus (1): «Saepe etiam »sinit divina Providentia, per nonnullas nimium turbulentas car»nalium hominum seditiones expelli de congregatione christiana »etiam bonos viros. Quam contumeliam vel injuriam suam cum »patientissime pro Ecclesiae pace tulerint, docebunt homines, »quam vero affectu, et quanta sinceritate charitatis Deo serviendum »sit... Hos coronat in occulto Pater, in occulto videns. Rarum hoc »videtur genus, sed tamen exempla non dēsunt; imo plura sunt, »quam credi potest. Ita omnibus generibus hominum et exemplo»rum ad animarum curationem et ad institutionem spiritualis po»puli, utitur divina Providentia.»

(1) De vera Relig. c. 6.

CAPUT V.

De sacro deposito, seu fontibus unde Ecclesia sacram haurit doctrinam.

199. **Nota**. Apostolus ad Ecclesiam scribens Thessalonicensem praecepit (1): *Tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram:* ad duo ergo capita ducebat Paulus omnem a se traditam christianam institutionem: quatenus vel scriptis consignatam, vel ore tenus commendatam: hoc apostolicae praedicationis caput *Traditionis* nomine, quasi proprio, notatur; illud autem *Scripturae sacrae* titulo insignitur, quemadmodum legis Mosaycae veteres Scripturae; si tamen *Deo inspirante* fuerint scripturae exaratae. Nam si hominis tantum diligentia fuerit doctrina vel institutio aliqua, etsi divina, scriptis tradita, non ideo a nomine *Traditionis* proprie dictae removetur.

200. Praeterea notandum, dispesci *Traditiones* in divinas, apostolicas et ecclesiasticas; quatenus habuere originem immediatam vel a Deo, vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia tantum, uti ab Apostolis condistincta et consequenti. Inter primas ea quae ad substantiam, ex. gr. spectant Sacramentorum adnumerantur; ad secundas quadragesimalia pertinent jejunia; ad tertium autem genus quaedam officiorum ecclesiasticorum refertur distinctio. *Traditio* ergo oralis et divina unde, quasi e fonte, sacram Ecclesia haurit doctrinam in hoc primo elucidatur articulo: in altero autem de *Scriptura Sacra* sermo erit.

ARTICULUS I.

De Traditione.

THESIS XXV.

Scripturae Sacrae non complectuntur exclusive universam fidei christianae doctrinam, sed a Traditione est etiam desumenda.

201. **Nota**: ad fidem pertinet catholicam thesis adversus Protes-

(1) 2.ª Thess. II, 14.

tantes, qui volunt sufficientem fidei regulam esse solas Scripturas Sacras.

Probr. 1.° Tridentinum Concilium (1) docet: «Sacro-»sancta Oecumenica et Generalis Tridentina Syno-»dus... perspiciens hanc veritatem et disciplinam, (Evangelii a »Christo Domino promulgati) contineri in Libris scriptis, et sine »scripto Traditionibus, quae ab ipsius Christi ore ab Aposto-»lis acceptae, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu Sancto dictante, quasi »per manus traditae, ad nos usque pervenerunt: orthodoxorum Pa-»trum exempla secuta omnes libros tam Veteris, quam Novi Testa-»menti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non Traditiones »ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel ore »tenus a Christo, vel a Spiritu Sancto dictatas, et continua succes-»sione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac re-»verentia, suscipit et veneratur.» Antiqua in eadam doctrina praeiverant Concilia. Sicut Nicoenum II, oecumenicum VII, ajebat: (2): «Sicut robur obtinet sanctorum Patrum nostrorum doc-»trina, id est, Traditio sanctae catholicae Ecclesiae, quae a fini-»bus usque ad fines terrae suscepit Evangelium. Sic Paulum, qui »in Christo locutus est, et omnem divinum apostolicum coetum et »paternam sanctitatem exequimur tenentes Traditiones quas »accepimus.» Et tandem decernit: «Si quis omnem ecclesiasticam »Traditionem, sive scriptam, sive non scriptam rejicit, ana-»thema sit.» Vide etiam canonem 17 Concilii Lateran. sub Martino I. Hanc denuo doctrinam confirmavit Vaticana Synodus (3).

Prob. 2.° Nullibi legitur, nusquam etiam dictum vel auditum; Christum D. Apostolis doctrinam aliquam scriptam tradidisse, vel eis injunxisse ut quae ab Ipso audierant scriptis traderent: ergo gratis omnino et pro lubitu fingunt haeretici omnem evangelicam doctrinam scriptis fuisse datam.

3.° Christus D. hisce verbis misit Apostolos: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (4). Atqui non solis scriptis docetur, sed ore praecipue ac praedicatione: et quidem sic docuit Christus, praedicatione, scilicet, non scriptis; sic quoque intellexit Marcus (5): *Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae... Illi autem profecti praedicaverunt ubique:* ergo non solum *gratis,* sed irrationabiliter etiam, et contra obvium

(1) Sess. IV.—(2) Epist. *ad episcopos Dardaniae.* — (3) Const. *Dei Filius,* c. II. —(4) Matth. XXVIII, 18-20.—(5) XVI, 15 20.

Scripturae sensum, contendunt Protestantes scriptis tantum tradidisse Apostolos verbum Dei.

4.° Apostolus (1) doctrinam fidei ex auditu tradidit Timotheo; praecepit ei etiam ut eamdem aliis committeret, dicens: *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.* Ecce non dicit Paulus; *Quae scripta sunt, vel scribenda;* sed *quae audisti:* id est, doctrinam ore traditam, quod etiam Thessalonicensibus explicite indixit, ut supra dictum (n. 199).

203. 5.° Hos vel istos libros esse sacros, seu divinitus inspiratos, fide credendum est. Atqui nullibi in Scriptura legitur qui sint ejusmodi libri; ergo non omnis fidei doctrina in Scripturis traditur. Hinc haeretici pro libitu nunc istos, nunc illos rejiciunt libros, licet contendant se sacris Scripturis fidem praebere.

204. 6.° Si unica fidei regula sacrae forent Scripturae, ad dirimendas fidei quaestiones deberet Ecclesia ad Scripturas, more Protestantium, semper appellare: atqui contrarium edocet verbo et exemplo universa retro antiquitas, quae, apud SS. Patres et sacra Concilia, Traditionis regulam constanter adhibet, ut supra (2) ostendimus: ergo non è solis Scripturis est sacra desumendi fidei doctrina. Vide quoque Tertullianum acerrime hoc urgentem argumentum (3). S. Athanasius (4) ajebat: «Ecce nos de»monstramus istiusmodi sententiam, a Patribus ad Patres, quasi »per manus traditam esse. Vos, novi Judaei et discipuli Caifae, »quos verborum vestrorum patres ac majores demonstrabitis?» S. Epiphanius (5) pariter: «Respondete nobis, Arii discipuli: »ingenitum dicimus omnes simul Patrem et increatum; et ad»mirabilis est dictio, scilicet: ubi itaque est dictio haec scripta, os»tendite; neque enim lex, neque prophetae...»

Confirmat Augustinus (6). «Quam consuetudinem credo ex »Apostolica traditione venientem; (sicut multa alia quae non in»veniuntur in litteris eorum neque in conciliis posteriorum, et ta»men quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ip»sis tradita et commendata creduntur.)»

205. Obj. 1.° Prohibemur a Spiritu Sancto quidquam sacris Litteris adjicere: ergo sufficiunt ad salutem, et de Traditionibus non oportet nos esse sollicitos.

Resp. dist. *antec. Intrinsecus* aliquid adjicere prohibemur, eas scilicet immutando; conc. Adjicere *extrinsecus;* subdist.; quippiam

---

(1) 2.ª Tim. II, 2.—(2) Thes. V, n. 25, 26.—(3) Disquis. I, n. 72, 73.—(4) De *decret. Nicae.*—(5) Haeres. 69.—(6) *De Bapt.* contra Donat l. 2, c. 12.

Scripturis contrarium sectando; conc. id prohiberi: quae ipsis congrua sint tenendo: nego.

206. Obj. 2.° Saepe sancti Patres sufficientiam et plenitudinem laudant Scripturarum: ergo nihil aliud requiritur.

Resp. Dist. *ant.* Laudant Patres sufficientiam Scripturarum universalem: nego; ad nonnullos dilucidandos fidei articulos; subd. Praesupposita magisterii Ecclesiae auctoritate, conc. Independenter ab Ecclesiae magisterio: nego *ant.*

Inst. Sanctus Basilius (1) universalem praedicat sacrae Scripturae sufficientiam; «Manifestus a fide lapsus est, ac superbiae cri»men, si quis aut quidquam eorum quae scripta sunt reprobet; aut »aliquid ex iis quae scriptis mandata non sunt, introducat.»

Resp. Dist. seu explico Basilii dictum: «Si quis,» id est, particularis quaevis persona, sensum novum, peregrinum, a Scripturis alienum affingat, tamquam verbum Dei; talis a *fide est lapsus;* conc. «Si quis.» id est, Ecclesia docens; nego, quod ejusmodi absurdum supponat sanctus Basilius, qui Ecclesiam, «Omnium »matrem et nutricem» appellat (2).

Corollarium. Quo pacto possit theologus, data occasione, ex Traditione argumenta colligere, vide alibi (3).

THESIS XXVI.

Per se priores et magis necessariae sunt Ecclesiae Traditiones, quam Scripturae sacrae.

207. Prob. 1.° Paulus ait (4): *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo autem praedicabunt nisi mittantur?* Item (5) *Placuit Deo per stultitiam praedicationis salvos facere credentes.* Ex quibus argumentamur: medium generale et per se statutum ad fidem et cetera necessaria ad salutem assequenda, majoris est necessitatis, quam aliud quodvis particulare medium. Atqui Traditio oralis est generale et necessarium medium ad salutem, Scriptura autem est particulare: ergo.

208. 2.° Ideo necessario suscipiendae sacrae Scripturae, quia sacra Traditione commendantur: ergo sacra Traditio est prior, magisque necessaria, juxta effatum illud: «Propter quod unumquodque tale, et illud magis.» *Ant.* constat: a) ex Tridentino Conc.; nam ad canonem Sacrarum Scripturarum suscipien-

---

(1) Ascet. *de Fide.*—(2) Ep. 41 (a. 208 et 209) ad Julian.—(3) Disq. I, de Prolegom. n. 60. (4) Rom. X, 13-15.—(5) 1.ª Cor. I, 21.

dum, Traditione Ecclesiae innititur. b) Ex Nicaeno II. oecumen. VII in thesi praecedenti laudato (n. 201.)

209. Origenes eruditissimus ait (1): «Sicut Traditione ac»cepi de quatuor Evangeliis, quae sola in universa Dei Ecclesia »citra controversiam admittuntur.» Tertullianus quoque (2): «Ordo rerum desiderabat illud primum proponi: quibus competat »fides ipsa? Cujus sunt Scripturae? A quo, et per quos, et quando. »et quibus sit tradita disciplina qua fiunt christiani?... Illic enim »erit veritas Scripturarum.» Et Augustinus confirmat (3) unde habeatur auctoritas librorum sacrorum: «Vides in hac re quid Ec»clesiae catholicae valeat auctoritas, quae ab ipsis fundatissimis se»dibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibi»met Episcoporum serie, et tot populorum consensione firmatur.» Et paulo inferius: «Excellentia canonicae auctoritatis Veteris et No»vi Testamenti, Apostolorum confirmata temporibus, per successio»nes Episcoporum et propagationes Ecclesiarum, tamquam in sede »quadam sublimiter constituta est, cui servit omnis fidelis et pius »intellectus.»

210. 3.° Scripturae sacrae, Traditionis ope, sunt intellegindae et interpretandae; ergo haec et prior cognitu est, magisque necessaria.

Aut. probatur. a) Tridentinum statuit (4): «Ad coercenda pe»tulantia ingenia decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in »rebus fidei et morum... S. Scripturam contra eum sensum quem »tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vera »sensu et interpretatione SS. Scripturarum, aut etiam contra una»nimem consensum Patrum.»

211. b) Audiant Protestantes quae sui temporis haereticis Origenes reponebat (5): «Quoties autem canonicas proferunt »Scripturas, in quibus omnis christianus consentit et credit, viden»tur dicere: ecce in domibus verbum est veritatis. Sed nos illis cre»dere non debemus, nec exire a prima et ecclesiastica Traditio»ne, nec aliter credere, nisi quemadmodum per successionem »Ecclesiae Dei tradiderunt nobis.» Clemens Alexandrinus (6) pravas rejicit haereticorum Verbi Dei interpretationes, quia, «non »relaxato velo, ut nos ingredimur per Domini Traditionem, sed, »exciso ostio et muro Ecclesiae perfosso, veritatem transgredien»tes, efficiuntur principes et duces mysteriorum.» Similem tradit, pro Scripturae expositione, regulam Augustinus (7): «Sed sive

---

(1) *Hist. Eccles.* Euseb. c. 25, l. 6. — (2) *Praescript.* c. 19. — (3) *Contra Faust.* l. XI, n. 2 5. — (4) Sess. IV. — (5) *Tract. 29 in Matth.* — (6) *Stromat.* l. 7. — (7) *De divers. quaest. octog. tribus; q. 67.*

»illa quam secuti sumus, sive alia aliqua expositio proferatur; id »tantum cavendum est, ne violet aut vulneret catholicam fidem. »Scio enim vanos haereticos de hoc capitulo multa impia et inepta »jactasse.» Atqui fidei catholicae notitia absque Traditione haberi nequit, ut thesi praecedenti demonstratum est; ergo recta Scripturarum expositio juxta Traditionem peragenda.

212. Obj. 1.° Testatur Apostolus (1) Scripturae sufficientiam: *Omnis Scriptura divinitus inspirata... utilis est ad docendum, ut perfectus sit homo Dei et ad omne opus bonum instructus.* Resp. Nego assertum: non enim dicit Paulus sufficere, sed aliquam afferre utilitatem.

Obj. 2.° Augustinus ait (2): «Quid igitur amplius te doceam, »quam id quod apud Apostolum legimus? Sancta enim Scrip»tura nostrae doctrinae regulam figit.» Ergo praeter sacram Scripturam nullius indigemus doctrinae.

Resp. Nego *conseq.* Nam Augustini verba peculiarem respiciunt materiem, scilicet, viduitatis bonum; quod sane sufficienter Scripturae commendant.

THESIS XXVII.

Traditio sacra, ex qua, veluti è fonte, Ecclesia fidei et morum haurit doctrinam, effulget, praeterquam quae actuali et communi ipsius Ecclesiae revelatur sensu, in antiquis sacrorum Conciliorum, et sanctorum Patrum monumentis.

213. I.ª Pars, nempe; actualem et communem Ecclesiae circa fidem et mores sensum, quem Scripturae non exhibent, Traditionis sacrae esse argumentum, ex praejactis supra facile eruitur; nam Christi Ecclesia unitate fidei et sanctitate morum et quidem in perpetuum, coadunata existit (3). Hinc ajebat Augustinus (4): «Illa quae non scripta, sed tradita custodimus, quae »quidem toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis »Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluber»rima auctoritas, commendata atque statuta retineri.» Et alibi ipse (5): «Quam consuetudinem (non rebaptizandi) credo ex apos»tolica Traditione venientem. Sic multa quae non inveniuntur in »litteris eorum, neque in Conciliis posteriorum, et tamen quia per »universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita et »commendata creduntur.»

---

(1) 2.ª Tim. III, 16, 17. – (2) L. de bono viduit. c. I. – (3) N. 6 et 60. – (4) Ep. LIV, (a. CXVIII). – (5) De Bapt. adv. Donat. L. 2, n. 12.

Eodem innixus Ecclesiae sensu, doctrinam de gratiae necessitate eruebat Coelestinus I (1): «Obsecrationum quoque sacerdota»lium sacramenta respiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto »mundo atque in omni Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, »ut legem credendi statuat lex supplicandi.» Et rursus: «Illud »etiam, quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia »uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu.»

II.ª Pars iisdem patet rationibus. Concilia sane Ecclesiam ipsam referunt, ejusdemque auctoritatem (2).

214. III.ª Pars prob.; scilicet, sanctorum Patrum ministerio et monumentis Traditionem sacram elucere.

1.° Vide Tridentini verba nuper laudata (n. 210). Concilium Oecum. VII, quasi eadem regula, utitur Patrum te Traditionis auctoritate: «Sequentes divinitus inspiratum sanc»torum Patrum magisterium, et catholicae Traditionem Ec»clesiae, nam Spiritus Sancti hanc esse novimus, qui nimirum in »ipsa inhabitat, definimus...» Et paulo inferius: «Sic enim robur »obtinet sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est, Tradi»tio *sanctae catholicae Ecclesiae*...» In Lateranensi Conc. sub Martino I viginti canones de fidei doctrina traditi fuere, qui, fere omnes, hisce verbis exordiuntur et commendantur: «Si quis »secundum sanctos Patres non confitetur...»

Vide insuper Athanasium supra (n. 104) dicentem, unde fides Nicoena adversus Arianos fuerit desumpta.

215. 2.° Si causam tantae sanctorum Patrum auctoritatis inquiras, ex intima fluit Ecclesiae constitutione. Etenim voluit Christus D. suam esse semper munitam Ecclesiam et ornatam Spiritus Sancti charismatibus, ut supra (thes. X, n. 79) fuit ostensum: quorum numero haec effulgent, ut notat Paulus (3): *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eumdem Spiritum... Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, deinde prophetas, tertio doctores...* Et sane eodem Apostolorum tempore quidam his muneribus affulgebant (4): *Erant autem in Ecclesia, quae erat Antiochiae, prophetae et doctores...;* potiori autem ratione, post illorum obitum, necessum erat ut Doctores Spiritus Sanctus suscitaret, qui depositum fidei et Traditionis custodirent (5), et posteris traderent custodiendum: *O Timothee, depositum custodi.*

Hinc singulis seculis constanter aliqui eminuerunt in sacrae doctrinae scientia, tum episcopi, tum presbyteri et alii ecclesiastici

---

(1) Ep. 21, ad episc. Gall. c. 11 12. — (2) Thes. XII, n. 107. — (3) 1.ª Cor. XII, 8, 28.—(4) Act. XIII, 1.—(5) 1.ª Tim. VI, 20; 2.ª I, 14.

viri, tum subinde simplices laici: qui, verbo et scriptis, populum christianum in fidei et morum doctrina instituerent, et haereticorum errores expugnarent, et inde acceptum doctrinae depositum posteris transmitterent; juxta mandatum Apostoli Timotheo scribentis (1): *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.*

SCHOLION.

216. Etiamsi Patrum nomine, generali appellatione, ii omnes honorentur qui antiquitate (ad duodecimum usque seculum) Ecclesiam catholicam et singulari illustrarunt doctrina; tamen proprie illi tantum Patres dicuntur, qui antiquitati et singulari doctrinae, sanctitatem vitae, praesertim illibatam fidem, adjunxerunt. Hinc Tertullianus, Origines (si tamen haereses edocuit; et non potius ipsius scripta fuerunt ab haereticis adulterata), Eusebius, etc., inter Scriptores ecclesiasticos connumerantur, minus proprie, inter Patres.

Inter antiquos Patres, nonnulli speciali et publico Ecclesiae suffragio, Doctoris nomine insigniuntur: ex graecis, SS. Basilius, Athanasius, Gregorius Nazianz., et Joannes Chrysostomus; ex latinis autem, SS. Gregorius Magnus, Augustinus, Ambrosius et Hieronymus. Praeter istos, in sacra liturgia etiam aliqui Doctores dicuntur, ut Sancti Leo, Isidorus, Ildefonsus, etc.

Post seculum XII, licet inter Patres non computentur, tamen titulum Doctoris, speciali ratione, aliqui meruerunt scriptores ut SS. Thomas, Bonaventura, etc.

217. Corollaria... I. Ex dictis inferes, ex auctoritate SS. Patrum desumi, pro re theologica, argumenta ad doctrinam sacram elucidandam; ad rectum autem ejusmodi argumentorum usum vide Regulas superius traditas (2).

218. II. Cum officium et munus sanctorum Patrum numquam in Ecclesia cessare oporteat, eis, in illo explendo, successerunt doctores Theologi, nec non, in rebus quae ad disciplinam et jus pertinent ecclesiasticum, Canonistae. Illi enim in Traditionibus sacris dignoscendis, in vera sacrarum Litterarum assequenda intelligentia, in erroribus, et haeresibus, tum antiquis tum recentioribus, profligandis, sedulo adlaborant, juxta donum sibi *ad utilitatem* a Spiritu Sancto datum (3). Isti autem in Cano-

(1) 2.ª Tim. II, 2.—(2) Disq. I, n. 64.—(3) 1.ª Cor. XII, 7.

nibus ad jus ecclesiasticum spectantibus, qui post tot secula ultra modum excrevere et peculiare sibi vindicant studium, praecipue versantur. Hinc quemadmodum antiqua Concilia Patrum consulebant mentem et doctrinam; similiter, posteriora Theologorum ac Canonistarum exquirunt sententias, ut Ecclesiae edocendae et regendae convenienter, sub Spiritus Sancti ductu, prospiciant.

219. III. Verum quemadmodum Patres, qui antiquitus Ecclesiam illustrarunt, non eadem fulgent auctoritate; pariter Theologi et Canonistae, non sine prudenti discrimine sunt (praesertim cum aliqui propriis scholae placitis potius quam veritati exquirendae jurare videantur) nobis audiendi. Unde prae oculis habendae paucae, hac super re, alibi traditae Regulae (1). Tantummodo, pro re praesenti, hoc indicasse sufficiat; ut nullum Auctorem, etiamsi librorum multitudine et volumine non praecellentem, facile contemnamus, dummodo catholicae fidei strenuus sit propugnator; non raro enim apud eos, qui ex parte tantum sacram elucidant doctrinam, notatu digna reperire est: verum universim graviores interrogabis, a) qui universam illustrarunt Theologiam, et inde dogmatum unitatem ac concordiam prae oculis habuere; b) qui ingenii acumine et animo pacato praediti effulgent, ad quaestiones intelligendas et pro merito elucidandas; c) qui denique diligentia, prudentia, et ceteris ornantur virtutibus, ad veritatem sedulo exquirendam et sincere proclamandam.

ARTICULUS II.

De Scriptura Sacra.

§ I.

De Scripturae sacrae existentia.

THESIS XXVIII.

Habet etiam Ecclesia Scripturas sacras, seu divinitus inspiratas, unde fidei haurit doctrinam.

220. **Nota.** De facto esse in Ecclesia Christi, seu christiana religione, scripturas aliquas, quae divinitus acceptae creduntur, res est

(1) Disq. I, n. 65.

omnibus obvia et evidens: similiter singulis seculis, ab Apostolorum tempore, hanc constanter fuisse in Ecclesia fidem, patet tum historicis de re ecclesiastica libris: tum Patrum et Scriptorum ecclesiasticorum operibus; tum haereticorum etiam testimonio, qui perpetuo sacris Libris abusi sunt ut fidem veram labefactarent, falsam autem intruderent; tum martyrum testimoniis, qui, ne sacros traderent persecutoribus Libros, tormenta quaevis mortemque subibant. Hoc posito, eorum debet thesis haec probari testimonio et sententia, quibus officium a Christo commissum fuit fidei doctrinam in Ecclesia edocendi, juxta ea quae superius fuerunt statuta et ostensa: scilicet in thesibus XI, XII, XIV, XXV et XXVI.

221. Prob. 1.° Exordimur probationem sententia Romani Pontificis. Ecclesiae capitis et centri: «Credo etiam Novi et Ve»teris Testamenti, legis et prophetarum et aposto»lorum unum esse auctorem, Deum et Dominum »omnipotentem (1).»

2.° E divinis Scripturis doctrinam haurire, profitetur Synodus Oecum. V: «His igitur ita confessis a nobis, quae et »accepimus de divina Scriptura et sanctorum Patrum doc»trina...» Vide insuper supra (n. 201) oecumenicorum Conc. Nicoeni II, et Tridentini definitiones.

3.° Denique totius Ecclesiae universalis sensus (nec non ipsorum haereticorum et schismaticorum), et constans Traditio idem confirmat, uti huc supra, in Nota (n. 220), diximus. Omnes enim christiani cum Irenaeo proclamant (2): «Scripturae quidem per»fectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu Sancto dictatae.» Quam quidem Traditionem ab ipsis Apostolis provenisse, imo a Christo, certissime constat. Vide, ex. gr. Luc. XXIV, vv. 27 et 44: 1.ª Cor. XV, 3. 4: 2.ª Tim. III, 15 et seq. Quae testimonia nunc, non quasi sacra, vitioso laudamus circulo, sed quasi historice indubia.

222. Obj. Mahumetismus suum extollit Alcoranum quasi divinum opus; Vedas etiam sectae Brahmanorum et Buddhistarum, tamquam libros è coelo immissos venerantur; traditiones ergo fabulosas antiquorum secutos christianos censere possumus.

Resp. Nego *consequentium* et paritatem. Nam Mahumetum mendacem et manifestum fuisse impostorem, retro ostendimus (3); Alcoranum etiam stultitiis scatentem, iis rebus exceptis quae ex sacris Judacorum et Christianorum decerpsit libris. Apud Indos autem non tantum aliqua fuit antiquorum Patriarcharum notitia.

---

(1) Symb. Leonis IX. — (2) *Contr. Haeres.*, l. 2, c. 47. — (3) Disq. II, Thess. XXXI, n. 287 et seq.

sed etiam Evangelium fuit ibi primitus promulgatum: unde notitiam illos librorum sacrorum habuisse, ut eos vel adulterarent, vel etiam imitari et fingere conarentur, non mirari oportet. Id vero prorsus negamus, vel libros, vel superstitiones istorum fuisse unquam divinitus adprobatos, quemadmodum christiana Religio fuit aperte commendata a Deo et praescripta omnibus hominibus.

THESIS XXIX.

Libri sacri christianorum sunt qui in canone a Tridentino tradito continentur.

223. **Nota.** 1.° Libri sacri dividuntur, eorum inspecta auctoritate, in *canonicos* et *apocrifos:* illi non tantum quoad se, sed quoad nos etiam, Deum habent auctorem, et ideo habentur in canone ab Ecclesia probato; alii, e contra, in canone non laudantur, et inde habentur quasi *negative* reprobati, licet fuerint aliquando, apud nonnullos sanctos Patres, in honorem.

Ratione temporis dicuntur *Veteris* vel *Novi* Testamenti: quatenus vel ante Christum, vel post, scripti fuere.

Perspectis rebus quae in illis pertractantur, vocantur *legales, historici, sapientiales* seu morales, et *prophetici. Legales* continent leges divinas, vel promulgatam a Christo D. doctrinam: *Historici* rerum gestarum narrationes: *Sapientiales* bene vivendi ac sapientiae tradunt monita: *Prophetici* vaticinia, seu futurorum eventuum notitiam edocent.

224. **Nota.** 2.° Canonicorum librorum duplex est classis: alii enim dicuntur *Protocanonici*, et *Deuterocanonici* alii: illi sic appellantur, quod primum ab ipso Ecclesiae exordio, communi Patrum consensu approbati et accepti, uti divini, fuere: è contra, alii, ad tempus, vel dubii habiti, vel etiam rejecti a nonnullis Patribus. Quae dissensio inde maxime ortum duxit, quod non eumdem habebant librorum canonem Judaei Palestinae, et Judaei Alexandrini; hinc duplex erat inter Judaeos canon: alter *Canon Hebraeorum* dictus, alter vero *Hellenistarum*. Jam vero, canon Hellenistarum, a LXX Interpretibus Alexandriae confectus, continebat quoque libros Deuterocanonicos, quos tandem universa amplexata est Ecclesia, ut jam probabimus.

225. **Nota.** 3.° Eadem probandi methodo, qua in praecedenti thesi usi sumus; id est, iis principiis theologicis, quae, in hac de Ecclesia Disquisitione, divina auctoritate fulcita esse ostendimus, thesim hanc probabimus. Non enim Libros sacros misit Christus in mundum, quae Ecclesiam ostenderent: sed Ecclesiam instituit et misit, divino ornatam fulgore, quae et Libros sacros, et

dogmata cetera praedicaret: *Ite docete... Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut ethnicus...* Contestatur Augustinus (1): «Evan»gelio non crederem, nisi Ecclesiae Catholicae me moveret aucto»ritas.» Regiam proinde a Christo institutam viam ad homines illuminandos prosequimur, adversus Rationalistas et quosvis haereticos: quas autem ipsi adversus singulos Scripturae libros, vel partes, vel commata congerunt difficultates (a luce enim pertinaciter isti abhorrent; si quid autem difficile, si quid obscurum, id sectantur), aliis, quorum officii et curae est, permittimus.

226. Prob. 1.° Canonem istum tradiderunt Innocentius I; deinde Gelasius I in Conc. Romano (a. 494), qui, postquam libros omnes enumeravit, adjungit: «Post has omnes propheticas, »evangelicas atque apostolicas Scripturas, quibus Ecclesia catho»lica per gratiam Dei fundata est, illud etiam intimandum pu»tamus...»

227. 2.° Concilium Trid. (2) enumeratis totius Canonis libris, subjicit: «Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in »veteri Vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis »non susceperit... anathema sit.»

Accessit et Vatic. Concilium (3): «Si quis sacrae Scrip»turae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos »sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et cano»nicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit »anathema sit.»

228. 3.° Nonnulla adjicimus Traditionis documenta. In primis Africanorum episcoporum Concilia, nempe, Hipponense, Carthaginense III, et aliud insuper Carthaginense, interveniente et subscribente Augustino, quorum decretum fuit: «Item »placuit, ut praeter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur »sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae scrip»turae; *Genesis...* (enumerantur sicut in Tridentino). Hoc »etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio vel aliis earum »partium episcopis pro confirmando isto canone innotescat, quia a »patribus ista accepimus in Ecclesia legenda.» Similem edidisse Canonem Nicoenam Synodum Oecum. I. licet nunc, cum aliis ejusdem decretis, ab Actis evanuerit, in antiquo codice Conc. Hipponensis asseritur, et Hieronymus ac Cassiodorus, (qui diligenter Scripturarum antiquos codices inquirebat) supponunt. Quam illustre sit hujusmodi Traditionis documentum, qui-

(1) Contr. Epist. fund. c. 4.—(2) Sess. IV.—(3) Cons. *Dei Filius*, c. II.

vis intelligit: etenim hoc Carthaginense Conc. versus finem seculi quarti locum habuit, et Hipponense paulo antea; jam vero aequalem agnoscunt auctoritatem, et quidem è Patrum Traditione, in libris tum Protocanonicis, tum Deuterocanonicis.

229. Quoad Protocanonicos libros, sine causa testimonia afferrem, nam in his agnoscendis uti sacris omnes conveniunt Patres: testes ergo nonnullos Traditionis laudabimus pro Deuterocanonicis. E seculo III. S. Cyprianus, Tertullianus, S. Hippolytus, Dionysius Alex., Origenes, parem omnibus tribuunt auctoritatem, tum ad fideles edocendos, tum ad haereticos expugnandos. Imo Origenes rectam in hac re sequendam tradebat normam (1): «Hoc solum pro vero habendum in Scripturis di»vinis, quod LXX interpretes transtulissent; nam id solum esse »auctoritate apostolica confirmatum.» Canon ergo noster, id est, cum Deuterocanonicis, ab auctoritate procedebat Apostolica. In eodem seculo, vel secundo forsan, fuit versio *Coptica* SS. Scripturarum lucubrata: jam vero, in illa etiam Deuterocanonici comprehensi sunt.

230. In secundo Ecclesiae seculo testes sunt S. Irenaeus et Clemens Alex. eruditione praeclari. In eodem facta fuit, vel prius, versio *Itala*, seu latina sacrorum Librorum: atqui in illa praedicti comprehendebantur libri.

Denique inter primos Apostolorum discipulos, tamquam sacris utuntur etiam Deuterocanonicis, S. Polycarpus, Joannis apostoli discipulus; S. Clemens Romanus, Apostolorum Petri et Pauli adjutor; Hermas denique et auctor Canonum apostolicorum, quicumque ille fuerit.

231. Unde concludimus: tot antiquorum et gravissimorum Patrum testimonia evidenter ostendere, librorum Deuterocanonicorum divinam auctoritatem è Traditione procedere apostolica. Et sane, exemplo id ab Apostolis didicere primi Patres; nam illi in Evangeliis et Epistolis elucubrandis utebantur versione *Alexandrina*, seu LXX Interpretum, in qua intermixti habebantur libri Deuterocanonici: jam vero maxima christianorum pars ignari erant linguae hebraicae, ideoque quos canon hebraicus numeraret libros nesciebant: ergo usu et exemplo, saltem, neophytis versionem commendabant *Alexandrinam* Apostoli, cujus desumebant sententias, etiam ex libris Deuterocanonicis, non tantum ex Protocanonicis.

---

(1) Ep. ad Jul. Afric.

232. Obj. Aliqui Patres, praesertim è seculo quarto, vel in dubium revocant, vel etiam negant, divinitatem librorum Deuterocanonicorum: ergo non probatur Traditione horum auctoritas.

Resp. Nego *conseq.* Factum in *antecedenti* notatum non juvat Protestantes: etenim omnes Patres in eo consentiunt; suscipiendos libros Sacros quos Ecclesia susceperit: atqui Ecclesia, per legitimam auctoritatem, declaravit et definivit, Deuterocanonicos etiam ut divinos agnoscendos. Quod autem Patres quarti seculi non fuerint *omnino* consentientes, causa fuit duplex: prima, ex parte Judaeorum; secunda, ex adjunctis aliquarum Ecclesiarum.

233. a) Nam cum ex SS. Scripturis arguerent Patres Judaeorum incredulitatem, coeperunt hi earum negare auctoritatem; causantes canonem Hebraicum aliter se habere ac LXX Interpretum. Hinc, factum ut Patres inter utrumque canonem distinguerent etiam, et paulatim dubitarent nonnulli, utrum ejusdem forent auctoritatis libri illi sacri qui in solo canone *Alexandrino* tradebantur; tametsi his libris, juxta Traditionem, uterentur passim donec omne dubium tandem, re magis definita, evanuit.

234. b) Adjuncta aliquarum Ecclesiarum aliam praebuere dubitationis causam. Nam consuetudo induxerat, ut aliqui libri Deuterocanonici, quod facilius possent intelligi, catechumenis legerentur, non autem alii libri: inde diversimode de iisdem sensim judicatum, praesertim cum causam, propter quam Hebraicus canon eos non recensebat, nescirent. Deinde libri aliqui sacri Novi Testamenti ad omnes non pervenerant Ecclesias: non universalis igitur et uniformis evulgata fuerat eorumdem existimatio; puta, de Apocalypsi, Epistola ad Hebraeos, etc. Nam tunc multo labore, magnis expensis, exscribere libros oportebat.

235. c) Praeterea fateri oportet, Sanctum Hieronymum non parum de libris Deuterocanonicis dubia evulgasse. Ex quo enim cum Judaeis in Palestina versatus est, studio linguae hebraicae se dedit, et versionem canonis Hebraici aggressus est; plus aequo Versionem LXX deprimebat, ut hebraicum textum laudaret. Tamen Deuterocanonicis passim utebatur, et ante mortem aequo honore eos uti divinos agnovit, quemadmodum Protocanonicos, juxta Patrum Traditionem: catholicam enim firmiter adhibebat normam (1): «Quid enim, ajebat, necesse est in manus sume»re, quod Ecclesia non recipit?»

---

(1) L. contr. Vigil. n. 6.

§ II.

De sacrae Scripturae inspiratione.

236. **Praenotanda.** *De loquela orali vel scripta.*

Nota 1.° In scriptura distinguamus oportet signa, seu characteres, verba characteribus expressa, et res verbis significatas. Praeterea quemadmodum signum differt a re significata, ita perceptio signi a perceptione rei significatae: verum quia signum essentialiter respicit rem significatam, hinc fit, ut licet possit percipi res significata quin percipiatur signum, non tamen potest percipi adaequate signum quin percipiatur res significata.

237. **Nota** 2.° Deducitur ergo quod dari possit divina revelatio alicujus rei, sine verbo Dei; et revelatio verbi Dei sine scriptura sacra; è contra dari nequit revelata scriptura, sine revelatione verbi Dei; neque revelatum verbum sine revelatione alicujus rei. Puta: cum Pater Filium transfiguratum et gloriosum exhibebat in monte, erat quidem revelatio rei tantum: cum dixit; *Hic est filius meus...*, revelatio rei et verbi: cum Sp. S. per Evangelistas hoc scripsit, revelatio rei, et verborum et scripturae.

238. **Nota** 3.° Cum haec signa, scilicet verba, et characteres scriptionis, sint signa ad *placitum*, id est, non ex se, sed ex intentione illa adhibentis significantia, perpendendum est non sufficere illa materialiter efformare ut proprie et vere per illa quis loquatur; opus est enim ut ea signa ad significandum applicet, id est, ut per illa intendat significatas res tamquam sibi notas prodere. Hinc fit ut nemo curet quid dormiens vel mente distractus proferat: quid formulae quaedam, ad certos eventus destinatae, indicent; quid in exemplari legatur, quod quivis transcribit, ut in scribendo exerceatur; quid exaret amanuensis, ut alterius consignet sensus, etc. In his enim non fit loquela, cum non significetur propriae mentis sententia. Hinc licet Deus alicui praeciperet ut rem aliquam scriberet vel narraret prout ipse scit et intelligit, non inde sequitur narrationem vel scripturam fore divinam loquelam, nisi Deus simul intenderet tamquam sua illa depromere.

239. **Nota** 4.° In his signis ad placitum non solum, ut dictum est, non sufficit effectio materialis signi, sed neque est per se necessaria. Patet enim posse formulas scriptas servari, et data occasione applicari ad significandum; tunc autem non qui eas formulas scripsit, sed qui applicavit tantum, loquitur.

THESIS XXX.

Ad divinitatem alicujus scripturae non sufficit assistentia Dei, ne scribens erret.

240. Prob. Haec assistentia non est nisi auxilium ei praestitum qui scribit, seu applicat scripturam ad significandum. Atqui ut scriptura sit divina opus est ut ad significandum a Deo applicetur. Ergo.

Conf. Licet mater assistat filio dum loquitur, et emendet quae errat, non tamen existimatur ipsa loqui per filium, sed solum quod velit filium recte loqui: ergo a pari; non scribit Deus, si scribenti assistat ne erret. Inde intelliges, non evadere scripturam divinam Pontificis Constitutionem, etiamsi illi assistat Deus.

Prob. 2.° Cum eo quod Deus assistat ne scribens erret scribendo, stare potest ut hic aliqua scribat quae Deus tantum permittit ut scribantur, quaeque ipse Deus non scriberet: non enim quaelibet vera prudenter scribi possunt. Sed si Deus tantum permittat scripturam, nequit dici auctor scripturae, seu scriptura divina; quemadmodum auctor non existit permissi peccati: ergo.

THESIS XXXI.

Non sufficit ad hoc ut locutio et scriptura sint verbum Dei, ut quomodolibet a Deo fiant.

241. Prob. 1.° Locutio et scriptura illius sunt a quo applicantur ad significandum. Atqui locutio et scriptura possunt aliquo modo fieri quin applicentur ad significandum. Ergo. *Maj.* patet; nam signum *ad placitum* non habet esse formale nisi cum applicatur et ab illo a quo applicatur. *Min.* etiam; nam hujusmodi signa materialiter vel formaliter effici possunt. Item exemplis; ut in amanuensi, qui utique aliquatenus scribit, non tamen ipse loquitur.

2.° Potest Deus alicui praecipere ut loquatur vel scribat aliquid; atqui praecipere alteri ut loquatur, id est, ut applicet verba ad significandum, non est idem ac applicare; et praecipere alteri ut ipse suam aperiat mentem, non est sui ipsius mentem aperire.

THESIS XXXII.

Deus scriptores SS. ad scribendas saltem res; seu veritates et sententias in libris sacris expressas specialiter impulit.

242. **Nota**: duo asserimus; *specialem* impulsum ad scribendum;

et ad scribendum saltem rēs seu sententias. Nam impulsus ad scribendum dupliciter fieri potest; vel directe ad verba aut etiam ad characteres ipsos, et indirecte ad sententias, vel directe ad sententias, et indirecte et confuse ad verba illas exprimentia, et characteres ipsos.

243. Prob. 1.ª pars. Libri sacri sunt «Spiritu Sancto inspirante »conscripti, et Deum habent auctorem.» ut docet Concil. Vat. (1) et sunt verbum Dei, seu revelatio Dei (ibid.) Atqui ad hoc non sufficit ut quomodolibet a Deo fiant. Ergo. *Min.* patet ex thes. praec. *Maj.* confirmatur: Apostolus loquens generatim de Scripturis SS. ait (2): *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum...* et pariter S. Petrus (3). S. Basilius (Prooem. ad Psal.) ait: «Scriptura omnis divinitus inspirata et utilis, hac una ratione a »Spiritu S. conscripta asseritur.» Et Gregor. Nys. 4: «Quae- »cumque S. Scriptura dixit, Spiritus S. sunt affata... ergo Numine »affati sancti vates virtute Sp. Sancti inspirantur, et ideo omnis »scriptura divinitus inspirata dicitur.» Irenaeus. (5) quoque: «Scripturae quidem perfectae sunt, quippe a Verbo Dei et Spiritu »ejus dictatae.» Et S. Hieronymus (6): «Ad Romanos epistola »tantis obscuritatibus involuta est, ut ad intelligendam eam, Spi- »ritu Sancti indigeamus auxilio, qui per Apostolum haec ipsa »dictavit.» Et iterum (7) «Vox Domini auditur in civitate ejus Ec- »clesia, et in Scripturis SS. quotidie personat.»

244. Prob. 2.ª Pars. Specialis impulsus Sp. Sti. ad scribendum talis est, ut vere sint Scripturae Verbum Dei, vŏx Dei, loquela et effata Dei. Atqui id exigit ut saltem impellat ad sententias scribendas seu res. Ergo. *Maj.* patet ex priori parte. *Min.* patet etiam. Nam ut sit Scriptura vox, loquela Dei, opus est ut determinet Deus signa scriptionis ad suam mentem significandam: vel ergo determinat immediate, et materialiter impellendo ad talia verba et ordinem verborum ex quibus exurgit divina sententia, seu mentis divinae manifestatio; vel saltem formaliter impellendo scriptorem ad tales sententias, seu divinos sensus scribendos, unde tenetur talem scriptionem, seu signorum formam et ordinem exarare.

245. Obj. Sancti Patres narrant, inductos fuisse scriptores sacros ad scribendum, humanis rationibus et propter rerum adjuncta; puta, fratrum rogatu, ut errores repellerent, etc. Ergo a ceteris non differunt ecclesiasticis scriptoribus.

Resp. Dist. *ant.* Inducti fuere *exclusive* humanis rationibus:

---

(1) Const. *Dei Filius*, c. II.— (2) 2.ª Tim., III, 16.—(3) 2.ª I, 21. — (4) Art. 6, contra Eunom.—(5) Cont. Haer. l. 2, c. 47.— (6) Ep. ad Edib. q. 10.—(7) In Michae, VI, 9.

nego. Praeter divinum instinctum; conc. Deus utriusque ordinis, naturalis et supernaturalis, cum sit auctor, utrumque solet etiam in gratiae operibus adhibere.

Inst. Paulus ait (1): *Ceteris ego dico, non Dominus.* Ergo non omnia fuerunt inspirata.

Resp. Ipse Apostolus sensum explicat: *De virginibus praeceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Quod autem divinum esset ejusmodi consilium ipse asserit: *Puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam* (2).

SCHOLION.

246. Quaeri solet, utrum verba ipsa, seu phrasin, Spiritus Sanctus inspiraverit, vel solas sententias? Qua in re omnes auctores catholici convenire quidem in hoc debent, confuse saltem inspirata fuisse ipsa verba simul cum sententiis: cum enim scriptura verbis scriptis coalescat, sicut loquela verbis prolatis; quicumque auctor est, seu inspirator, loquelae et scripturae, debet necessario auctor et inspirator esse verborum. Verum, cum possit fieri locutio et scriptio alicujus sententiae, his vel illis verbis aut phrasibus; et possint haec, pro diversa loquentium et scribentium aptitudine, multipliciter variari; hinc potuit Spiritus Sanctus sic impulsor esse ad sententias scribendas, ut etiam ad determinata verba et determinatam formam, seu phrasin, verborum scriptorem impellerat; vel secus, sinendo ut ipse haec vel illa seligeret verba et ordinem eorum ad sententiam significandam.

247. Facile consentiunt omnes, *aliquando* ipsa determinata verba, et phrasin a Spiritu Sancto dictari: verum id semper locum habuisse, quidam negant; alii, è contra, affirmant.

Negantes ajunt: a) id non esse necessarium ad scripturae divinitatem et infallibilitatem; nam in divinis traditionibus verbum Dei habetur, quibus tamen verbis fuerint dictatae nescimus; veritas autem sententiarum, quaecumque adhibeantur verba, permanet dummodo non immutetur sensus. b) Secundo, ajunt; Scriptores sacri easdem res, eadem divina mandata, eadem Domini dicta, diversis referunt et scribunt verbis et phrasibus. Sed si Spiritus Sanctus, praeter solas sententias, ipsa verba et phrasin inspirasset, mendacium inesset vel error in eo, quod diversa verba Domino tribuant. c) Referunt etiam Hieronymi dictum (3): «Alii syl»labas aucupentur, tu quaere sententias... obtrectatores mei quae-

(1) 1.ª Cor. VII, 12.—(2) Ibid. 25, 40.—(3) Ep. ad Pamach.

»rant et intelligant, non verba in scripturis consideranda, sed »sensus.»

248. His opponunt, qui putant verba ipsa inspirata fuisse, Patrum sententias hoc indicantium. In primis plurimorum qui ajunt, *dictatas* fuisse a Spiritu Sancto Scriptnras; jam vero qui *dictantem* audit, non solas audit sententias et pro lubitu verba scribit. Deinde illorum, qui in hoc differre sacras Scripturas a ceteris dicunt; «quod in iis non sit vel syllaba vel apiculus, in cujus profundo »non sit grandis thesaurus; singuli sermones, syllabae, apices... »plena sunt sensibus.» Atqui si solae sententiae a Dei procederent inspiratione, cetera ab hominum minime differrent scriptis. Augustinus *chirographum* esse Dei Scripturas sacras saepe dicit (1): in iis inveniri «venerabilem stylum Spiritus Dei (2).» Numquid vera haec putabis, si solae procedunt a Deo sententiae, cetera autem hominis sunt?

249. Quod autem ex Hieronymo laudant, verissimum est; nam verba et ordo eorum, seu phrasis, propter sensum ponuntur, ideoque non in eis sistere oportet; tamen ita se habere, (quod isti putant) sicut in profanis scriptis, sacrorum librorum phrasin, *aperte* negat Hieronymus in ea ipsa epistola (3 : «Ego enim non »solum fateor, sed libera voce profiteor, me in interpretatione »Graecorum, absque Scriptura Sancta, ubi et verborum ordo »mysterium est, non verbum è verbo, sed sensum exprimere de »sensu.»

250. Ajunt, insuper, ad scripturae divinitatem, non oportere verba etiam esse inspirata cum phrasi. Fateor, salvo sapientiorum judicio, id non videri necessarium ad *aliqualem* scripturae divinitatem; sed nemo non videt, plenius veriusque fore divinam si ea omnia *ex quibus scriptura* coalescit, divina existunt. Verum numquid Deus ea tantum praestitit quae absolute necessaria sunt? In rebus hujusmodi supernis patet, *factum* quaerendum, non *necessitatem: factum* autem è mente sanctorum Patrum potius exquirendum, quam ab iis qui videntur supernaturalia aversione quadam insectari. Atqui ad sententias Patrum coguntur isti fateri, sensu accommodo et minus proprio esse intelligendas: quo annuunt, sibi Patres potius adversos esse; quod verum censeo, et exinde eorum opinionem minus probabilem existimo.

251. Denique opponunt: diversis saepe phrasibus ac verbis laudari a sacris scriptoribus, Dei dicta, mandata, et Christi Domini sententias. Nihil omnino ex inde eorum commendatur opinio.

---

(1) In Ps. 144, 17.—(2) Confess., l. VII, c. 21. — (3) Ad Pamach, 57, n. 5.

Nam, saepe etiam neque integre divinas referunt sententias: ¿numquid deducemus eas non fuisse *integre* inspiratas? Deinde verba et phrasis non propter se dicuntur vel inspirantur, sed propter sensum qui intenditur: non ergo opus est ut ad verbum citentur. Quod si ponamus, citationem inspiratione Spiritus Sancti totam perfici; clare intelligitur, non minus esse sacra ac divina citationis verba, quam illa priora quae solum quoad sensum laudantur.

252. Ad rem Augustinus (1) inquirens; cur S. Matthaeus pro nomine Zachariae scripserit Jeremiam? «Quid ergo intelli»gendum est, nisi hoc actum esse secretiore consilio providentiae »Dei, qua mentes Evangelistarum sunt gubernatae? Potuit enim »fieri, ut animo Matthaei, Evangelium conscribentis, pro Zacharia »Jeremias occurreret, ut fieri solet; quod tamen sine ulla dubita»tione emendaret, saltem ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in »carne vivente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret, recordationi »suae, quae Sancto Spiritu regebatur, non frustra occurrisse aliud »pro alio nomen Prophetae. Cur autem ita constituerit Dominus, »prima illa causa utilissima debet facillime cogitari; etiam sic esse »insinuatum, ita omnes sanctos Prophetas uno Spiritu locutos »mirabili inter se consensione, ut hoc multo amplius sit, quam si »omnium omnia Prophetarum uno unius hominis ore dicerentur: »et ideo indubitanter accipi debere quaecumque per eos Spiritus »Sanctus dixit, et singula esse omnium, et omnia singulorum... »Quid opus erat ut emendaret Matthaeus, cum aliud pro alio »sibi nomen occurrens a se scriptum relegisset? ac non potius se»quens auctoritatem Spiritus Sancti, a quo mentem suam regi plus »nobis ille utique sentiebat, ita hoc scriptum relinqueret, sicut »eum admonendo constituerat ei Dominus, ad informandos nos »tantam verborum suorum inter Prophetas esse concordiam, ut »non absurde, imo congruentissime etiam Jeremiae deputa»retur quod per Zachariam dictum reperiremus?» His plane consonant quae habet Gregorius M. (2): «Quis haec scripse»rit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus »Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur haec scripsit, qui scribenda »dictavit... Cum ergo rem cognoscimus, quia scriptorem quaeri»mus, quid aliud agimus, nisi legentes litteras, de calamo per»contamur?»

253. Quibus Augustini et Gregorii verbis deduces etiam quam sit è mente ipsorum alienum, quod illi contendunt; *nempe*,

---

(1) De Consens. Evang., l. III, 30.— (2) Moral. Praef.

non adeo existimandam divinam esse Scripturam, ut verba ipsa a Spiritu divino fuerint inspirata. Augustino et Gregorio consentit Card. Toletus qui ait (1): «Nullum verbum otiosum »vel superfluum est in Scriptura sacra, quia a Spiritu Sancto imme»diate omnia dictata sunt. Basilius (homil. X), explicans illud: »*Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam; inquit:* »*Otiosum verbum in Scriptura esse dicere, ingens blasphemia est.*» Similiter Gregor. de Valentia (2): «Scriptorem sacrum agi »potius a Spiritu Sancto asserimus, quia et si sponte quidem scri»bat, scribit tamen omnino necessario, ita ut (Spiritu Sancto sic »efficaciter volente) minime in ipsius arbitrio sit positum, aut non »scribere, aut alio modo, alio tempore, aliis verbis scribere... At»que hoc ipsum proprie est, auctorem sacrum esse quasi Spiritus »Sancti calamum, in cujus videlicet potestate non est, ut eo scrip»tor utatur, vel alio modo utatur. Ex quibus non modo Scriptu»rarum sacrarum *ratio*, sed etiam *discrimen* inter illas et alias scrip»turas humanas, perspicuum est.»

§ III.

De Authentia SS. Librorum.

254. **Praenotanda.** 1.° Si vocem perpendas, authenticum est quod est *idem*, seu tale quale contenditur et supponitur: unde si de scripto agatur, esse authenticum significat, eam habere auctoritatem quae ei tribuitur, seu ad eum re vera spectare auctorem, ex quo ei auctoritas derivatur. Scriptum authenticum vel est *autographum*, seu originarium, vel *apographum* seu exemplare; vel *translatum*, seu in aliam linguam versum. Prioris authentia est immediata: caeterorum mediata, respectu prioris. Non idem sonant, *canonicum* et *authenticum:* canonicum a canone, seu catalogo, dicimus; authenticum autem ab auctore, vel ab eo quod auctoritatem quomodocumque conferat.

255. **Nota.** 2.° Ideo duplex esse potest authentia, *intrinseca* vel *extrinseca;* quatenus auctoritas libro accedit vel ab ejus auctore ipso, vel ex aliis momentis illum commendantibus. Item *absoluta*, vel *respectiva;* prout undequaque scriptum ab auctore procedit, vel partim tantum. Praeterea *respectiva* authentia esse potest vel *simpliciter*, vel *secundum quid;* prout in substantialibus saltem ab auctore commendatur, vel etiam in accidentalibus. Authentia *secundum quid* potest esse *adaequata*, vel *inadaequata*.

---

(1) In Summ. S. Th. q. 1, a. 8.—(2) 2, 2. S. Th. disp. I, q. punct. VII, 9, 8.

THESIS XXXIII.

Vulgata versio latina SS. Scripturarum est authentica.

256. **Nota**: Intelligimus esse saltem authenticam *simpliciter*, id est relate ad fidem et mores. Cum autem Scripturae SS. ad depositum spectent fidei, iisdem fontibus est haec thesis probanda, quibus praecedentes de Scriptura sacra ostendimus.

257. Prob. 1.° Ex usu Ecclesiae. Paulo ante D. Gregorii tempus, scilicet, ante an. Chr. 600, non tantum in libris et commentariis, hoc enim proxime post Hieronymum factum, sed in lectionibus sacris et concionibus ab Ecclesia adhibebatur; imo et plus honoris novae Vulgatae quam veteri caepit tribui, ut ipse Gregorius (1) testatur. Post Gregorium Nova generatim praevaluit, et tacito Patrum et DD. consensu et Ecclesiae usu tandem sola fuit usurpata, uti Hugo a S. Victore testatur (2).

258. 2.° Tridentina Synodus solemniter authentiam decrevit (3): «Insuper eadem Synodus, statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et »Vulgata editio, quae longo tot seculorum usu in ipsa Ecclesia »probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicatio»nibus et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illam »rejicere quovis praetextu audeat vel praesumat.»

259. 3.° S. Isidorus ait (4): «Presbyter Hieronymus trium »linguarum peritissimus, ex hebraeo in latinum eloquium divinas »Scripturas convertit, eloquenterque transfudit, cujus interpretatio »merito caeteris anteponitur.» Et alibi (5): «Cujus (Hieronymi) »editione generaliter omnes Ecclesiae usquequaque utuntur, eo »quod veracior est in sententiis et clarior in verbis.»

August. (6) haec habet: «Quamvis non defuerit temporibus »nostris presbyter Hieronymus, homo doctissimus, et omnium »trium linguarum peritissimus, qui non ex graeco, sed ex hebraeo »in latinum eloquium easdem Scripturas converterit. Sed ejus tam »litteratum laborem quamvis Judaei fateantur esse veracem, Sep»tuaginta vero Interpretes in multis errasse contendant; »tamen Ecclesiae Christi tot hominum auctoritate... neminem ju»dicant praeferendum.» Verum cum deinde novam vulgatam Hieronymi Ecclesia praetulerit, patet ex mente Augustini, nunc prae ceteris hanc authenticam reputandam. Quoad ea vero, quae ex graeco fonte a Hieronymo translata erant, ipse Augusti-

(1) L. 20, Mor. c. 32.—(2) De Script. C. 2.—(3) Sess. IV. - (4) Etim. l. 6, c. 5. —(5) Offic. l. 1, c. 12.—(6) De Civit. Dei, l. 15, c. 43.

nus (1) sic laudat: «proinde non parvas Deo gratias agimus de »opere tuo, quo Evangelium ex graeco interpretatus es: quia pene »in omnibus nulla offensio est, cum Scripturam graecam contule»rimus. Unde si quispiam veteri falsitati contentiosius faverit, pro»latis collatisque codicibus vel docetur facillime, vel refellitur.» Ad haec Hieronymus (2): «Et si me, ut dicis, in Novi Testa»menti emendatione suscipis, exponisque causam cur suscipias: »quia plurimi linguae graecae habentes scientiam, de meo possunt »opere judicare; eamdem integritatem debueras etiam in Veteri »credere Testamento, quod non nostra confinximus, sed ut apud »Hebraeos invenimus, divina transtulimus. Sicubi dubitas, He»braeos interroga.» Greg. M. denique asserit (3): «Cuncta verius »transfudisse perhibetur; et credendum est quidquid in ea dicitur.»

§ IV.

De sacrae Scripturae Interpretatione.

260. **Nota.** Veritates illae, quas Deus indicare per Scripturam sacram intendit, dicuntur *sensus* Scripturae. Duplex generatim distinguitur sensus; *litteralis*, seu historicus; et *spiritualis*. Verba enim, sive proprie assumantur, sive metaphorice, ad rem aliquam mente conceptam significandam adhibentur: res autem ista sumitur nonnumquam quasi figura et indicatio alterius; unde illa significatio *immediata* verborum Scripturae vocatur *sensus litteralis;* alia autem *mediata*, dicitur *sensus spiritualis*. Sensus spiritualis vocari solet *Allegoricus*, cum est de re ad fidem pertinente aut militantem Ecclesiam; *Anagogicus*, si respiciat ad vitam aeternam, seu Ecclesiam triumphantem; *Tropologicus*, cum mores, seu vitae sanctitatem attingit. Nonnumquam tamen Scripturae sententiae ad rem aliquam explicandam vel commendandam, quasi occasionaliter, et solo interpretantis ingenio adhibentur: hic sensus vocatur *Accommodatitius*.

THESIS XXXIV.

Scriptura sacra in multis est intrinsece et absolute obscura.

261. **Nota.** Nunquam sibi constant haeretici; nunc asserunt, nihil difficultatis esse in Scripturis, sed omnia perspicua, non so-

---

(1) Ep. 71, ad Hierony.—(2) Ep. 75, n. 20, inter ep. Augustini.—(3) L. 20, Mor. c. 32.

lum sapientibus, sed sutoribus etiam, mulierculis, stupidis; aliquando id moderantes, omnia necessaria ad salutem clara esse affirmant; contraria autem edocti experientia fatentur nonnumquam, hoc locum habere tantum erga fideles et humiles. Verum alias contrarium docent et exaggerant dicentes; plenam esse difficultatibus S. Scripturam: sic Lutherus in Symposiacis, (c. I.) ait: «Nos in »Scripturis vix primum alphabetum scire; Dei verbum esse inscru»tabile; verbum etiam unicum Scripturae perscrutari et verum ejus »sensum eruere, non esse possibile, neque id doctissimos posse »theologos.»

262. Prob. 1.° Testatur ipsa Scriptura (1): *Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas.* S. Petrus ait (2): *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem.* Et Philippus interrogavit Eunuchum (3): *Putas ne intelligis quae legis? Qui ait: et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?*

263. 2.° Sanctus Irenaeus (4) ait; accidere in Scripturis quod et in rebus, ut quaedam ad nostram scientiam pervenerint, quaedam Deo adjaceant.... «ut semper quid Deus doceat, homo autem »semper addiscat quae sunt a Deo.» Hieronymus etiam confirmat (5): «Omnis epistola ad Romanos nimiis obscuritatibus obvo»luta est; et si voluero cuncta disserere, magna et multa erunt »scribenda volumina.» Augustinus, cujus notum est ingenium, asserit (6); «se plura nescire, quam scire in sacris Litteris.»

264. 3.° Consulat quisque experientiam, a) Legat Prophetas, Paulum, Apocalypsim: b) Percurrat innumera Patrum et Expositorum commentaria: c) Enumeret haereses ex praepostera Scripturarum interpretatione exortas. Osiander theologus, et unus ex primis Lutheri sectatoribus, dicit; viginti diversissimas sententias de justificatione defendi inter vocatos *Confessionistas*, idque secundum Scripturas, juxta eosdem. Quid tamen ad salutem urgentius, quam vera paenitentia?

265. Obj.1.° Saepe laudatur in Scripturis claritas verbi Dei: ex. gr. ait Paulus (7): «*Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis qui pereunt est opertum.*»

Resp. Dist. Laudatur claritas verbi Dei absoluta; nego: respectiva; conc. Quidam scilicet, legunt Scripturas vel audiunt verbum divinum juxta regulas a Deo praescriptas, et sub ductu magisterii a Deo statuti; et sane isti claritate verbi divini illuminantur: alii, e contra, ut haeretici, legunt, et hi excaecantur et pereunt.

---

(1) Luc. XXIV, 45.—(2) 2.ª Pet. III, 16.—(3) Act. VIII, 30, 31.—(4) *Adv. haer.* l. II, c. 47.—(5) Ep. ad Algas. 9, 7.—(6) Ep. 55, n. 38.—(7) 2.ª Cor. IV, 3.

266. Inst. SS. Patres extollunt etiam Scripturarum claritatem: sic S. Chrysostomus (1): «Quid opus est sermone? Omnia »sunt dilucida et recta quae sunt in divinis Scripturis: manifesta »sunt quaecumque sunt necessaria.»

Resp. Explico et distinguo. modo jam dicto: in Scriptura enim clare edocemur. magisterio a Christo praescripto duci nos debere. id est. Ecclesiae doctrina; inde *generatim* manifesta sunt in Scriptura *quaecumque* sunt *necessaria*. non tamen in *singulari*. Loquitur nempe Chrysostomus oratorio modo; et ideo paulo post redit ad dicta. et quodammodo corrigit, dicens: «Nosti quae sunt clara et »dilucida. ut de iis quae sunt obscura perconteris?» Id est; cum multa sint in Scripturis *historice* et clare dicta. et hujusmodi adhuc non didiceris, quid de obscuris sciscitaris?

THESIS XXXV.

In dubiis sacrae Scripturae solvèndis et obscuris declarandis, sola S. Scriptura non sufficit.

267. Prob. 1.° Eatenus Scriptura sola sufficeret ad omnia quae in ea obscura sunt declaranda; quatenus quae in uno loco obscure dicuntur. in alio clara elucent. Sed quaedam ubique obscura sunt: ergo ad id sola non sufficit Scriptura. *Min.* facile probatur: nam quaedam ex ipsa rei natura sunt difficilia et osbcura. ut quae supernaturalia attingunt mysteria.

268. Prob. 2.° Ita sufficeret Scriptura ad ejusmodi obscura et controversa solvenda. quia sensus controversus vel necessario connecteretur. vel excluderetur ab alio perspicuo Scripturae ipsius: atqui potest accidere ut neutrum eveniat: ergo nequit sola scriptura omnia solvere dubia.

Min. prob. Accidit ut de re aliqua controversa in uno tantum Scripturae loco tractetur: ut de septuaginta Danielis Hebdomadis; accidit etiam ut loca Scripturae omnia. in quibus de re controversa sermo est. in controversiam ducantur; ut de sacra Eucharistia: evenit quoque ut si alicubi clare et dilucide Scriptura loquatur. locus iste, quasi corruptus vel apocriphus. ab altero contendente aspernatur. Atqui in his et similibus adjunctis sensus obscurus et controversus nec necessario connectitur. nec necessario excluditur cum alio Scripturae loco perspicuo et indubio; ergo ad omnia solvenda non sat est ipsa Scriptura.

269. Prob. 3.° Si quae clarissima Scripturae loca in controversiam afferantur. impossibile evadet per alia clariora controversiam

(1) In ep. 2, ad Thess. hom. 3.

dissolvi. Atqui id passim evenire posse, nos docuerunt haeretici; ergo nequeunt solae Scripturae controversias definire.

4.° Si dubium moveatur de alicujus Scripturae libri divinitate, non potest per ipsam Scripturam dubium dissipari; ergo.

270. 5.° Denique, Protestantes, solis innixi Scripturis, in sectas divisi sunt innumerabiles: ergo vel mentiuntur dum asserunt Scripturis fidem praebere, vel hae plane non sufficiunt ad controversias solvendas.

271. Obj. Augustinus ait (1): «Nihil fere de illis obscuritati»bus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.» Ergo sufficit ad ea, quae obscura sunt in Scriptura, declaranda ipsa Scriptura.

Resp. Nego *consequentiam*. Nam in primis non sine exceptione loquitur Augustinus; *nihil fere*, ait. Deinde agit sanctus Doctor, de iis qui *non temere* legunt; id est, qui regulis diriguntur a Christo statutis, ideoque Ecclesiae magisterio: excluduntur ergo ab ea Augustini sententia omnes haeretici et temerarii. Et sane Augustinus thesim nostram confirmat ibidem dicens: «Sed »multis et multiplicibus obscuritatibus, et ambiguitatibus deci»piuntur qui temere legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam »autem locis quid vel falso suspicentur non inveniunt, ita obscure »quaedam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum »provisum divinitus esse non dubito, ad edomandam labore super»biam, et intellectum a fastidio revocandum, cui facile investigata »plerumque vilescunt.»

SCHOLION.

272. Opportunitas nobis hic adesset catholicam defendendi interpretationis Scripturarum methodum, et protestanticam refellendi, nisi alibi fuisset quaestio haec generalius eliquata et decisa. Etenim sacrae Scripturae, cum *partem* (2) divinae revelationis et religionis christianae amplectantur, *pars* sunt quoque depositi Ecclesiae docenti a Christo Domino traditi, ut per omnes gentes et ad finem usque seculorum illud custodiat et perducat (3). Proinde integritas sacrarum Scripturarum, recta et authentica earum intelligentia, Ecclesiae auctoritati ac infallibili judicio credita fuit, simul cum fidei totius deposito (4): et omnes particulares personae, vel ab Ecclesia sejunctae sectae, quae de sacris Scripturis judicium sibi audacter arrogare praesumunt, a Christi fide et religione, ipso

(1) De Doctr. Christ. l. II, c. 6.—(2) Thes. XXV, n. 201.—(3) Thes. V, n. 25. — (4) Thes. XI, n. 92.

facto, exulare convincuntur, et Hieronymi sententiae aperte subjacent (1): «Nec sibi blandiantur, si de Scripturarum capitulis »videntur sibi affirmare quod dicunt; cum et diabolus de Scripturis »eloquia sit locutus, et Scripturae non in legendo consistant, sed »intelligendo. Alioquin si litteram sequimur, possumus et nos quo»que novum nobis dogma componere, ut asseramus in Ecclesiam »non recipiendos, qui calceati sunt, et duas tunicas habent.»

273. Unde cum Vaticano Concilio finem huic imponimus Disquisitioni (2): «Quoniam vero quae Sancta Tridentina »Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coercenda »petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus »prave exponuntur; Nos idem decretum renovantes, hanc illius »mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedifica»tionem doctrinae christianae pertinentium, is pro vero sensu sa»crae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet sancta mater »Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scrip»turarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sen»sum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam »Scripturam sacram interpretari.»

Nota. Ex iis quae in hoc Articulo statuta sunt infertur, firmissima ex sacris Scripturis desumi argumenta pro scientia theologica: quibusnam autem subjacere oporteat regulis usus Scripturae sanctae in Theologia, videre licet in Disquisitione I, n. 59.

---

(1) *Adv. Lucif.* n. 28.—(2) Const. *Dei Filius*, c. 2.

APPENDIX I.

PRAENOTANDUM.

Praecipui errores nostrae aetatis, praesertim qui liberalismi nomine comprehenduntur, in Disquisitionibus Theologiae fundamentalis expugnati, juxta quaestionum ordinem, fuerunt; ad id autem praestandum, robur et lucem nobis praebuit sequens Apostolicae Sedis Documentum; qua de causa, et quod sacrae scientiae cultor hodiernos maxime errores debet prae oculis habere, illud subjiciendum existimamus.

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS UNIVERSIS GRATIAM ET COMMUNIONEM APOSTOLICAE SEDIS HABENTIBUS

PIUS PP. IX

Venerabiles Fratres. Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices Praedecessores Nostri exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Petri Apostolorum Principis officium munusque pascendi agnos et oves nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere, eumque ab venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac Vobis praesertim compertum exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem Decessores Nostri augustae catholicae religionis, veritatis ac justitiae assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Litteris et Constitutionibus retegere et damnare omnes haereses et errores, qui Divinae Fidei nostrae, catholicae Ecclesiae doctrinae, morum honestati, ac sempiternae hominum saluti adversi, graves frequenter excitarunt tempestates, et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarunt. Quocirca iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes tamquam fluctus feri maris confusiones suas, ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus

suis opinionibus et perniciosissimis scriptis catholicae religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac justitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque praesertim juventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiae catholicae sinu avellere conati sunt.

Jam vero, uti Vobis, Venerabiles Fratres, apprime nôtum est. Nos vix dum arcano divinae providentiae consilio nullis certe Nostris meritis ad hanc Petri Cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam, et gravissima, ac nunquam satis lugenda damna, quae in christianum populum ex tot erroribus redundant, pro Apostolici Nostri Ministerii officio illustria Praedecesorum Nostrorum vestigia sectantes Nostram extulimus vocem, ac pluribus in vulgus editis Encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Litteris praecipuos tristissimae nostrae aetatis errores damnavimus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam excitavimus, et universos catholicae Ecclesiae Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam dirae contagia pestis omnino horrerent et devitarent. Ac praesertim Nostra prima Encyclica Epistola die 9 Novembris anno 1846 Vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9 Decembris anno 1854, altera vero 9 Junii anno 1862 in Consistorio a Nobis habita fuit, monstrosa opinionum portenta damnavimus, quae hac potissimum aetate cum maximo animarum damno et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quaeque non solum catholicae Ecclesiae, ejusque salutari doctrinae ac venerandis juribus, verum etiam sempiternae naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptae, rectaeque rationi maxime adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

Etsi autem haud omiserimus potissimos hujusmodi errores saepe proscribere et reprobare, tamen catholicae Ecclesiae causa, animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem vestram sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex eisdem erroribus, veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui Auctoris institutione et mandato libere exercere debet usque ad consummationem saeculi non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos summosque eorum Principes, utque de medio tollatur mutua illa

inter Sacerdotium et Imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper extitit ac salutaris (1). Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applicantes audent docere, «optimam societatis publicae rationem civilemque progressum »omnino requirere, ut humana societas constituatur et gubernetur, »nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel »saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.» Atque contra sacrarum Litterarum, Ecclesiae sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant, «optimam esse conditio»nem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coërcendi »sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax »publica postulet.» Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicae Ecclesiae, animarumque saluti maxime exitialem a rec. mem. Gregorio XVI Praedecessore Nostro *deliramentum* appellatam (2), nimirum «libertatem conscientiae et cultuum esse proprium cujuscum»que hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni »recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam »libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctan»dam, quo suos conceptus quoscumque sive voce, sive typis, sive »alia ratione palam publiceque manifestare ac declarare valeant.» Dum vero id temere afirmant, haud cogitant et considerant, quod *libertatem perditionis* (3) praedicant, et quod «si humanis persua»sionibus semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, »qui veritati audeant resultare, et de humanae sapientiae loqua»citate confidere, cum hanc nocentissimam vanitatem quantum »debeat fides et sapientia christiana vitare, ex ipsa Domini Nostri »Jesu Christi institutione cognoscat (4).» Et quoniam ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana justitiae humanique juris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae justitiae legitimique juris locum materialis substituitur vis, inde liquet cur nonnulli certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque audeant conclamare, «voluntatem populi, publica, »quam dicunt, opinione, vel alia ratione manifestatam constituere »supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam, et in »ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt

(1) Gregor. XVI Ep. encycl. *Mirari*, 15 Aug. 1852. — (2) Eadem Encycl. *Mirari*. — (3) 8 Aug. Ep. 105 al. 166. — (4) 8 Leo Ep. 164 al. 133, § 2, edit. Rall.

»vim juris habere.» Verum ecquis non videt, planeque sentit, hominum societatem religionis ac verae justitiae vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis? Eapropter hujusmodi homines acerbo sane odio insectantur Religiosas Familias quamvis de re christiana, civili ac litteraria summopere meritas, et blaterant, easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam, ut sapientissime rec. mem. Pius IV Decessor Noster docebat «regularium abolitio laedit statum publicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit vivendi rationem in Ecclesia commendatam tamquam Apostolicae doctrinae consentaneam, laedit ipsos insignes fundatores, quos super altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo inspirati eas constituerunt societates (1).» Atque etiam impie pronuntiant, auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem «qua eleemosynas christianae caritatis causa palam erogare valeant,» ac de medio tollendam legem «qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur» fallacissime praetexentes, commemoratam facultatem et legem optimae publicae oeconomiae principiis obsistere. Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis. Etenim funestissimum *Communismi* et *Socialismi* docentes ac profitentes errorem asserunt «societatem domesticam seu familiam totam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis educationisque curandae.» Quibus impiis opinionibus, machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis a juventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque juvenum animi perniciosis quibusque erroribus, vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Si quidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et jura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim juventutem decipiendam ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius juventutis corruptela collocarunt. Quocirca nunquam cessant utrumque clerum, ex quo, veluti certissima

(1) Ep. ad Card. De la Rochefoucault, 19 Martii 1791.

historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem et litterariam rempublicam commoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare, et edicere, ipsum Clerum «utpote vero utilique scientiae et civilitatis progressui inimicum »ab omni juventutis instituendae educandaeque cura et officio esse »amovendum.»

At vero alii instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent, Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subjicere, et omnia ejusdem Ecclesiae et Sedis jura denegare circa ea quae ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet affirmare «Ecclesiae leges non obliga»re in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; acta et »decreta Romanorum Pontificum ad religionem et Ecclesiam spec»tantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu »potestatis civilis; constitutiones Apostolicas (1), quibus damnan»tur clandestinae societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur »juramentum de secreto servando, earumque asseclae et fautores »anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regioni»bus ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili gubernio; ex»communicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus »latam in eos, qui jura possessionesque Ecclesiae invadunt et usur»pant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac poli»tici ad mundanum duntaxat bonum prosequendum; Ecclesiam »nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscien»tias in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae jus non »competere violatores legum suarum poenis temporalibus coërcen»di; conforme esse sacrae theologiae, jurisque publici principiis, bo»norum proprietatem, quae ab Ecclesiis, a Familiis religiosis, aliis»que locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vindicare.» Neque erubescunt palam publiceque profiteri haereticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae atque errores. Dictitant enim «Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino »distinctam et independentem a potestate civili, neque ejusmodi »distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia »invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis.» Atque silentio praetirire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt «illis Apostolicae Sedis judiciis »et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiae, ejus»demque jura ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei

(1) Clement. XII *In eminenti*, Benedict. XIV *Providas Romanorum*, Pii VII *Ecclesiam*, Leonis XII *Quo graviora*.

»morumque dogmata non attingant, posse assensum et obedientiam »detrectari absque peccato, et absque ulla catholicae professionis »jactura.» Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus collatae universalem pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam, nemo est qui non clare aperteque videat et intelligat.

In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima nostra religione, de sana doctrina, et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanae societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimus. Itaque omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus catholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Ac praeterea, optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce temporibus omnis veritatis justitiaeque osores, et acerrimos nostrae religionis hostes, per pestiferos libros, libellos et ephemerides toto terrarum orbe dispersas populis illudentes ac malitiose mentientes, alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque ignoratis, hac etiam nostra aetate, nonnullos reperiri, qui satanae spiritu permoti, et incitati eo impietatis devenerunt, ut Dominatorem Dominum Nostrum Jesum Christum negare, ejusque Divinitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant. Hic vero haud possumus, quin maximis meritisque laudibus Vos efferamus, Venerabiles Fratres, qui episcopalem vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

Itaque hisce Nostris Litteris Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati summo Nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, laetitiae et consolationi estis propter egregiam, qua praestatis, religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem, fidem et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicae Sedi concordissimis animis obstricti gravissimum episcopale vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio vestro pastorali zelo expectamus, ut assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, et confortati in gratia Domini Nostri Jesu Christi velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere, ut fideles curae vestrae concrediti «abs»tineant ab herbis noxiis, quas Jesus Christus non colit, quia non »sunt plantatio Patris (1).» Atque eisdem fidelibus inculcare num-

(1) S. Ignatius M. ad Philadelph. 5.

quam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta nostra religione, ejusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cujus Dominus Deus ejus (1). Docete «catholi»cae Fidei fundamento regna subsistere (2), et nihil tam mortife»rum, tam praeceps ad casum, tam expositum ad omnia pericula »si hoc solum nobis putantes posse sufficere, quod liberum arbi»trium, cum nasceremur, accepimus, ultra jam a Domino nihil »quaeramus, idest, auctoris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos »ostendamus liberos, abnueremus» (3). Atque etiam ne omittatis docere, «regiam potestatem non ad solum mundi regimen, sed ma»xime ad Ecclesiae praesidium esse collatam» (4), et nihil esse quod civitatum Principibus et Regibus majori fructui gloriaeque esse possit, quam si, ut sapientissimus fortissimusque alter Praedecessor Noster S. Felix Zenoni Imperatori praescribebat, «Ecclesiam »catholicam... sinant uti legibus suis, nec libertati ejus quemquam »permittant obsistere... Certum est enim, hoc rebus suis esse sa»lutare, ut cum de causis Dei agatur, juxta ipsius constitutum »regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant subdere, non »praeferre» (5).

Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiae civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam, et hanc Apostolicam Sedem conspiratione tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quocirca omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una Nobiscum Vobisque clementissimum luminum et misericordiarum Patrem ferventissimis humillimisque precibus sine intermissione orent, et obsecrent, et in plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum Nostrum Jesum Christum qui redemit nos Deo in sanguine suo. Ejusque dulcissimum Cor flagrantissimae erga nos caritatis victimam enixe jugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor Ejus ambulent digne Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labe puris ad ipsum accedant, idcirco coelestes Ecclesiae thesauros dispensationi Nostrae commissos Christi fidelibus Apostolica liberalitate reserare censuimus, ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius incensi, ac

---

(1) Ps. 143. — (2) S. Caelest. ep. 22 ad Synod. Ephes. apud Coust. p. 1200. — (3) S. Innocent. l. ep. 29 ad Episc. conc. Carthag. apud. Coust. pag. 891. — (4) S. Leo. Ep. 156 al. 125 — (5) Pius VII, Ep. encycl. *Diu satis*, 15 Maji 1800.

per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati fidentius suas preces ad Deum effundant, ejusque misericordiam et gratiam consequantur.

Hisce igitur Litteris auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus Plenariam Indulgentiam ad instar Jubilaei concedimus intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865 et non ultra, a Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum, eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Litteras in forma Brevis die 20 mensis Novembris anno 1846 datas, et ad universum episcopalem vestrum Ordinem missas, quarum initium, «Arcano Divinae Providentiae consilio», et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Litteras a Nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis Litteris praescripta sunt, et ea excipiantur, quae excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem Litterarum exemplar ad Vos perferri jussimus. «Rogemus, Venerabiles Fratres, de intimo corde et de tota mente »misericordiam Dei, quia et ipse addidit dicens: misericordiam »autem meam non dispergam ab eis. Petamus et accipiemus, et si »accipiendi mora et tarditas fuerit, quoniam graviter offendimus »pulsemus quia et pulsanti aperietur, si modo pulsent ostium pre»ces, gemitus, et lacrymae nostrae, quibus insistere et immorari »oportet, et si sit unanimis oratio... unusquisque oret Deum non »pro se tantum, sed pro omnibus fratribus, sicut Dominus orare »nos docuit (1).» Quo vero facilius Deus Nostris Vestrisque et omnium fidelium precibus, votisque annuat, cum omnia fiducia deprecatricem apud Eum adhibeamus Immaculatam sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae cunctas haereses interemit in universo mundo, quaeque omnium nostrum amantissima Mater «tota suavis est... ac plena misericordiae... omnibus sese exorabi»lem, omnibus clementissimam praebet, omnium necessitates am»plissimo quodam miseratur affectu (2).» atque utpote Regina adstans a dextris Unigeniti Filii sui Domini Nostri Jesu Christi in vestitu deaurato circumamicta varietate nihil est, quod ab eo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli ejus Pauli, omniumque Sanc-

(1) S. Cyprian. Ep. 11. — (2) S. Bernad. Serm. de duodecim praerogativis B. M. V. ex verbis Apocalyp.

torum Coelitum, qui facti jam amici Dei pervenerunt ad coelestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua immortalitate securi, de nostra sunt salute solliciti.

Denique coelestium omnium donorum copiam Vobis a Deo ex animo adprecantes singularis Nostrae in Vos caritatis pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Decembris anno 1864, decimo a dogmatica Definitione Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis Mariae.

Pontificatus Nostri Anno Decimonono.

Pius PP. IX.

SYLLABUS

COMPLECTENS PRAECIPUOS NOSTRAE AETATIS ERRORES QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS, IN ENCYCLICIS ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPAE IX

§ I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem,* 9 Junii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem,* 9 Junii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus,* 9 Novembris 1846.

Epist. Encycl. *Singulari quidem,* 17 Martii 1856.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

VII. Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poëtarum commenta, et Christianae fidei misteria philosophicarum investigationum summa: et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

§ II.

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi*, 9 Decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt objectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam objectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising, *Gravissimas*, 11 Decembris 1862.

Epist. ad eumdem, *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 Decembris 1862.

Epist. ad eumdem *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores eique relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 Decembris 1862.

XII. Apostolicae Sedis, romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

N. B. Cum rationalismi systemate cohaerent per maximam partem errores Antonii Günther, qui damnatur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam*, 15 Junii 1847, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri*, 30 Aprilis 1860.

§ III.

Indifferentismus, Latitudinarismus.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

XVI. Homines in cujusvis religionis cultu viam eternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846.

Alloc. *Ubi primum*, 17 Decembris 1847.

Epist. Encycl. *Singulari quidem*, 17 Martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam*, 9 Decembris 1854.

Epist. Encycl. *Quanto conficiamur*, 17 Augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa verae ejusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. Encycl. *Noscitis* et *Nobiscum*, 8 Decembris 1849.

§ IV.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinae, Societates biblicae, Societates clerico-liberales.

Ejusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novemb. 1846; in Alloc.

Quibus quantisque, 20 April. 1849; in Epist. Encycl. *Noscitis* et *Nobiscum*. 8 Decemb. 1849; in Allocut. *Singulari quadam*, 9 Decemb. 1854; in Epist, Encycl. *Quanto conficiamur moerore*, 10 Augusti 1863.

§ V.

Errores de Ecclesia ejusque juribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam*, 9 Decembris 1854.

Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia at assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque*, 30 Septembris 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*. 21 Decembris 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad apostolicae*, 22 Augusti 1851.

XXV. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad apostolicae*, 22 Augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

Epist. Encycl. *Incredibili*. 17 Septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem,* 9 Junii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Numquam fore,* 15 Decembris 1856.

XXIX. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Numquam fore,* 15 Decembris 1856.

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 Junii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum,* 27 Septembris 1852.

Alloc. *Nunquam fore,* 15 Decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subuendae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montis regal. *Singularis Nobisque,* 20 Sept. 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad Ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter,* 21 Decembris 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae,* 22 Augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universarum populorum facto, summum Pontificatum ab romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad apostolicae,* 22 Augusti 1851.

XXXVI. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Multis gravibusque,* 17 Decembris 1860.

Alloc. *Jamdudum cernimus,* 18 Martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae,* 22 Augusti 1851.

§ VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem,* 9 Junii 1862.

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. Encycl. *Qui pluribus,* 9 Novembris 1846.

Alloc. *Quibus quantisque,* 20 Aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant exequatur, sed etiam jus *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu.*

Litt. Apost. *Ad apostolicae,* 22 Augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile praevalet.

Litt. Apost. *Ad apostolicae,* 22 Augusti 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usum jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In Consistoriali,* 1 Novembris 1850.

Alloc. *Multis gravibusque,* 17 Decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In Consistoriali,* 1 Novembris 1850.

Alloc. *Maxima* quidem, 9 Junii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus Reipublicae instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attri-

bui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In Consistoriali*, 1 Novembris 1850.

Alloc. *Quibus luctuosissimus*, 5 Septembris 1851.

XLVI. Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

Alloc. *Numquam fore*, 15 Decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cujusque è populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate moderatrice, vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subjiciantur, ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 Julii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum duntaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 Julii 1864.

XLIX. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se jus praesentandi Episcopos et potest ab illis exigere ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas litteras accipiant.

Alloc. *Numquam fore*, 15 Decembris 1856.

LI. Immo laicum Gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo jure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Numquam fore*, 15 Decembris 1856.

LIII. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam jurispatronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

Alloc. *Probe memineritis*, 22 Januarii 1855.

Alloc. *Cum saepe*, 26 Julii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesiae.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

§ VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanae leges ad naturae jus conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

Epist. Encycl. *Quanto conficiamur*, 10 Augusti 1863.

LIX. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

LXI. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 Martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod vocant de *non interventu*.

Alloc. *Novos et ante*, 28 Septembris 1860

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846.

Alloc. *Quisque vestrum*, 4 Octobris 1847.

Epist. Encycl. *Noscitis* et *Nobiscum*, 8 Decembris 1849.

Litt. Apost. *Cum catholica*, 26 Martii 1860.

LXIV. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1840.

§ VIII.

Errores de matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione ferri potest,Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

LXVII. Jure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

LXIX Ecclesia sequioribus seculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae*, 22 Augusti 1851.

LXX. Tridentini canones qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

LXXII. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

Epist. S. S. Pii IX ad Regem Sardiniae 9 Septembris 1852.

Alloc. *Acerbissimum,* 27 Septembris 1852.

Alloc. *Multis gravibusque,* 17 Decembris 1860.

LXXIV. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum,* 27 Septembris 1852.

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum caelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in Epist. Encycl. *Qui pluribus,* 9 Novembris 1846; posterior in litteris apost. *Multiplices inter,* 10 Junii 1851.

§ IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae,* 22 Augusti 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque,* 20 Aprilis 1849.

N. B. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debent, de civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque,* 20 April. 1849; in Alloc. *Si semper antea,* 20 Maji 1850; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia,* 26 Mart. 1860; in Alloc. *Novos,* 28 Sept. 1860; in Alloc. *Jamdudum,* 18 Mart. 1861; in Alloc. *Maxima quidem,* 9 Junii 1862.

§ X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum,* 26 Julii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum,* 27 Septembris 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indiferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Numquam fore,* 15 Decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Jamdudum,* 18 Martii 1861.

APPENDIX II.

Summorum Pontificum Ordo Chronologicus.

Lumina sunt Sacrae scientiae Summorum Pontificum et sacrorum Conciliorum definitiones et decreta, illorumque intime connexa auctoritas. Unde notitiam aliquam utrorumque exhibere necessarium censemus, quam historiae ecclesiasticae studio complere assiduo Theologiae cultori cura erit.

SECULO I.

S. Petrus. 42
S. Linus. 67
S. Cletus (1). 80
S. Clemens. 92
S. Anencletus. 98
al. Anacletus. . . .

SECULO II.

S. Evaristus. 100
S. Alexander. 108
S. Sixtus I. 118
S. Telesphorus. 128
S. Higinius. 138
S. Pius I. 141
S. Anicetus. 154
S. Soter. 167
S. Eleutherius (2). . . . 176
S. Victor I (3). 189

SECULO III.

S. Zephirinus. 200
S. Callistus I. 218
S. Urbanus I. 223
S. Pontianus. 231
S. Anteros. 235
S. Fabianus. 236
S. Cornelius. 251
Novatianus ant.
S. Lucius I. 252
S. Stephanus I (4). . . . 253
S. Sixtus II. 257
S. Dionysius. 258
S. Felix I (5). 267
S. Eutychianus. 272
S. Cajus. 280
S. Marcellinus (6). . . . 295

(1) Lino successisse Anacletum, et huic Clementem, atque Cletum ab Anacleto non discerni, censent probatiores critici.

(2) Hunc convenit S. Irenaeus ob aliquas ecclesiasticas quaestiones.

(3) Decernit Victor de celebrando Paschate controversiam, et damnat Sabellium, aliosque haereticos.

(4) Stephanus jussit, adversus Cyprianum aliosque africanos episcopos, traditionem Ecclesiae retinendam circa baptismum ab haereticis collatum.

(5) Damnat Paulum Samosatenum.

(6) Eumdem esse Marcelinum cum Marcello suadent plures eruditissimi veterum Patrum et scriptorum in suis Pontificum Rom. catalogis. Item, Marcellini lapsus jure fictus creditur.

SECULO IV.

S. Marcellus I. 301
S. Eusebius. 309
S. Melchiades. 311
S. Silvester I (1). . . . 314
S. Marcus. 336
S. Julius I. 337
S. Liberius (2). 352
Felix qui dictus est II.
S. Damasus I (3). . . . 366
Ursicinus ant.
S. Siricius (4). 384
S. Anastasius I. . . . 398

SECULO V.

S. Innocentius I (5). . . 402
S. Zosimus (6). . . . 417
S. Bonifacius. 418
Eulalius ant.
S. Caelestinus I (7). . . 422
S. Sixtus III. 432
S. Leo I (8). 440
S. Hilarius. 461
S. Simplicius. 468
S. Felix II. 483
S. Gelasius I (9). . . . 492
S. Anastasius II. . . . 496
S. Symmachus. 498
Laurentius.

SECULO VI.

S. Hormisda. 514
S. Joannes I. 523
S. Felix III. 526
Bonifacius II. . . . 530
Dioscorus.
S. Joannes II. 532
S. Agapetus. 535
S. Silverius. 536
Vigilius ant. usque ad an. 537
Vigilius (10). . . . 537
Pelagius I. 555
Joannes III. 560
Benedictus I. . . . 574
Pelagius II. 578
S. Gregorius I. 590

SECULO VII.

Sabinianus. 604
Bonifacius III. . . . 607
S. Bonifacius IV. . . . 608
S. Deusdedit. 615
Bonifacius V. . . . 619
Honorius I (11). . . . 625
Severinus. 640

---

(1) Apocripha censetur Constantini M. a Silvestro baptizati historia, ex solidis historiae ecclesiasticae documentis. Praesidet per legatos Oecumen. I.

(2) Liberium Arianis consensisse, ex calumniis evulgatum haereticorum solida habentur indicia. Exuli subrogatur Felix II.

(3) Hispanus; damnat Apollinarem, confirmat Oecumenicum II, et scribit Epistolas.

(4) Damnat Priscillianistas, Manichaeos et alios haereticos.

(5) Absolvit Chrysostomum; damnat Pelagianos; confirmat conc. Africana; approbat canonem Scripturarum.

(6) Detecta Pelagianorum fraude rursus eosdem damnat.

(7) Praesidet per legatos conc. Oecumenico III.

(8) Damnat Eutychetem et Latrocinium Ephes.; et praesidet per legat. Oecumenico IV.

(9) Decretum edit Librorum canonicorum S. Scripturae, in quo iidem adnurantur a conc. Tridentino approbati.

(10) Agit quaest. de *Tribus Capitulis*, et confirmat Oecumen. V.

(11) Honorii damnatio ex haereticorum calumniis verius enascitur.

Joannes IV. 640
Theodorus I. 642
S. Martinus. 649
S. Eugenius 654
S. Vitalianus. 657
Adeodatus. 672
Donus I. 676
S. Agatho (1). 678
S. Leo II (2). 682
S. Benedictus II. . . . 684
Joannes V. 685
Conon. 686
S. Sergius I. 687
Petrus et Theodorus ant.

SECULO VIII

Joannes VI. 701
Joannes VII. 705
Sisinnius. 708
Constantinus. . . . 708
S. Gregorius II (3). . . 715
S. Gregorius III. . . . 731
S. Zacharias. 741
Stephanus II. . . . 752
Obiit nondum consecratus, et ideo a serie Pontificum quidam eum excludunt.
Stephanus II al. III. . 752
S. Paulus I. 757
Theophylactus. . . .
Stephanus III al. IV. . 768
Ejectis pseudo pontif. Constantino et Philippo.
Hadrianus I. 772
Leo III (4). 795

SECULO IX.

Stephanus IV al. V. . 816
S. Paschalis I. 817
Eugenius II. 824
Zinzinus Ant.
Valentinus. 827
Gregorius IV. . . . 827
Sergius II 844
S. Leo IV (5). 847
Benedictus III. . . . 855
Anastasius Ant.
S. Nicolaus I (6). . . . 858
Hadrianus II (7). . . 867
Joannes VIII. . . . 872
Marinus I al. Martinus II. 882
Hadrianus III. . . . 884
Stephanus V al. VI. . 885
Formosus. 891
Sergius Ant.
Bonifacius VI. . . . 896
Stephanus VI al. VII. . 896
Romanus. 897
Theodorus II. . . . 897
Joannes IX. 898
Benedictus IV. . . . 900

SECULO X.

Leo V. 903
Christophorus Ant.
Sergius III. 904
Anastasius III. . . . 911
Landus. 913

(1) Damnat Monothelitas, et Legatos ad Oecumen. VI mittit.
(2) Confirmat Oecumen. VI.
(3) Resistit Leoni Iconomacho, et similiter ejusdem successor.
(4) Ungit Carolum Magnum, instaurans Imperium Occidentis. Damnat errores Felicis et Elipandi.
(5) Post hunc Pont. finxerunt nonnulli *Joannam Papissam:* id tamen contemnunt etiam inter haereticos sapientiores, ut Leibnitius, etc.
(6) Respondet consultis Bulgarorum: reprimit Photium.
(7) Damnat Photium: praesidet Conc. Oecumen. VIII.

Joannes X. 914
Stephanus VII al. VIII. 929
Joannes XI. 931
Leo VII. 936
Stephanus VIII al. IX. 939
Marinus II. 943
al. Martinus III.
Agapetus II. 946
Joannes XII. 955
Leo dictus VIII. Ant.
Benedictus V. . . . 964
Joannes XIII. . . . 965
Benedictus VI. . . . 972
Donus II. 974
Ant. *Bonifacius* dictus VII.
Benedictus VII. . . . 975
Joannes XIV. . . . 983
Joannes XV al XVI. . 985
Gregorius V. . . . 996
Ant. *Joannes* dictus modo XVII, modo XVI. (a) *Philagatus.*
Silvester II. 999

SECULO XI.

Joannes XVI al. XVII. 1003
Joannes XVII al. XVIII (1). 1003
Sergius IV. 1009
Benedictus VIII. . . . 1012
Ant. *Gregorius.*
Joannes XVIII al. XIX vel XX. 1024
Benedictus IX: abdicat. 1033
Ant. *Silvester III.*
Gregorius IV: abdic. . 1044
Clemens II (2). . . . 1046
Damasus II. 1048
S. Leo IX (3). 1049
Victor II. 1055
Stephanus IX al. X (4). 1057
Nicolaus II. 1059
Mincius dictus *Benedictus X.* Ant. . . .
Alexander II. . . . 1061
Cadolaus dictus *Honorius II.*
S. Gregorius VII (5). . . 1073
Ant. *Guibertus* dictus *Clemens III.* Antip.
Victor III. 1086
Urbanus II. 1088
Paschalis II. 1099
Albertus, Theodoricus et *Maginulphus.* Antipapae.

SECULO XII.

Gelasius II. 1118
Ant. *Burdinus* dictus *Gregorius VIII.*
Callistus II (6). . . . 1118
Honorius II. 1124
Innocentius II (7). . . 1130
Ant. *Petrus Leonis,* dictus *Anacletus II. Victor IV.*
Caelestinus II. . . . 1143
Lucius II. 1144
B. Eugenius III (8). . . 1145
Anastasius IV. . . . 1153

(1) Conciliat Ecclesiam Occidentalem et Orientalem.
(2) Simul redit Benedictus IX, sed abdicat rursus ac expellitur.
(3) Damnat Berengarium. Caerularius renovat schisma graecum.
(4) Corrigit cum S. Petro Damiano, quem creat cardinalem, incontinentiam clericorum.
(5) Persequitur Simoniam et incontinentiam clericorum; tuetur Ecclesiae libertatem.
(6) Praesidet Oecumen. IX.
(7) Praesidet Oecumen. X.
(8) Discipulus S. Bernardi: expeditionem sacram adversus infideles indixit, cujus exitus infelix.

Hadrianus IV (1). . . 1154
Alexander III (2). . . 1159
Ant. *Victor IV* al. *V. Paschalis III. Callistus III. Innocentius III.*
Lucius III. 1181
Urbanus III. 1185
Gregorius VIII. . . . 1187
Clemens III. 1187
Caelestinus III. . . . 1191
Innocentius III (3). . 1198

SECULO XIII.

Honorius III. . . . 1216
Gregorius IX (4). . . 1227
Caelestinus IV. . . . 1241
Innocentius IV (5). . 1243
Alexander IV. . . . 1251
Urbanus IV. 1261
Clemens IV. 1265
B. Gregorius X (6). . . 1271
Innocentius V. . . . 1276
Hadrianus V. . . . 1276
Joannes XIX al. XX vel XXI. 1276
Nicolaus III. 1277
Martinus IV. . . . 1281
Honorius IV. 1285
Nicolaus IV. 1288
S. Caelestinus V abdic. . 1294
Bonifacius VIII (7). . 1294

SECULO XIV.

B. Benedictus X dictus XI. 1303
Clemens V (8). . . . 1305
Joannes XX al. XXI vel XXII (9). . . . 1316
Ant. *Nicolaus V.*
Benedictus XII (10). . 1334
Clemens VI (11). . . 1342
Innocentius VI. . . 1352
B. Urbanus V. 1362
Gregorius XI (12). . 1370
Urbanus VI (13). . . 1378
Ant. *Clemens VII* (14).
Bonifacius IX (15). . 1389
Ant. *Benedictus XIII* (16).

SECULO XV.

Innocentius VII. . . 1404
Gregorius XII (17). . 1406

---

(1) Fit schisma per 18 annos.
(2) Praesidet Oecumen. XI.
(3) Praesidet Oecumen. XII.
(4) Promulgat Libros quinque Decretalium.
(5) Praesidet Oecumen. XIII.
(6) Praesidet Oecumen. XIV.
(7) Edit. Librum sext. Decretalium.
(8) Praesidet Oecumen. XV. Edit. Clementinas. Ipse et quinque Pontifices successores sedent Avenione.
(9) Sedet Avenione. Publicat Clementinas et Extravagantes.
(10) Sedet Avenione. Decernit Quaestionem de Visione Dei.
(11) Damnat *Flagellantes*.
(12) Redit Romam.
(13) Sedet Romae et fit schisma.
(14) Sedet Avenione.
(15) Sedet Romae.
(16) Sedet Avenione.
(17) Deponitur Pisis et abdicat Constantiae.

Ant. *Alexander V, Joannes* al. XXII, al. XXII, (1) aut XXIV.
Martinus V (2). . . 1417
Clemens VIII. Antip.
Benedictus XIV. Antip.
Eugenius IV (3). . . 1431
Ant. *Felix V.*
Nicolaus V (4). . . . 1447
Callistus III. 1455
Pius II (5). 1458
Paulus II (6). 1464
Sixtus IV. 1471
Innocentius VIII. . . 1484
Alexander VI. . . . 1492

SECULO XVI

Pius III. 1503
Julius II (7). 1503
Leo X (8). 1513
Hadrianus VI. 1522
Clemens VII (9). . . 1523
Paulus III (10). . . . 1534
Julius III (11). . . . 1550
Marcellus II. 1555
Paulus IV (12). . . . 1555
Pius IV (13). 1559
S. Pius V (14). 1566
Gregorius XIII (15). . 1572
Sixtus V (16). 1585
Urbanus VII. 1590
Gregorius XIV. . . . 1590
Innocentius IX. . . . 1591
Clemens VIII (17). . . 1592

SECULO XVII.

Leo XI. 1605
Paulus V (18). . . . 1605
Gregorius XV. 1621
Urbanus VIII. 1623
Innocentius X (19). . 1644
Alexander VII (20). . 1655
Clemens IX. 1667
Clemens X. 1670
Innocentius XI. . . . 1676
Alexander VIII (21). . 1689
Innocentius XII. . . 1691

---

(1) Deponitur Constantiae, an. 1415.
(2) Praesidet postremis Conc. Constat. generalis sessionibus.
(3) Praesidet Oecumen. XVI Florentino.
(4) Schisma extinguitur.
(5) Damnat appellationes a Pontifice ad Concilium.
(6) Damnat Hussitas.
(7) Inchoat Oecumen. XVII.
(8) Absolvit Concilium. Damnat articulos Lutheri.
(9) Schisma in Anglia oritur.
(10) Inchoat Oecumen. XVIII.
(11) Instaurat Concil. Oecum. XVIII.
(12) Edit Indicem libr. prohibitorum.
(13) Confirmat Oecumen. XVIII.
(14) Damnat propositiones Baji.
(15) Corrigit Calendarium.
(16) Expurgat S. Biblia.
(17) Habet Congregationes de Auxiliis.
(18) Finit controversiam de Auxiliis imponens silentium utrique parti.
(19) Damnat librum *Augustinus* dictum, et quinque propositiones Jansenii.
(20) Sententiae de Immaculata V. Mariae Conceptione plurimum favet.
(21) Irritat Declarationem cleri Gallicani.

SECULO XVIII.

Clemens XI.	1700
Innocentius XIII. . .	1721
Benedictus XIII. . .	1724
Clemens XII (1). . .	1730
Benenedictus XIV 2 .	1740
Clemens XIII (3). . .	1758
Clemens XIV. . . .	1769
Pius VI (4).	1775

SECULO XIX.

Pius VII (5).	1800
Leo XII.	1823
Pius VIII	1829
Gregorius XVI . . .	1831
Pius IX (6).	1846
Leo XIII (7).	1878

(1) Declarat nihil detrahi ceteris Scholis per laudes sui praedecessoris de Schola thomistica.

(2) Damnat absolutionem complicis, usuras, duellum, ritus sinenses, etc.

(3) Laudat et confirmat Institutum Soc. Jesu.

(4) Damnat statuta *Syn. Pistoriensis* et constit. civilem cleri in Gallia.

(5) Restituit in universo Orbe Societatem Jesu.

(6) Inchoat Conc. Vaticanum, Oecumen. XIX. in quo definitur infallibilitas Rom. Pontificis: decernit dogma fidei de Immaculata conceptione B. Virg. Mariae: fraude detecta Liberalium, damnat Liberalismum, eorum praesertim qui putant illum posse cum doctrina catholica conciliari: hierarchiam ecclesiasticam in Anglia instaurat.

(7) Sectas damnat massonicas; errores persequitur: Missiones inter schismaticos et infideles promovet; hierarchiam extendit ecclessiasticam in oriente et occidente; doctrinam commendat Doctoris Angelici; omnes Apostolicas litteras pro institutione, confirmatione, et privilegiis Societatis Jesu confirmat.

APPENDIX III.

Concilia generalia et particularia.

Quaestionum theologicarum studiosi passim documenta in propriis eorum fontibus cupiunt. ut par est, perpendere, quo genuinum ipsorum sensum deprehendant. Ordine alphabeti ac simul chronologico nomina Conciliorum ordinata, facillime quaerenti occurrunt; ut possit statim sub quo Pontifice fuerint celebrata dignoscere. et in qua parte historiae ecclesiasticae, vel Collectionis Conciliorum, Acta illorum describantur.

Alexandrinum ob Origenis mutilationem. . . 231
Antiochenum contra Novatianos. 252
Africanum I. II. (Ad clerum Hispaniae). . 253. 254
Antiochenum I, II, III. In Paulum Samosatenum. . . . 265, 268. 269
Alexandrinum. Deponit Meletium. 306
Arelatense. Causa Caeciliani; can. 22. . . . 314
Ancyranum. Can. 24, partim poenitentiales. . 315
Alexandrinum. Damnat Arium. 324
* Antiochenum Arianorum (1). 329
Alexandrinum. In Ischyram. 330
Alexandrinum. Pro Athanasio. 340
Antiochenum. Symbola 3; can. 25. 341
Alexandrinum Athanasii restituti. 350
* Arelatense contra defensores Athanasii. . . 353
* Ancyranum Semiarianorum. 358
Ariminense. (Fraude decidit in *Conciliabulum*). 359
Alexandrinum. Contra Pneumat. Appollin. Melet. 362
Alexandrinum. Offert Joviniano symb. Nicaenum. 363
Antiochenum. Idem praestat. 363
Alexandrinum. Adhaeret Romano. 370
Antiochenum. Profitetur Trinitatem consubstantialem. 374
Aquilejense. Contra Palladium et Secundianum haereticos. . . . 381
Alexandrinum. Contra Originem. 399
Alexandrinum. Causa S. Cyrilli et Nestorii. . . 430
Antiochenum. Causa S. Cyrilli et Jo. Antiocheni. 432

(1) Conciliabula asterisco notamus.

Arausicanum. Canones 13. 441
Arelatense. Can. 7. 442
Antiochenum. In causa Ibae. 448
Arelatense. Can. 56. . 452
Andegavense. Can. 12. . 453
Antiochenum. Deponit Petrum Fullonem. . 472
Arelatense. Contra Praedestinatianos. . . . 475
Agathense. Can. 71. . 506
Aurelianense. Can. 31. 511
Arelatense. Can. 4. 524
Arausicanum. Decret. 25 in Semipelagianos. . 529
Aurelianense. Can 21. 533
Aurelianense. Can. 38. . 538
Aurelianense. Can. 38. 541
Avernense. Can. 17. . . 549
Aurelianense. Can. 24. . 549
Arelatense. Can. 17. . . 554
Antissiodorense. Can. 45. 578
Africana aliquot contra Monothelitas. 646
Augustodunense. Ca. 15. 663
Attiniacense. Preces pro defunctis. 765
Antiochenum. Pro cultu imaginum. 781
Aquisgranense. Felicem recipit. 799
Aquisgranense. De processione Spiritus S. . 809
Arelatense. Can. 24. . . 813
Aquisgranense. Instit. Canon. et Monial. . . 816
Aquisgranense. Canon. Cap. 3. 836
Aquisgranense duplex. In causa Theutbergae. 860
* Aquisgranense. Probat conjugium Waldradae. 862
* Attiniacense. In causa Hincmari. 870
Augustanum. Can. 11. . 952
Anglicum. Promovet Monacatum. 969
Anhamense. Can. 32. . 1009
Aurelianense. Damnat Lisoium et Heribertum. 1017
Atrebatense. Contra Sacramentarios. . . . 1025
Amalphitanum. Can. 16. 1089
Anglicanum. De jure Primatus. 1093
Andomarense. Can 5. . 1099
Ansanum. De fide et investituris. 1112
Anicicnse. In Antipapam. 1130
Augustanum. Can. 11. . 1152
Agnanicnse. Excomm. Fredericum III. . . . 1160
Abrincatense. Can. 13. . 1173
Aquileiense. Contra incendiarios et sacrilegos. 1184
Arelatense. Can 24. . . 1234
Apud Vallem Gidonem. Can. 4. 1242
Albiense. Can. 71. . . 1254
Arelatense. Can. 17. . . 1260
Andomarense. Contra Clericos negotiatores. . 1267
Andegavense. Can. 2. . 1269
Avenionense. Can. 8. . 1270
Arelatense. Can. 21. . . 1274
Auscense. Pro libertate Ecclesiae. 1279
Andomarense. Can. 24. 1279
Avenionense. Can. 15. . 1279
Andegavense. Can. 5. . 1279
Avenionense. Can 11. . 1282
Ausitanum. Can. 13. . 1300
Apud Pennam fidelem. Can. 15. 1302
Auscitanum. Can. 6. . 1308
Apud Vallem Oleti. C. 27. 1322

Avenionense. Can. 59. . 1326
Avenionense. Adv. Antipapam. 1327
Apud Castrum Gontheri. Can. 12. 1336
Andegavense. Can. 34. . 1365
Aquileiense. Pro tollendo schismate. . . . 1409
Andegavense. Can. 17. . 1449
Avenionense. De Imm. Conceptione. 1457
Augustanum. Decreta et can. 33. 1548
Aquense. Profess. et can. tit. 43. 1585
Avenionense. Profess. et can. tit. 64. 1595
Aquileiense. Profess. et can. tit. 19. 1596
Avenionense. Exponit jus sacrum. 1725
Ain-Traz. (Syn. Patriar. Graec-Melchit). Can. 25. 1835
Australiense I. Decr. 15. 1844
Avenionense. Cap. 41. tit. 10. 1849
Albiense. Decret. 55, tit. 8. De error. Rationalistarum. 1850
Aquense, Cap. 58, tit. 21. 1850
Auscitanum, Cap. 37 titul. 5. 1851
Armacanum. Decret. 26. Prohibent. Clericis famulae non provect. aetatis.. 1854
Australiense II. Decr. 18. 1869

Bostrenum. In Berylli errores 243
* Bithyniae. Pro Ario. . 323
* Biterrense. Pellit S. Hilarium.. 356
Burdigalense. In Priscillianos. 358
Bracarense. Profess. fidei. 411
Barcinonense. Can. 10. . 540
Bracarense. Decr. 17, can. 22. 572
Barcinonense. Can. 6. . 599
Bracarense. Can. 2. . . 675
Becanceldense. De immunit. Eccles. 694
Bergamstedense. Can. 28. 697
Becanceldense. De immun. Eccl. 798
Bellovacense. Can. 8.. . 845
Britannicum. De Ordination. Simon. 848
Bituricense. Can. 25.. . 1031
Burgense. De ritibus. . 1080
Beneventanum. Can. 4.. 1091
Barense. Pro concil. Graec. et Latin.. . . . 1097
Beneventanum. In invest. 1108
Bellovacense. Can. renovat. 1114
Balgentiacense. De divort. Ludovici.. . . 1151
Bellovacense. Pro Alex. III. 1161
Bituricense. De Praebendis. 1225
Biterrense. Can. 26. . . 1233
Biterrense. Can. 46, cap. 37, de Inquisit. haeret. 1246
Burdigalense. Can. 30. . 1255
Biterrense. Contra haer. 1255
Bituricense. Can. 16.. . 1276
Budense. Can. 69.. . . 1279
Bajocense. Can. 113. . 1300
Bituricense. Can. 14. . 1336
Biterrense. Can. 8. . . 1351
Basileense Gen. . 1437
* Bituricense. Sanct. pragmat. 1437
Bituricense. Decr. 23, in Luth. 1528
Burdigalense. Profess. et

can. 1583
Burdigalense. Decr. can. tit. 22. 1624
Baltimorense I, Decr. 38. 1829
Id. II, Decr. 11. 1832
Id. III, Decr. 11. 1837
Id. IV, Decr. 11. 1840
Id. V, Decr. 11. 1843
Id. VI, Decr. 5. 1846
Id. VII, Decr. 7. 1849
Bituricense. Decret. 48. tit. 6. 1850
Burdigalense I. Cap. 61, titul. 8. Consecratur Prov. cultui SS. Cordis, et pro exercit. Spiritual. Clericorum. . . 1850
Baltimor. plenar. I, Americ. Foeder. Decr. 25. . 1852
Burdigalense II. Cap. 8, Consecrat Prov. Imm. Cordi B. V. M. . . . 1853
Baltimoren. VIII. Decr. 8. 1855
Burdigalense III. Cap. 28, titul. 6. 1856
Baltimorense IX. Postulatum ad Pium IX. . 1858
Burdigalense IV. Cap. 27; titul. 7.. 1859
Baltimorense Plenar. II. Decr. 6, cap. 51, tit. 14. Agit de Soc. secret. . 1866
Burdigalense V. Cap. 13, Inter alia, de Cultu Sti. Joseph. 1868
Baltimorense X, Decr. 8. 1869

Caesareense. In Quartodecim. 197
* Carthag. I. Pro rebaptiz. 215
Carthag. II. Sub Agrip. 217
Carthag. I. Sub Cypr. . 251
Carthag. II, Sub Cypr. in Nov. 252
* Carthag. III. Sub Cypriano. 253
Carthag. IV. Sub Cypr. . 254
* Carthag. V, VI, VII. Sub Cypriano. . . . 255
Cirtense. Recip. Traditor. 305
* Carthag. Schism. Donat. 311
Carthag. in Donatist. . 312
* Carthag. Donatist. . . 333
* Caesareense. In Athan. 334
* Constantinop. In Marcel. Ancy. 336
Coloniense. In Euphratam. 346
Carthag. Reconcil. Donat. can. 14. 348
Cordubense. Per Osium. 350
* Constinop. In Semiar. 359
Caesaraugust. In Priscill. 380
Constantinop. I Oecumen II. 381
Carthag. can. 13. . . . 390
Carthag. Sub Aurel. III. c. 50. 397
Carthag. Sub Aurel. IV, c. 104. 398
Carthag. Sub Aurel. VI, c. 15. 401
Carthag. Sub Aur. VIII... XIV. can. plures. . 403, 410
Carthag. Collatio cum Donat. 411
Carthag. In Celestium. . 412
Carthag. In Pelag. . . 416
Carthag. De Celest. ad Zosim. 417
Carthag. In Pelag. et Donat. 418
Carthag. Causa Appiarii. 419
Ciliciense, In Jul. pelag. 423
Carthag. De Appellat. . 425
Constantinop. In Messal. 426
Constantin. In Eutichet. 448

Constant. De latr. Ephes. 450
Chalcedon. Oecum. IV. 451
Constantin. In Simoniacos. 459
Constant. In Petr. Full. 478
Carthag. gener. Hunerico dat rationem fidei. 484
Constantin. Recip. Chalcedonense. . . . 518
Carthag. Renovat can. . 525
Carpentoratense. Can. 2. 527
Constantin. Collation. cum Severen.. . . . 532
Carthag. De monasteriis. 534
Claramontan. Can. 16. . 535
Constantinop. In Acephal.. 536
Constantin. Prob. edict. Justin. 543
Constantinop. 3 Capitul. 546
Id. Vigilii Judicatum. 548
Constant. II. Oecumen. V.. 553
Caesaraugust. Can. 3. . 592
* Constantinop. Ecthes. Heracl. 639
Cabillonense. C. 20, Prof. fidei.. 644
Constantinop. III. Oecumen. VI. . . 680
Caesaraugust. Can. 5. . 691
Constantinop. Pro et contra Gener. VI. . . . 712
Cloveshoviense, can. 30. 747
* Constantinop. In imagines. 754
Compendiense. Can. 17. 756
Calchutense. Can. 20. . 787
Cloveshoviense. Prof. fidei. 800
Cloveshoviense. Confirm. decr.. 803
Cabillonense. Can. 66. . 813
Constantinop. In Iconomach. 814
* Constantin. Iconocl. . 815
Celichytense. Can. 11. . 816
Cloveshoviense. De Regular. 822
Compendiense. In abus. rer. sacrarum. . . . 823
Compendiense. In Ludovicum Pium. 833
* Constantin. In Nicol. Pontificem. 842
Carisiacum. In Gottesschal.. 848
* Cordubense. In martyr. 853
Carisiacum. De reform. . 857
* Constantinop. Pro Photio. 857
Carisiacum. Can. 15.. . 858
* Constantin. Pro Photio. 861
Constantin. IV. Oecum. VIII. . . . 869
Coloniense. Benef. eccl.. 873
* Constantin. In Oecumen. VIII. 879
Coloniense. Can. 6. . . 887
Confluentinum. Can. 8.. 922
Calnense. In monachos.. 978
Casenatense. Inst. cler. . 1042
Coyacense. Can. 13. . . 1050
Compostel. Can. 4. . . 1056
Constantiense. Pro reform. 1094
Claromont. Can. 32.. . 1095
Capuan. Colon. In Henr. 1118
Carnotense. Pro exped. Hieros.. 1146
* Clarendonense. Can. 16. 1164
Cassiliense. Can. 8. . . 1172
Campinacense. Can. 39.. 1238
Coloniense. Can. 14.. . 1260
Copriniacense. Can. 7. . 1262
Coloniense. Can. 45. . . 1266
Claromontanum. Collect. Can. 1268

Compendiense. In usurp. bon. Eccl. 1270
Constantin. Pro primat. R. P. 1277
Coloniense. Can. 11. . . 1280
Constantinop. Pro Proces. S. Spir. 1280
Cicestrense. Can. 41. . . 1289
Id. Can. 7. . . 1292
Cantuariense. Can. 47. . 1295
Coloniense. Can. 22. . . 1300
Compendiense. Can. 7. . 1301
Id. Can. 5. . 1304
Coloniense. Can. 29. . . 1311
Id. Edit. Statuta. 1322
Complutense. Can. 2. . 1327
Camethense. Can. 10. . 1330
Castrum Gonteri (apud). 1336
* Constantinop. Pro. haer. Palam. 1341
Constantiense General. 1414
Coloniense. Can. 11. . . 1421
*Constantinop. Rescindit union. Flor. factum. . 1450
Coloniense. Recip. Stat. Legat. 1452
Coloniense. Can. Partes 14. 1536
Coloniense. Tit. 7. . . . 1549
Cameracense. Tit. 22. . . 1565
Id. Tit. 24. . . 1586
Constantinop. In Calvin. 1642
Casseliense. Decret. 5. De fide et discipl. titul. 5. 1853
Concinnatense I. Dec. 19. 1855
Id. II. Dec. 13. 1858
Coloniense. Cap. 40, de Doctr. cathol. titul. 9; cap. 38 de discipl. eccles. titul. 2. 1860
Cincinnatense III. Decret. 12. 1861
Diospolitanum. Causa Pelag. 415
Dingenfilgense. Can. 17. 772
S. Dionysianum. Restit. Ludov. 834
Duziacense. In Incestuos. 873
Dalmaticum. Can. 12. . 1199
Divionense. In matrim. Philip. 1199
Danicum. Can. 4. . . . 1257
Dunelmense. Can. 6. . . 1276
Dertusanum. Can. 20. . 1429
Dublinense. Can. 10. . . 1518
* Dordrechtanum, Calvinist. In Arminianos. . 1618
Dublinense, Decret. 23. 1853

Eliberitanum. C. 81 poenit. 313
Ephesinum Oecumen. III. 431
* Ephes. Latrocin. . . . 449
Epaonense. Can. 40. . . 517
Egarense. Confir. Can. 2 Tolet. 614
Emeritense. Can. 23. . . 666
Erfordiense. Can. 5. . . 932
Id. Decimat. dividit. 1074
Eduense. In Philippi incestum. 1094
Eboracense. Can. 12. . . 1195
Exoniense. Can. 55. . . 1287
Eboracense. Can. 10. . 1367
Id. Pro disciplina. 1467
Ebredunense. De Const. Apost. 1727

Forojuliense. Sym. c. 14. 791
Francofordiense. Pro filiatione Dei naturali. . 791
Finchallense. 798
Florentinum. In opin. de adventu Antichr. . . 1105

Ferrariense. Continuatio Basileensis gen. 1438
Florentinum Oecumen. XVI. . . . 1439
Frisingense. Can. 26. . 1440
Firmanum. Constit. 20, de fide et discipl. . . 1726

Gangrense. Can. 20. . . 325
Gerundense. Can. 10. . 517
Germanicum. Can. 7. . 742
Id. Damnat Aldeber et Clementem. 745
Germanicum. Statuta 35. S. Bonif. 747
Gentiliacense. De Proc. Sp. S. 767
Grateleanum. Can. 9. . 928
Gallicanum. De rit. . . 1002
Gerundense. Can. 14. . 1068
Id. Can. 13. . 1078
Guastallense. Conciliat schismaticos.. . . . 1106
Germanicum. Can. 14. . 1225

Hierosolymit. sec. I.
Hieropolitan. In Montanist. 170
Hierosolymit. Pro Athanasio. 348
Hipponense. Sub Aurel I. c. 41. 393
Hierosolym. In Pelagi. . 415
Id. Idem. . . 416
Hispanum. In Priscil. c. 20. 447
Hibernum. Sub Patric. canon. 65.. 450
Hierosoly. In Acephal. . 536
Hierosolym. Recipit Oecum V. 553
Hispanum, De Gen. V. . 590
Hispalense, Can. 3. . . 590
Id. Can. 19. . . 619
Hierosolym. Sophron. de 2 voluntatibus. . . . 634
Herfordiense. Can. 10. . 673
Hudfeldicum. Recipit 5 conc. Gener. 679
Hierosolym. De fide cum Armenis 1136
* Herbipolense. Pro Paschali Antip. 1166
Herbipolense. Can. 42. . 1287
Hafniense. Pro discipl. . 1425
Hierosoly. In Calv. . . 1672
Halifaxiense I. Dec. 21. 1857

* Iconiense. Pro rebaptiz. 235
Iliberitanum. 305
Illyricianum. Trin. Consubstantialis.. . . . 374
Iconiense. Divinit Sp. S. 377
Ilerdense. Can. 16. . . 524
Ingelheimense. In raptores. 826
Ingelheimense. Can. 7. . 948
Insulanum. Can. 13.. . 1251
Id. Can. 18.. . 1288

Jaccetanum. De rit. Goth. 1060
Juliabonense. Can. 13. . 1080

Karrofense. C. 3, can. 3. 989
Id. In Manichae. 1028

Lugdunense. Pro pace. . 197
Lambesitanum. In Privatum. 240
Liberitanum 305
Laodicenum. C. 60. (vel an. 320). 370
Lugdunense. Recipit Lucidii retract. 490
Lugdun. Can. 6. . . . 517
Lucense. Dividit Dioeceses. 569
Lugdunen. Can. 6. . . 583
Lateranense. Can. 20. . 649
Leodiense. Can. 10. . . 710

Lauriacense. Can. 4. . . 843
Lingonense. Can. 16. . 859
Legionense. Can. 7. . . 1012
Lemovicense. De discipl. 1031
Londinense. Renov. can. 1075
Lateranense. In Schis. . 1101
Londinense. Can. 29. . 1102
Id. In invest. . 1107
Id. Can. 10. . 1108
Lateran. In Henrich. . . 1111
Id. Confirmat. . . 1116
Lateran. I. Oecum. IX 1123
Londinense. Can. 17. . 1125
Id. Can. 12. . 1127
Id. In Sacer. focarias. 1129
Londinense. Can. 17. . 1138
Lateran. II, Oecum. X. 1139
Lateran. In Fridericum. 1168
Londinense. Can. 19. . 1175
Lumbariense. Damnat haeret. *boni homs.* . . 1176
Lateran. III. Oecumen. XI. 1179
Lanciciense. De continent. Sacerd.. . . . 1197
Londinense. Can. 14. . 1200
Lambethense. Can. 3. . 1206
Later. IV. Oecumen. XII. 1215
Londinense. Can. 31. . 1237
Lugdunense I. Oecumen. XIII. . . 1245
Lambethense. Pro discipl. 1261
Londinense. Can. 54. . 1268
Lugdun. II, Oecumenic. XIV.. . . 1274
Lanciciense. Can. 16. . 1276
Lambethense. Can. 27. . 1281
Londinense. Can. 8. . . 1321
Id. Can. 9. . . 1328
Lompendiense. Can. 7. . 1329
Londinensia duo. C. 12; can. 17. 1342
Londinense. In Wiclef. . 1382
Londinense. In Wiclef. . 1413
Lansanense. Pro Nicol. V. 1449
Lateran. V. Oecumen XVII. 1512
Lugdunense. Decret. 32. 1850

Mediolanense. In Photin. 347
* Mediolan. De Liberii exil. 355
Mediolan. In Jovinian. . 390
Milevitanum. Sub Aurel. VII, c. 5. 402
Milevitan. In Pelagianos. 416
Mopsuestenum. Tria Capitula. 550
Matisconense. Can. 19. . 581
Id. Can. 20. . 583
Id. Pro reg. S. Columb. 627
Mediolanen. In Monoth. 680
Metense, c. 8. Can. 8. . 753
Moguntinum. Can. 55. . 813
Meldense, Can. 80. . . 845
Moguntinum, can. 31. . 847
Moguntin. in Gottesch. 848
* Metense. 863
Moguntin. Can. 28. . . 888
Metense, can. 13. . . . 888
Moguntin. Pro discipl. . 1049
Mantuanum. In Cadolaum. 1064
Mogunt. De divor. Henr. IV. 1068
Moguntin. In concubinarios. 1075
* Mogunt. Pro *Guiber. Antip.* 1080
Monspeliense. In Albigenses. 1195
Montispesulanum, C. 46. 1215
Melodunense, Can. 7. . 1216
Id. De jurisd. eccl. 1225
* Moguntin. Absol. Haer. 1235

Monspeliense. Can. 8. . 1258
Mediolanen. Can. 10. . 1287
Melodunense. Pro discip. 1300
Mertonense. Can. 7. . . 1300
Marciacense. Can. 56. . 1326
Machfeldense. De fest. et disc.. 1332
Machfelden. De festis. . 1362
Mantuanum. In Turcas. 1459
Moguntinum. Decr. 47; can. 104. 1549
Mediolanense I. Sub Car. Borr. 1565
Mediolanense II. Tit. 3. . 1569
Mechinense. Tit. 22. . . 1570
Mediolanense III. c. 21. 1573
Id. IV. Decr. et Can. Part. 3. 1576
Mediolanense V. Eorumd. Part. 3. 1579
Mediolanense VI. Decr. et can. 31. 1582
Memphiticum. Pro Coph. 1582
Mexicanum. Lib. 5, Decr. et can. 1585
Mechlinense. Tit. 26, Decr. Can. 1607
Maronitarum. Pro disc.. 1738
Id. Pro reformat. disciplinae. . . 1738

Neocaesarcense. Can. 14. 315
Nicaenum I. Oecumen I.. 325
* Nicaenum. 359
Narbonense. pro fili at. Dei naturali.. . . . 791
Nannetense. Can. 20. . 896
Nemansense. Can. 16. . 1096
Northusanum. in haeret. 1105
Narbonense. pro convers. Albigen. 1208
Narbonen. Can. 20. . . 1227
Nymphaeanum. de Concord. Graec. 1233

Narbonense. Can. 29. . 1235
Nannetense. Can. 9. . . 1264
Nemausense. lib. Can. . 1284
Nugaroliense. Can. 12. . 1230
Id. Can. 19. . 1303
Id. Can. 5. . 1315
Nicosiense. Profes. fid. can. 8. 1340
Narbonense. Can. 27. . 1374
Id. Decr. c. 66. 1551
Id. Tit. 50. Decr. Can.. 1609
Neo-Eboracense I. Decret. 6. 1854
Neo-Aurelianense I. Decret 20.. 1856
Neo-Eboracense II. . . 1860
Neo-Aurelaniense II. Decret. 11. 1860
Neo-Eboracense III. Decret. 7. 1861

* Orientale. Aria. Symb. 344
Oxoniense. Can. 49. . . 1222
Othoniense. In host. Eccl. 1245
Oxoniense. Can. 13. . . 1408
Osborniense. In *Cadol. Ant.*. 1062
Oregonense, I. Decret 14. 1848

Palestinum. De Paschate. 196
* Philippopolitanum. In Sardic. 347
Parisiense. In Arimin. . 360
Id. Can. 10. . . 557
Id. Can. 15. . . 615
Pharense. De disciplina.. 664
Parisiense. De imagin. . 824
Id. Can. 11. 3. . 829
Id. Praec. complet. 845
Pontigonense. Varii can. 877
Pictaviense. Can. 3. . . 1000
Id. Can. 10. . 1078

Placentinum. Can. 15. . 1095
Pictaviense. Can. 16.. . 1100
Palentinum. Can. 18.. . 1129
Placentin. et Pisan. In Antip.. . . . . 1132, 34
Parisien. In Gilb. Porr. . 1147
Id. In Petr. Lomb. 1170
Id. In Turcas. . . 1185
Id. id. 1188
Id. De divort. Philippi.. 1196
Parisien. In Evrandum. 1201
Id. In Amalricum. 1203
Id. In Albigens. 1223, 26
Id. Pro exped. Hierosoly. 1263
Parisien. In Blasphemos. 1266
Pictaviense. Can. 11.. . 1280
Id. Can. 5. . . 1284
Parisiense. De lite Phil. et Bonif. 1302
Pennam Fidelem (apud). 1302
Posoniense. Can. 8. . . 1209
Parisien. Can. 4. . . . 1323
Id. Can. 13.. . . 1346
Palentinum. Can. 7. . . 1388
Parisiense, In Schism. . 1394
Id. Art. 8.. . . 1404
Pragense. In schism.. . 1405
Parisiense. Pro toll. schi. 1408
* Perpinianense. Pro Ant. Bened. 1409
Pisanum Gener.. . 1409
Parisien. Can. 41.. . . 1429
* Pisanum, In Pontif. . 1511
Parisien. (alias Senon.) in Lutherum.. 1528
Piscianense. Profes. et can.. 1561
* Palamitarum. . . . 1350
Posoniense, Nation. Ungariae. Decret. 26. Inter remedia malorum nostrae aetatis, Decret. 6, «Ut ad educationem nobilium juvenum institueretur convictus, isque Jesuitis regendus traderetur. . . . 1822
Parisiense. Litterae Synodicae. 1849
Pisanum. Session. 19, cap. 12. 1850
Portus Hispaniae I. Sect. 3, Art. 7, de Sacram. . 1854
Pragense. Cap. 72, titul. 8. 1860
Portus Hispaniae II. Section. 3, art. 6, de Sacram. 1867

* Ad Quercum. In S. Chrysos. 403
* Quinisextum. Trull. Can. 102. 692
Quedlinburgense . In Henr. can. 8.. . . . 1085
S. Quintinum (apud), can. 5. 1271
Quebecense I. Decret. 25. 1851
Id. II. Decr. 22. 1854
Id. III. Decr. 18. 1863
Quitense I. Statut. Capitularia 43, Decret. 15. 1863
Quebecense IV. Decret. 19. 1868
Quitense II. Decreta. 14. 1869

Romanum. De Pasch.. . 197
Id. De Origene. . 237
Id. In Novatianos. 251
Id. In Rebaptiz.. 256
Id. Causa Caeciliani. 313
Romanum. Pro Athan. et Marcel. 342
Romanum. Recipit resipisc.. 366
Romanum. In Valent. et

Ursac. 369
Romanum. In Auxentium. 372
Romanum. De Ursic. Antip. 378
Romanum. Damnat haeres. divers. 379
Romanum. In Jovinian.. 390
Id. Pro Cyrillo. . 430
Id. In Manichaeos. 444
Romanum. Rescind. acta Eph. Latr.. 449
Id. Can. 5. . . 465
Id. In Full. et Acacium. 484
Romanum. De lapsis.. . 487
Id. D. Gelas. de libr. can. 494
Romanum, Contra ambit. in elect. Pontif. . . . 499
Romanum. De Laur. Antip. 500
Romanum. In caus. Symm. 501
Romanum. De rebus Ec. conserv. 502
Romanum. Probat apolog. Symm. 503
Romanum. Conciliatur cum Constantin. . . 518
Romanum. De Appell. Illyrici.. 531
Romanum. In Acoemetas. 532
Id. Can. 6.. . . 595
Id. Pro monachor. sacerdotio.. 610
Romanum. Damn. Ecthesin Heracl. 639
Romanum. Damn. Pyrrhum. 648
Romanum. De Britanniae rebus. 679
Romanum. Non confirm. cc. Trullan. 709
Romanum. Can. 17. . . 721
Id. Causa Imag. 3. . . . . 726, 30, 31
Romanum. Can. 15. . . 743
Id. In Aldeber. et Clem. 745
Romanum. In Iconomachos. 769
Ratisbonense. Pro filiat. nat. 791
Romanum. In Felicem. . 798
Batisbonense. De Chorepis. 803
Romanum. De *Filioque*.. 809
Remense. Can. 44.. . . 813
Roman. Can. 38. . . . 826
Id. Can. 42. . . . 853
Id. In Theopaschitas. 862
Roman. In Conc. Meten. 863
Id. In Conc. Sylvanectenses.. 865
Roman. In Photium. . . 868
Ravennense. Caus. Patr. Aquil. 874
Ravennense. Can. 19. . 877
Rothomagense. Can. 16. 878
Romanum. Pro Photio. . 879
* Id. In Formosum 897
Romanum. Pro Formoso. 898
Ravennense. Can. 12. . 898
* Romana. Antipaparum.. . . . . 963, 64
Romanum. Pro Papa. . 964
Id. In simoniacos. . 983
Id. Pro canonizat. S. Udalrici. 993
Roman. Dat. Raven. secund. locum 1046
Roman. 2 In simoniac. 1047, 49
Remense. Can. 12. . . 1049
Rothomag. Can. 19. . . 1050
Romanum. In Berengar. 1050
Id. Can. 13. . . 1056

Romanum. 2. In incestuosos. 1065
Rothomag. Can. 24. . . 1069
Id. Can. 22. . . 1074
Romanum. Can. 24. . . 1074
Id. In Imp. et epis. German. . . . 1076
Romanum. Can. 12. . . 1078
Id. Recip. Berengar. 1079
Romanum. De investiturus. 1080
Romanum. In Antip. et Imperat. 1084
Rothomagense. Can. 6. . 1096
Romanum. Can. 18. . . 1099
Remense. In Henrich. . 1119
Id. Can. 5. . . . 1119
Rothomagense. De cast. Cleric. 1119
Remense. C. 17 in Antip. 1131
Id. Symb. in Gilb. c. 18. 1148
Rothomag. Can. 19. . . 1223
Roman. In Frideric. . . 1227
Rothomag. Can. 52. . . 1231
Remense. Pro monendo Rege. 1235
Roffiacense. Can. 10.. . 1258
Ravennense. Pro religios. 1259
Rhedonense. Can. 7. . . 1273
Redingense. Can. 5. . . 1279
Ravennense. Can. 9. . . 1286
Rothomagense. Can. 7. . 1299
Romanum. De Bonifac. VIII et Philip. . . . 1302
Ravennense. De Templ. 1310
Id. Can. 32.. . 1311
Id. Can. 20.. . 1314
Id. Can. 24.. . 1317
Rothomag. Can. 13. . . 1335
Romanum. In Hussitas. 1412
Rothomag. Can. 40. . . 1445
Remense. Can. 19. . . 1564
Rothomagense. Tit. 12. Prof. fid. 1581
Remense. Profess. fidei. tit. 29. 1583
Romanum. Exponit jus sacrum. 1725
Rhedonense. Prov. Turonen. Decret. 24.. . . 1849
Remense I. Cap. 63. titul. 19.. 1849
Rothomagense. Decret. 25. 1850
Remense II. Cap. 17.. . 1853
Ravennatense. Cap. 29, partes 3. 1855
Remense III. Cap. 18. . 1857

Sinuesanum? (De laps. Marcel.) 303
Sardicense Gener. 347
Sirmiense. In Photin. . 349
* Id. Orient. . . 351
* Id. Anomaeorum.. 357
* Sirmiense. Pro formul. Arethusii. 359
* Seleuciense. Semiar. . 359
Siculum et Tyanen. Pro form. Nycaen. . . . 367
Suessionense. Can. 10. . 744
S. Dionysian. Restituit Lud. Pium. 834
Suessionense. Can. 13. . 853
Sylvanectense. Pro Hincmaro. 863
Suessionen. Causa Ufaldi. 866
Seligenstadianum. Canon, 20.. 1022
Suessionense. In Roscelinum. 1093
Santonense. Jejun. in vig. Ap. 1096
Samaritanum. Pro reformat.. 1120
Suessionen. In Abailard. 1121

Senonense. In Abailard. 1140
Id. In haer. Popullician. 1198
Scoticum. De Observ. Dominicae. 1201
Salmuriense. Can. 32. . 1253
Senonense. Can. 6. . . 1269
Salisburgense. Can. 24.. 1274
Salmurien. c. 14, can. 14. 1276
Santonense. Can. 15. . 1280
Salisburgense. Can. 18. 1281
Santonense. Can. 5. . . 1282
Salisburgense. De Ord. Equestr. 1291
Salmuriense. Can. 5.. . 1294
Santonense. Can. 7. . . 1298
Salisburgense. De Decimis. 1310
Salmanticense. De Templar 1310
Salmuriense. Can. 4.. . 1315
Senonense. Can. 4. . . 1320
Sylvanectense. Can. 7. . 1326
Salmanticense. Can. 17. 1335
Salisburgense. Can. 17. 1386
Id. Decr. et can. 34. 1420
Suessionense. Renov. canones. 1456
Senonense. Colligit canones. 1485
Senonense. In Richerii libr. 1612
Senense. Decret. 15. . . 1850
Senonense. Cap. 34, titul. 12.. 1850
Sancti Ludovici I. Decret. 7.. 1855
Sancti Ludovici II. Decret. 14. 1858
Strigoniense. Decret. 50, tit. 10. 1858
Smyrnense. Section. 4, Cap. 20. 1869
* Tyrium. In Athanas. . 335
Toletanum. D. 18, c. 20, in Priscil. 400
Turonense. Can. 13. . . 461
Tarraconense. Can. 15. . 516
Tornacense. In haeret. var. 520
Toletanum. Can. 5. . . 531
Tullense. Pro Nicetio. . 550
Turonense. Can. 27. . 567
Toletanum. Can. 2. . . 597
Toletanum IV. Can. 75. *Filioque*. 633
Toletanum IX. Pro auctorit. Regia. 636
Toletanum. Can. 19. . . 638
Id. Can. 6. . . 646
Id. Can. 12. . . 653
Id. Can. 17. . . 655
Id. Can. 7. . . 656
Id. Can. 16. . . 675
Id. XII. Can. 13. 681
Id. Can. 13. . . 683
Id. Recip. Gen. VI. c. 12. 684
Toletan. XV. Tres subst. in Christo.. 688
* Trullanum. Quinisextum.. 692
Toletanum. Can. 10. . . 693
Id. Can. 8. . . 694
Turonense. Can. 51. . . 813
Theonisvillanum. Can. 4. 821
Id. Can. 6. 844
Ticinense. Can. 25. . . 850
Id. Can. 19. . . 855
Tullense, apud Saponar. Can. 13. 859
Ticinense. Can. 15. . . 876
Tricassinum. Can. 7. . 878
Triburiense. Can. 58. . 895
Troslejanum. Can. 15. . 909
Tolosanum. Can. 13.. . 1056
Turonense. Can. 10. . . 1060
* Ticinense. In Pontific. 1067

Trojanum. In conjug. consang. 1089
Tolosanum. Pro reformat. 1090
Turonense. Pro expedit. Hieros. 1096
Trecense. In Simoniacos. 1107
Tolosanum. Pro expedit in Saracenos. 1118
Trecense. Templariorum. 1128
Tolosanum. De inquir. haeretic. Cant. 17. . 1129
* Ticinense. Pro Victor. antipap. 1160
Tolosanum. Can. 45. . 1229
Tarraconense. De divort. Jacobi. 1229
Turonense. Can. 14. . . 1236
Id. Can. 13. . . 1239
Tarraconense. In Waldenses. 1242
Turonense. Can. 13. . . 1282
Toletanum. Can. 8. . . 1324
Id. Can. 4. . . 1347
Id. Can. 2. . . 1355
Ticinense, et Sen. Pro unit. graec. 1423
Toletanum. Can 29. . . 1473
* Turonense. Pro Rege in Pont. 1510
Tridentinum. Oec. XVIII. Sess. 25. . . 1542
Trevirense. Can. 10. . . 1548
Id. Decret. et can. 20. 1549
Toletanum. Symb. et can. 1566
Turonense. Profes. et can. Tit. 18. 1583
Tarraconense. Const. 3. De discipl., Catech. etc. 1738
Tarraconense. Pro Officio et Missa SS. Cord. Jesu et beatif. V. Petri Claver. 1745
Tuamense I (Hiberniae). Decret. 28. 1817
Tolosanum. Cap. 18, tit. 4. 1850
Thurlense. Plenar. Hiberniae. Decret. 25. . 1850
Tuamense II. Decret. 23. 1854
Id. III. Cap. 19. . 1858

Uratislaviense. Dat part. 5. Redit. 1248
Urbinatense. Decret. 233. 1859
Ultrajectense. Synod. provinc. Cap. 73, tit. 10. 1865

Valentinum. (in Delphin). Can. 4. . . . 374
Vasense. Can. 10. . . . 442
Veneticum. Can. 16. . . 465
Valentinum, in Hisp. Can. 6. 524
Vasense. Can. 5. . . . 529
Valentinum, in Gall. In Semipelag. 530
Wigorniense. De Pasch. Bapt. et praed. . . . 601
Vermeriense. Can. 12. . 752
Verniense. Can. 25. . . 755
Vernense. Can. 21. . . 844
Valentinum, in Gall. De Praedest. 855
Wormatiense. Profess. Can. 80. 868
* Vermeriense. In causa Hincmar. 869
Viennense. (in Delphin.) Can. 4. 892
Wintoniense. Pro immun. Eccles. 1139
Vicelliacum. In Turcas. 1146
Venetum. Pro reconc. Pap. et Imper. Deponit Antip. 1177
Veronense. Reconc. ordinatos ab Antip. . . 1184

Vallem Ghidonis (apud). 1242
Wigorniense. Can. 59. . 1239
Valentinum (in Gall.) Can. 23. 1248
Viennense (in Austr.) Can. 19. 1267
Viennense (in Delph.) Oecum. XV. . . . 1311
Vallem Oleti (apud), Can. 27. 1322
Vaurense. Can. 13. . . 1368
Vaticanum. Oecum. XIX. 1869
Viennense, Cap. 65 tit. 7. 1858
Venetum. Cap. 28, part. 3. 1859
Westmonasteriense I. Decret. 29, Stat. pro Can.. 1852
Westmonasteriense II. Decret. 10. 1855
Westmonasteriense III. Decret. 19. 1859

Zertense. In Donatistas. 412
Zamosciarum Ruthenorum. Const. 19, de fide et disciplina, de stud. et seminar. 1720

FINIS TOMI I.

INDEX ALPHABETICUS

Numerus romanus indicat Disquisitionem; arabicus, paragraphum; aliquando *pagina* citatur.

A

Ab Adamo prima scientiae sacrae origo. I, 10.
Absolute quid significat. I, 105.
Actio divina revelandi. II, 39.
Actu esse. Actus primus. Actus secundus. Actus signatus, actus exercitus. I, 108. Actus qui est *forma*. II, 37.
Actus theologici sunt duplicis naturae. I, 27.
Adoratio principalius est in actu interiori. II, 6.
Alcoranus ficte revelatus, contradictionibus scatens et stultitiis. II. 291, 306, etc.
Amentes habentur qui moraliter certis non assentiunt. II, 44.
Analogia rationis et fidei. II, 72. Origo hujusce quaestionis. (Ibid.)
Analysis actus fidei. II, 56, 61.
Analysis revelationis. II, 35, 39.
Angeli quid valent. II, 136, 150.
Apocrifi libri. III, 223.
Apprehendere pertinet etiam ad fidem. II, 68.
Argumentorum compendium pro veritate religionis christianae. II, 263.
Argumentorum theologicorum usus. I, 59, 60, etc.
Assensus certus, probabilis. II, 44, 56. Ejusdem claritas multiplex: (ibid.) Simplex assensus differt ab actu credendi. 70. Assensus fidei movetur ab objecto formali, determinatur autem a voluntate. 67. Assensus qui solum attingit objectum materiale fidei. non est actus fidei. 63.
Auctoritas quid est. II, 35. Argumentum ex auctoritate humana est infirmissimum; ex auctoritate divina, efficacissimum. 36.
Auctoritas Dei motivum fidei. II, 56.
Auctoritas SS. Patrum, theologorum, Canonistarum diversimode fulget in singulis. III, 219.
Authentia, quid est? Quotuplex? III, 254.
Augustinus agnoscit primatum Rom. Pontificis: III, 125. Quaedam de hac re illius explicantur sententiae: 128. Docet infallibilita-

tem: 138. Ejusdem tempore erant Africae innumerabiles gentes Christum nescientes. III, 75. Tamen, quomodo erat catholica Ecclesia explicat. 173, c).

B

Baptismus vinculum est unionis Ecclesiae Christi. III, 17.
Beatitudo hominis supernaturalis est. II, 91.
Brahm quo pacto factus Brahma; quomodo factus fuit Vichnu; et tandem Shiva. II, 276. Brahchmanorum libri: 275.
Brahmanismus impugnatur. II, 274. Docet metempsycosim: 280.
Brahchmani, pantheistae: II, 280.
Buddha Brahmanismum limavit. II, 274. Continuo Buddham renasci ajunt Buddhistae. 285.
Buddhismus impugnatur. II, 274. Buddhistarum libri: 275.

C

Canonistarum auctoritas, munus. I, 65; III, 218. Quorumdam canonistarum improbatur opinio. III, 182.
Causae omnes multimode a Deo pendent. II, 117.
Catholicitas. Quid est? III, 61. Actualis, virtualis et successiva. III, 75, 170.
Catholici, custodes integritatis: III, 61. Probabilior exponitur sensus. 73. Quidam catholici naturalistis conniventes. II, 123.
Certitudo objectiva, subjectiva: II, 55. Quo pacto est de ratione scientiae. I, 18.
Charitas nequit in Ecclesia deficere. III, 79, etc.
Christiana religio est divina. II, 239, etc. A prophetis praedicta. II, 271.
Cives qua gaudent libertate circa religionem. II, 21.
Cognitio unde oritur. II, 34. Immediata, mediata, evidens, probabilis, certa. II, 44. Cognitio probabilis non sufficit ad fidem. II, 54.
Communismus damnatur: pag. 326. (Encycl.)
Concilii generalis auctoritas: III, 107. Particularis 119.
Concilia. Generalia a quo sunt convocanda: 114; confirmanda: 116; praesidenda: 117. Pro Conciliorum usu regulae. I, 62.
Congregationum Rom. auctoritas. III, 180, etc. Concilii; S. Inquisitionis; SS, Rituum: 181, 182.
Consensus fidei cum ratione: II, 72.
Creatura habet transcendentalem et conditionatam cum Deo connexionem. II, 45, 49.

Credere differt a judicare, apprehendere. II, 88.
Crichna: quaedam Vichnu incarnatio. II, 278.
Colendus Deus: II, 3. Etiam cultu externo: 9. Cultus internus perfectior: 5, 6. Cultus quid est: 5. Cultus socialis necessarius: 13.
Custodes integritatis, catholici. III, 61.
Cypriani dicta explicantur. III, 59, 126.

D

Daemones possunt ad miraculosa cooperari. II, 146. Nequeunt ordinem mutare naturae, nisi Deo concedente. 148. Potestas eorum in paganos. 153. In eorum operibus duo distinguenda. 160. Quis finis daemonum in miraculosis. 171. Eorumdem opera externa, utrum miracula dici queant? 155.
Definitio scientiae sacrae. I, 2. Ejusdem divisio. 23. etc.
Dei existentia et perfectio est fundamentalis veritas. I, 2.
De Deo quae possint naturaliter cognosci. II, 82.
Deus tantum miracula auctoritative efficit. II, 143. Nihil contra naturam facit. II, 130.
Deuterocanonici libri. III, 224.
Disputatio cum haereticis quando adhibenda. 75; quomodo instituenda, et de quibus. 77.
Doctrina fidei quomodo probanda. I, 87.
Doctrinae veritas quatenus divinitatis sigillum. II, 212.
Distinctiones scholasticae explicantur. I, 105, etc.
Divisio generalis de Prolegomenis. I, 1: divisio theologiae. 10. De Religione. II, 1. De Ecclesia. III, 5.
Divisio miraculorum in duo genera: II, 145.

E

Ecclesia societas est quam Christus instituit. III, 12. Ecclesia est societas perfecta independens: 25. Ejus principia duplicis generis; 4. Est instituta pro omnibus hominibus et per omnia secula: 6, 61. Sub se continet omnes societates: 18. Membra Ecclesiae uniri debent eadem fide, eodem baptismo: 17. Una hierarchia. 32, 39.
Ecclesiae finis. III, 23. Quomodo propaganda, conservanda: 26; gubernanda: 32. Ejus hierarchia est una: 39. Culmen et centrum sunt Rom. Pontifices: 51.
Ecclesiae definitio. III, 60; 74. Ecclesiae anima et corpus. III, 190.
Ecclesia est catholica: 61, 173, c). Quomodo per universum terra-

rum orbem diffusa. III, 54, etc. Homogenea, ubique tota: 73, etc.
Ecclesia sancta; charismatibus ornata Sp. Sancti. III, 79. Miraculis fulgens: 83, etc. Infallibilis: 92. etc. Visibilis: 151. *Notis* splendens: 156. Ecclesiae notae et proprietates, in quo differunt. III. 172. Magisterium. I, 89; III, 26. Pag. 324. (Encycl. Pii IX.)
Ecclesia vera est Romano–Catholica. III, 173. Non est apud schismaticos graecos. russiacos, armenos, Coptos, etc. 184. Nec apud Protestantes, Anglicanos: 189.
Ecclesiae veri et ingenui filii. III, 189. Non coalescit Ecclesia ex solis praedestinatis; 194. Nec ex solis justis: 196. Non removet omnino a se excommunicatos. 197.
Ecclesiae sacrum doctrinae depositum. III, 199.
Ecclesiae testimonium est primum scientiae sacrae argumentum. I, 89.
Eleemosynas palam erogandi defenditur facultas, pag. 326. (Encycl. Pii IX).
Eminenter. I, 118.
Episcopi veri judices. III, 141. 142. Jure divino ad hierarchiam spectant ecclesiasticam. 32, etc. Unde non est democratica regiminis forma: (ibid.). Quo pacto a populis judicantur, explicatur: 38. Quidam episcopi et presbyteri laicos bonos persequuntur: (ibid.)
Episcopis docentibus quomodo obsequendum. III, 119, etc.

F

Facta dogmatica. III, 101, etc. In iis definiendis Ecclesia est infallibilis: (ibid.)
Factum nequit vim juris habere. Pag. 338. (Syllab.)
Familiae religiosae defenduntur. Pag. 326. (Encycl.) et pag. 337. 338. (Syllabi.)
Febronii error. III, 32.
Fidei analysis. II. 52. Objectum formale et materiale fidei. 53. Fidei *motivum* non est tantum subjectivum, seu sola voluntas; sed objectivum etiam: 65, 67; scilicet, Dei auctoritas et revelatio: 61.
Fidei certitudo unde oritur et excellit quamlibet naturalem certidinem. II, 56, etc. Ad Fidei habitum pertinet adhaerere auctoritati et testimonio Dei propter se. II, 68. Firmissima nititur certitudine. I, 21. Non sufficit cognitio probabilis revelationis. II, 54. Intensiva et extensiva fidei certitudo. 58.
Fidei actus pendet ex imperio voluntatis; ideo meritorius est. 57, 58. Fidei caecitas. II, 38.

Fides cur virtus est theologica. II, 62. In fidei assensu non est *circulus vitiosus*. 68. Praetensa fidei et rationis oppositio, unde orta? 72.
Finalis causa miraculorum. II, 162. Aliud intendunt daemones et magi; aliud Deus et sancti. 140, 172, etc.
Finis ultimus exigit revelationem. II, 95.
Finis christianae societatis, seu Ecclesiae. III, 23.
Forma primatus Ecclesiae est juris divini. III, 57: hinc praerogativae Primatus nequeunt communicari, 181, 182.
Formale objectum quid est. II, 35.
Formaliter quotuplici modo dici solet. I, 117, etc.
Fructus quos ex erroribus et sectis capescere debet Ecclesia. II, 298.
Futurorum praescientia quotuplex. II, 200, 206. Quaedam Dei propria; quaedam potest naturaliter haberi. (ibid.)

G

Galileus quo pacto damnatus. III, 149.
Gallicani primatus pontificii hostes. III, 121.
Guillielmi Parisien. refellitur opinio de natura actus fidei. II, 60.

H

Habitus fidei attingit objectum formale. II, 68. Nequit ipse habitus esse objectum formale fidei. II, 42.
Haeretici repellendi; quomodo. I, 68. Mutant continuo fidem. III, 19, 261. Inhabiles ad Ecclesiam accusandam. I, 69. Carent Scripturis. 73.
Hebraeorum canon. III, 224.
Hellenistarum canon. III, 224.
Hierarchia Ecclesiae, una est. III, 39.
Hierarchiae culmen et unitatis centrum est Rom. Pontifex. III, 51. Hierarchica unitas est juris divini. 57.
Historiae usus in theologia. I, 67.
Honorii Pp. damnatio explicatur. III, 145.
Honestas vitae humanae postulat revelationem. II, 95.

I

Idea scientiae sacrae: I (per totam Disquisit.) Idea revelationis. II, 34. Idearum origo. II, 82, 206.
Indifferentismus reprobatur, pag. 333 (Syll). Impugnatur: II, 24. 259.
Infallibilitas Ecclesiae probatur: III, 92; activa et pasiva: (ibid.)

Romani Pontif. 122. Una est infallibilitas, sive solus, sive cum Concilio definiat, III, 141.
Infidelitas judaeorum praenuntiata. II, 257. 265.
Inspiratio divina postulat specialem Dei actionem: III, 241; nec specialis sufficit assistentia ne scribens erret: 240.
Integritatis custos catholicus: III, 61.
Intellectus, seu habitus principiorum: I; 18. Intellectus legibus subjicitur naturalibus: II, 115.
Intentio directa, indirecta: I. 115. Primo intentionaliter, secundo intentionaliter: I. 112.
Interpres authenticus sacrae Scripturae, III, 272.
Interpres pro sancti Thomae doctrina recte intelligenda, pag. VII, VIII, (ad Lectorem.)
Islamismus impugnatur: II, 287. Cur impugnandus, (ibid.), 298.

J

Jurisdictio est intrinseca primatui Rom. Pontificis: III, 122. Errores juribus Ecclesiae adversantes: pag. 334 (Syllabus).
Jus in materiali facto non consistit: nec in numero et materialium virium summa: pag. 338. Ad naturae jus leges humanae conformari debent: pag. 338 (in Syllabo).

L

Latitudinarismus reprobatur: pag. 333 (ex Syll.). Impugnatur: II, 259.
Latriae cultus quid sit: II, 3.
Leges humanae debent legi naturali conformari: pag. 338. (in Syll.)
Lex mosayca, erat divinitus tradita: II, 222. Quo pacto usuras concedebat; 227. Erat temporalis et Novae Legis praefigurativa: 361, 363, 365.
Lex naturalis est regula morum actualis quoad prima praecepta; quoad secundaria autem, virtualiter tantum: II, 99, 100.
Liberalismus evolvitur: pag. 184; et 325, 329 (Encycl. Pii IX). Reprobatur, pag. 341. Liberalismi hostilitas cum re christiana; ambiguitas: 186, Definitio, gradus: 186.
Libertas et auctoritas Ecclesiae, pag. 327, 329 (Encycl.); 336 Syllabi): III, 15, 25.
Librorum Pentateuchi authentia: II, 228. Item, Veritas: 237.
Librorum Novi Testamenti authentia: 267.
Librorum Sacrorum inspiratio: III, 220. Canon: 223.
Locutio quid sit, et quotuplex: II, 113.
Loqui ex cathedra quid indicat? III, 132.
Loquela oralis et scripta: III, 236, etc.

Lumen fidei non extinguit, imo supponit et perficit lumen rationis: II. 112. 92. Neque ei refragatur: pag. 333. ex Syllab.

M

Magia est illicita: in ea duo sunt distinguenda: II, 160.
Magi quid ope daemonis valeant: II, 140, 150. Quomodo miracula efficiunt: 134: 183. Magicae operationes cur a Deo permittantur. II. 173. etc.: per ipsas clarius vera praefulgent miracula: 175. 194.
Magisterium Ecclesiae: III. 26; 239.
Mahoma, homo ignarus, turpissimus: II. 306. 300. etc. Quem habuit scopum: 313, h); 317.
Mahometica secta impugnatur: II. 287. Propagatio explicatur: 297.
Mahometismus è quibus ortus sectariis: II, 298. Cur impugnandus et dignoscendus: 298. Ejusdem turpitudo: 299; stultitia: 306.
Mahometismi sectatores, quales sint: II. 318. Eorum explicatur pertinacia in sua superstitione: 315, 316. Caerimoniae: 319.
Massonismus, reprobatur: pag. 327. Encycl. Pii IX , pag. 333 Syllab. quoad ejusdem errores. vide V. *Indifferentismus* et *Latitudinarismus*, et *Pantheismus*.
Methodus pro alumnis: I. 91. Pro magistris: 99.
Miraculum possibile: II, 117. Non excedit tantum spectatoris captum: 123. Definitur miraculum absolute dictum: 132. Miraculum *quoad nos:* 137. Quo pacto dici potest contra naturam: 130. A solo Deo est, saltem auctoritative: 143. Duplex miralorum genus: 145.
Miraculum quatenus a daemone vel pravis hominibus fieri potest: II, 146, etc. Cur iis conceditur: 147.
Miraculorum finis: II, 162. Miracula vera, quae? Dantur regulae criticae: 170.
Miraculorum diversitas: II, 186.
Miraculorum praestantia: II, 187. Cum causa miraculi non exhibet plenum naturae dominium, sed quibusdam mediis et artibus subditur; quid sentiendum? 180, 189.
Moises, cur se ipsum laudat; de sua morte quo pacto scripsit: II. 266.
Moralitas universalis quomodo intelligenda? II. 106.

N

Natura universim est collectio causarum et legum quibus reguntur: II, 115. Deo subjecta est: 117. Contra naturam esse miraculum, quo sensu dici possit: 130.
Naturalismus reprobatur: pag 325 (in Encycl. Pii IX): pag. 331 (Syllab.) Impugnatur: II, 80, 89.

Necessitas absoluta, hypothetica seu conditionata: II, 122, 130.
Notae ratio quid postulat? Nota positiva, negativa: III, 156.

O

Objectum formale: II, 52. Materiale (ibid.) Aliquando non distinguuntur: 53. Objectiva certitudo: 55.
Opinio quid sit? A fide quomodo differt? I. 18. 21.
Ordinaria Dei potestas: I, 110.
Ordo quid est? Quotuplex? Universalis mutari nequit; particularis Deo subjicitur: ideo miracula possibilia. II, 114. Naturalis ordo dupliciter natura innititur: 121.
Ordo naturalis daemoni non subjicitur: II, 148.

P

Paganismus impugnatur. II, 269.
Pantheismus damnatur: pag. 331 (Syll.)
Papa est Petri successor. III. 53. Est pater christianae plebis. III. 128. Ejusdem primatus. 122. Infallibilitas. 132.
Patres Ecclesiae, quinam dicuntur. III. 216. Eorum munus et auctoritas. 214. Regulae pro usu SS. Patrum. I, 64.
Peccatores in Ecclesia. III, 196.
Pentateuchi authentia. II, 228.
Permissio Dei duplex. II. 152.
Per se, per accidens; sensus explicatur. I, 107.
Persona moralis et physica. II, 13.
Petrus Apostolorum caput. III, 39. In quo differebat ejus potestas ab illa ceterorum Apostolorum. 45.
Petrus, petra et fundamentum. III, 47.
Philosophica principia. I, 3; II, 1.
Phrasis scripturae, utrum inspirata. III, 246.
Pii IX Encycl. *Quanta cura:* pag. 323. cum *Syllab.* errorum: pag. 331.
Plebs jure divino a hierarchia distinguitur ecclesiastica: III, 32.
Polygamia a Mahuma reducta. II, 300, 331.
Polytheismi absurditas. II, 269.
Pontificum Roman. series: pag. 342.
Positiva religio. II, 33.
Positive, negative; sensus. I, 114.
Potentia ordinaria, absoluta; sensus explicatur. I, 110.
Praedestinati qui sint. III, 194.
Praescientia (vide *futurorum*).
Primatus. V. *Forma*.

Principatus civilis Rom. Pontificis defenditur: pag. 330 (Syllab.). Ejus fundamentum: III, 25.
Progressus modernus damnatur: pag. 341 (Syll.). Impugnatur: II, 84.
Propagatio religionis Christi miraculosa: II. 244. Mahumetismi, per coactionem, mendacia et corruptelas: 297.
Prophetia quid est. II. 196. etc. Prophetiae praestantia. 201. etc. Prophetia naturalis. 206. Regulae pro usu prophetiae. 207.
Propositiones damnatae, quo sensu rejiciendae. III. 150.
Protestantium nulla secta est Christi Ecclesia. III. 185.
Protocanonici libri: III, 244.
Provectus Ecclesiae ex omnibus errantibus. II, 298.

R

Rationalismus damnatur et impugnatur. II, 80 etc. Pag. 331, (Syll.)
Religio definitur. II. 29. Potest sumi objective aut subjective; formaliter aut materialiter. (ibid.) Religionis distinctio in veram aut falsam improbatur: 30, E natura oritur: II, 4.
Religio potest esse naturalis aut supernaturalis: 31. Intelligitur etiam positiva vel vaga: 33.
Religioni subjicitur civilis societas (Vide verbum *Colendus* Deus, *Cultus.)* In res et officia religionis quid valeat auctoritas civilis. II, 15, 21, etc.
Religio Christi divina. II. 239, 244. Ejusdem finalis causa. III, 23. Sola vera est et salvifica. II, 259. Antiquitus praedicta; 261. Ad societatis formam instituta. III, 12. Quo pacto propaganda et conservanda. III, 26.
Resurrectio Christi probat veritatem religionis christianae. II, 249.
Revelatio universim quid sit, praesertim divina. II, 34. Interna et externa; activa et pasiva: 39. Immediata et mediata. 44, 113.
Revelatio divina est possibilis. II, 46. Moraliter necessaria. 85, etc. Etiam societati convenientissima. 105. Revelationis sigilla; positiva vel negativa. II, 113.
Revelatio facta est. II, 222, 239.

S

Sacerdotium quo pacto fidelibus commune? III. 36.
Sacrificium, quid significat. II, 10. Internum et externum. 6.
Scholae laicae reprobantur: pag. 336, 337 (Encycl.).
Scientia. I, 17, etc. A rationali fluit natura: 9.
Scripturarum divinitas. III, 220. Canon. 223. Inspiratio. 242. Verba et phrasis utrum inspirata. 246, etc.
Scripturarum vulgata versio est authentica. III. 256, etc.

Scriptura S. in multis obscura. III, 261. Ad dubia et obscura solvenda non sufficit sola Scriptura. 267.
Sedes argumentorum pro re theologica. I, 56. etc.
Sensus compositus, divisus. I, 116.
Sensus S. Scripturae quid sit et quotuplex? III, 260.
Societas civilis subjicitur religioni. II, 15; III, 15, 25. Societatis rector quid circa religionem valet: II, 21, 23. Debet ejus jura tueri. II, 24. Conveniens ei est revelatio. 89. Ad modum societatis constituta est religio christiana. III, 12.
Societates clandestinae damnatae: pag. 327 (Encycl. Pii IX); pag. 333 (Syll.)
Spiritus S. quomodo omnes docet? III, 30.
Statolatria reprobatur: pag. 329 (Encycl.); 339 (Syll.). Impugnatur: II, 15, 25.
Ad supernaturalia capessenda, necessaria est revelatio. II, 89. etc.
Syllabus errorum, hujus aetatis a Pio IX damnatorum. III, pag. 331

T

Testamenti Novi librorum authentia: II, 267.
Testificatio quo pacto fit: II, 40, etc.
Testimonium Dei: II, 36.
Theologia quid sit: I, 2, 3. Ejus objectum materiale, formale: 4, 5, 6. Exordium ipsius: 9. Necessitas: 12.
Theologia est scientia: I, 17. Est *una*: 22. Principia illius: 18. Comprehensio: 28. Probat sua principia. 45.
Theologiae partitio: I, 22. Dogmatica, moralis, ascetica, mystica: 24. Scholastica, positiva, biblica, patristica, polemica: 25. Scholastica primum necessaria: 39, 91.
Theologiae argumenta: I, 44. Varietas argumentorum: 46. Sedes, seu loci illorum: 56, etc.
Theologorum auctoritas: I, 65; III, 218, 219.
Thomas (sanctus) optimum desiderat interpretem. Quare? pag. VII (Ad Lectorem). Sancti Thomae interpres quibus fulgere debet ornamentis? (Ibidem.)
Tolerantia circa Religionem in quibus adjunctis adhiberi potest: II, 109.
Totum duplex, totalitas triplex: III, 73.
Traditio triplex: III, 200.
Traditiones: I, 56; Regulae pro usu illarum: 60. Plus quam Scripturae necessariae: III, 207. Ad nos perveniunt sensu Ecclesiae, Conciliorum et Patrum monumentis. Quaedam explicite, quaedam autem implicite ad nos perveniunt: III, 29.

U

Unitas Ecclesiae: III. 12. In ejusdem fidei professione, et eodem baptismate: 17. In una quoque hierarchia: 39.
Unitas est verae Ecclesiae Nota: III, 158.
Universalitas Ecclesiae: III, 6.

V

Vedae, Brahmanismi libri: II, 275.
Verbum ore prolatum, vel scriptum: III, 199, 236. Est signum ad placitum; ideo ex sola loquentis intentione significans 238.
Verbum Dei, seu testimonium, pertinet ad objectum formale revelationis: II, 37. Etiam verbum externum: 43.
Veritas prima, quae? II, 35.
Vichnu, secunda Brahm forma, juxta Brahmanismum. II, 276.

PAG.	LIN.	ERRATA	CORRIGE
20	9	(n. 22.)	(n. 39.)
22	16	Historiagraphorum	Historiographorum
26	25	Tertulianus	Tertullianus
34	20	meus	mens
35	1	Theologiae	Theologia
51	21	exertitio	exercitio
55	21	hace	haec
58	38	a	at
60	26	praebat	praebet
70	27	formi dinestare	formidine stare
81	37	Nazaz.	Nazianz.
»	»	quemdmodum	quemadmodum
85	28	principium	principum
88	20	appugnantes	oppugnantes
90	10	culto	cultu
92	33	praejuciis	praejudiciis
107	14	ad mutum	ad nutum
108	31	diabulus	diabolus

PAG.	LIN.	ERRATA	CORRIGE
111	4	retistere	resistere
116	8	suam	suum
118	22	comprobetur.	comprobetur.»
120	42	statum	statutum
121	32	vivicetur	vivificetur
131	22	argumentabuntur	argumentabantur
133	27	Contaginem	Carthaginen.
138	7	aedificabit	aedificavit
144	24	liberabilibus	liberalibus
148	11	resurrectiones	resurrectionis
»	42	(4) XII, 37... Jo. II, 22.	(4) Matth. XII... Jon. II, 1.
149	33	seculo XVII	seculo XVI
163	9	paemissis	praemissis
172	27	quarere	quaerere
178	10	laqueum	laqueus
190	35	opinabuntur	opinabantur
192	8	(Disq. II, n. 261).	(Disq. II, nn. 259, 260, 261.)
196	17	fide	fidei
197	12	dei	ei
207	3	Mattheum	Matthaeum
227	35	meridem	meridiem
229	6	Raptismi	Baptismi
236	28	prophethae	prophetae
262	5	perstingeret	perstringeret
270	19	fiere	fieri
289	21	quas	quae
290	1	quad	quoad
292	6	Ecclesia	Ecclesiam
»	16	hierarchia	hierarchica
299	32	et	est
300	26	vera	vero
302	13	te	et
313	23	impellerat	impelleret
325	11	Pius IV	Pius VI

208.9 # 260
C 262 CASAJOANA
AUTHOR
Disquisitiones Schol..I
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	STORAGE - CBEL	

260